









Hae disquisitiones Criticae procul dubio auctorem habent ipsum
Richardum Simonium.. v. dedicatom. !!!

DISQUISITIONES CRITICÆ
DE VARIIS
Per diversa Loca & Tempora
BIBLIORUM EDITIONIBUS
Quibus accedunt
CASTIGATIONES THEOLOGI
Cujusdam Parisiensis
AD
OPUSCULUM *ISA. VOSSII*
DE
SIBYLLINIS ORACULIS,
ET
Ejusdem Responsionem ad Objectiones
NUPERÆ CRITICÆ SACRÆ.

LONDINI,
Impensis *RICHARDI CHISWEL*, ad Insigne
Rosæ coronatæ in Cœmeterio Paulino.
MDCLXXXIV.









Hae disquisitiones Criticae procul dubio auctorem habent ipsum
Richardum Simonium.. v. dedicatom. !!

DISQUISITIONES CRITICÆ
DE VARIIS
Per diversa Loca & Tempora
BIBLIORUM EDITIONIBUS.

Quibus accedunt

CASTIGATIONES THEOLOGI.

Cujusdam Parisiensis

AD

OPUSCULUM *ISA. VOSSII*

DE

SIBYLLINIS ORACULIS,

ET

Ejusdem Responsionem ad Objectiones

NUPERÆ CRITICÆ SACRÆ.

LONDINI,

Impensis *RICHARDI CHISWEL*, ad Insigne Rosæ coronatæ in Cœmeterio Paulino.

MDCLXXXIV.

Optimo, Doctissimóque Viro

J. H.

ROBERTUS DENISON.

S.

MUnusculum quod non ita pridem commoratus Parisiis à præstantissimo Urbis illius Theologo accepi, tibi offero, Vir Optime, qui sciam te jam ab annis aliquot ad hoc studii genus animum feliciter applicuisse. Opus illud, ut audio, sumptum fuit ex

 Criticâ

Criticâ Sacrâ Veteris Testamenti, quam Latino Sermone conceptam dudum meditatus fuerat Criticæ illius Autor in publicum edere. Gallica enim Editio quæ in omnium manibus versatur, Latinæ tantùm, quæ lucem non aspexit, compendium est, quod Linguæ suæ hominibus destinaverat, qui ut paulò delicatiores sunt, ita quæ longa, tanquam sibi molesta, fastidiunt. Utinam opus illud integrum nobis non ita delicatis communicatum fuisset: ea enim quæ bona sunt, facilè non respuimus. Verùm cùm istud à diligentissimo illo rerum Criticarum Scriptore obtineri non potuerit, Doctor tamen Theologus & Canonicus Parisiensis, qui tunc de edendo *Biblicò Apparatu* cogitabat, nobis hoc qualecunque est operis perhumanè largitus fuit, quod à *Criticer*

Critices Scriptore se accepisse profitebatur, ut illud *Biblico Apparatui*, quem tunc meditabatur, insereret. Non ita enim friget, Vir Optime, apud Theologos Parisienses rei Criticæ studium, quin Ætate nostrâ reperiantur inter illos viri eruditissimi qui, spretis Scholarum minutiis & vanis subtilitatibus, Artem illam feliciter tractent, linguásque Græcam & Hebraicam apprimè calleant. Ex horum numero ille est qui *Disquisitiones istas Criticas* de variâ per diversa Loca & Tempora Bibliorum fortunâ lubenti animo mihi communicavit. Videbitur tibi profectò, Vir Doctissime, Theologus ille Parisiensis in Appendice illâ quam huic Operi adtexuit, in optimum nostrum Vossium paulò acriùs insurrexisse. Verùm si opinionum monstra quæ eruditissimo

Vossio

Vossio tribuit, paulò attentiùs considerentur, nihil præter moderationis & æquitatis leges fecisse videbitur. Sed non opus est pluribus, ut tibi rerum istarum callentissimo, Opusculi hujusce lectionem commendem. Memini enim quanti feceris degens Parisiis ingenium, eruditionem & judicium Scriptoris *Criticæ Sacræ*, qui tamen non aliunde tibi innotuerat quàm ex ejus Scripto. Eo scilicet natus es ingenio, Vir Optime, ut quæ bona sunt statim approbes, & quæ recta sunt laudes, etiam in hominibus qui Religione & Institutis à nobis differunt. Si quid igitur in illo Scriptore paulò duriùs dictum, & à communi Protestantium doctrinâ alienum deprehendatur, nôsti illum esse ex eorum cœtu qui fidem Ecclesiæ Romanæ profitentur. Fruere interim

rim hoc munusculo, qualecunque sit; & scias me ad majora paratum esse.

Oxoniæ, Anno
MDCLXXXIII.
medio Aprili.

SYLLOGE CAPITUM.

CAP.

CAP. XXVII.

Typo-

Typothetarum Errata præcipua, ne nimis Contextûs sensui officiant, ita corrigat Benignus Lector.

PAg. 58. l. 34. p. *suos* leg. *suas*. p. 59. l. 25. p. *respondent* l. *respondens*. p. 66. l. 2. l. *Aphrodisiæum*. p. 69. l. 22. l. *è suis cod.* p. 97. l. 25. l. *contextui*. p. 103. l. 34. p. *chartâ* l. *curâ*. p. 109. l. 5. l. *neminem*. p. 111. l. ult. p. *fuerint* l. *fuisse existimaret*. p. 112. l. 21. p. *fuisse* l. *fuerit*. p. 114. l. 10. l. *erant tam linguæ*. p. 116. l. 30. l. *debet*. p. 127. l. 1. l. *inventæ fuerant*. p. 131. l. pen. l. *Vossium*. p. 132. l. 28. l. *magis ad genium*. p. 133. l. 35. l. *debent*. p. 137. l. 34. p. *abutuntur* l. *utuntur*. p. 138. l. 9. l. *mentem*. p. 148. l. 35. l. *Palæstinorum*. p. 152. l. 15. l. *lectoribus suis fucum faciat in re*. p. 155. l. 23. l. *accuratâ descripserat*. p. 160. l. 37. p. *profuerint* l. *profecerint*. p. 168. l. 28. l. *cui non acquiescere*. p. 171. l. 6. p. *ad* l. *ac*. p. 176. l. 19. l. *codices*. p. 178. l. 10. l. *concinnatæ*. p. 182. l. 29. p. *ix*. l. *xix*. p. 192. l. 31. l. *usu receptum codicem*. p. 195. l. 29. l. *vernaculam*. p. 196. l. 34. p. *in pago* l. *in agro*. p. 198. l. 14. l. *ob alias*. p. 200. l. 21. p. *inconditum* l. *inconditam versionem*. ib. l. ult. l. *lingua*. p. 204. l. 36. p. *ortum* l. *ritus*. p. 206. l. 26. l. *jam laudatâ*. p. 211. l. 22. l. *du costé*. p. 218. l. 13. l. *LXX interpretum versionem supremæ*. p. 219. l. 7. p. *frustra* l. *haudquaquam*. p. 224. l. 3. l. *moliri*. p. 230. l. 5. dele *etiam*. p. 231. l. 33. l. *arctiori quàm anteà compendio*. p. 233. l. ult. l. *respondet*. p. 236. l. 3. & 4. l. *fuerint*. p. 238. l. 5. transfer voc. [*ratio*] ad init. prox. lin. p. 241. l. 7. l. *primò*. p. 243. l. 10. l. *ratione*. p. 246. l. 2. p. *avidiùs* l. *penitiùs*. p. 252. l. ult. l. *sus characteres*. p. 254. l. 32. l. *crederentur*. p. 257. l. 1. l. *gnaram*. ib. l. 31. l. *suam*. p. 258. l. 30. l. *antiquam*.

DE

DE VARIIS
PER DIVERSA LOCA ET TEMPORA
BIBLIORUM EDITIONIBUS
DISQUISITIONES CRITICÆ.

CAP. I.

De Bibliis in genere cùm apud Judæos tum apud Christianos.

UNiversus Scripturæ sacræ contextus Bibliorum nomine apud Christianos insignitur, quasi dixeris, *libros per excellentiam*, eaque tam vetus quam novum Testamentum comprehendunt. At Judæi veteris tantùm Instrumenti libros recipiunt, eosdemque sermone Hebraico conscriptos; neque enim illos quos Græcè scriptos Ecclesia à Judæis Hellenistis accepit, intra suum Canonem reposuere, quòd nihil in iis divini agnoscant; secus verò Ecclesia, quæ spiritus sancti numine afflata hos etiam codicis sacri libris adscripsit. Qua in re illi qui Protestantium & Reformatorum nomen inter Christianos ambiunt, Synagogæ partibus adhærere maluerunt, quàm Ecclesiæ utriusque, occidentalis nimirum & orientalis, sententiæ accedere. Itaque acceptos à Judæis veteris instrumenti codices Christiani in Ecclesiam invexere. Novi autem fœderis auctor Christus nihil omnino illius in literas retulit, sed illius post ejus obitum discipuli hos quos novi Testamenti libros appellamus,

De Veteri Testamento.

Novum Testamentum.

appellamus, in publicum ediderunt. De germanis ejusmodi librorum scriptoribus dubitarunt quidem nonnulli, quasi Evangelia quæ secundum Matthæum, Marcum, Lucam & Joannem dicuntur, reipsa illorum non essent: non enim, inquiunt, Evangelia secundum Matthæum, Marcum, Lucam & Joannem inscriberentur; sed Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ & Joannis, si hæc ab illis adornata fuissent, eadem ratione qua *libri Moysis* dicimus, minimè verò secundum Moysen. Verum diversa planè ratio est inscriptionis Evangeliorum ac ceterorum librorum: quandoquidem Evangelium quod publicavit Matthæus, non est Matthæi, sed Christi: quare secundum Matthæum rectè inscribitur, quasi dixeris Evangelium Christi secundum Matthæi testimonium, cui illud acceptum referunt Christiani.

Paul. epist. ad Rom.

Nomina Scripturæ apud Judæos.

Hier. præf. in Esd. & Neh.

Jam ut ad Judæos nostra redeat oratio quibus primum credita sunt Dei eloquia, uti loquitur Apostolus, codex sacer varia apud illos sortitur nomina. Modo enim hunc *Mikra*, seu lectionem appellant; quo pacto intelligenda esse videntur verba illa Nehemiæ, *& intellexerunt Mikra, scripturam,* sive lectionem. Licet enim de legis Mosaicæ lectione ibi agatur, nomen istud postea ad reliquos scripturæ sacræ libros non malè à Judæis translatum est. Modo verò Scripturam denotant per hæc verba עשרים וארבע *viginti quatuor*; quo nomine contextus sacri librorum numerum indicant; ad quod etiam allusisse videtur B. Hieronymus cum ait, *Quæ non sunt de viginti quatuor senibus*, ea parem non habere cum libris divinis auctoritatem: & quid per *viginti quatuor senes* veniat intelligendum, manifestiùs declarat idem Hieronymus in Prologo Galeato. Hac sacri codicis nomenclaturâ nihil frequentius reperire est in libris Judæorum, quam & ipsi sæpissimè apponunt in capite Bibliorum Manuscriptorum, eaque universum veteris Instrumenti contextum indicant; etsi Josephus testis in hoc argumento locuples XXII tantum esse apud gentem suam libros sacros affirmet: quod non aliunde invectum fuisse videtur, quàm ut ejusmodi librorum numerus ob literas Alphabeti Hebraici, quæ similiter XXII numerantur, faciliùs firmiùsque memoriæ mandaretur. Nihil est enim hac in re inter Judæos discriminis, sive XXIV sive XXII tantùm libros numerent: sed diversa illos ratione partiuntur. Id Hieronymo probè cognitum fuit, qui auctor est illos à quibus numerantur XXIV Scripturæ

sacræ

ſacræ libri, volumen Ruth ab hiſtoriâ Judicum, & Hieremiæ Lamentationes ab ejuſdem Prophetæ vaticinio ſejunxiſſe; non repugnantibus etiam ætate noſtra Judæis qui duos hoſce libellos Hagiographorum claſſi, non verò Prophetarum, adſcribant.

Omnium autem optimè de Scripturâ ſenſiſſe videtur illa quæ inter Judæos Carraitarum ſecta appellatur, quæ *Prophetiæ* nomen illi indidit. Quo etiam nomine illam indigitat B. Petrus, videturque iſtud priſcum ac genuinum eſſe Scripturæ nomen, quod à Judæis recentioribus non intellectum, qui multa de libris qui הנביאים id eſt, *Prophetæ* inſcribuntur, commenti ſunt; miror que non deeſſe apud Chriſtianos qui acutos hoſce magiſtros audiant. Pet. epiſt. 2. c. 1.

Nota eſt omnibus & perantiqua ſacrorum librorum diviſio in Legem, Prophetas, & *Cetuvim*, *ſcripta*, ſeu, ut vulgo loquuntur, *Hagiographa*. Quæ partitio mirè torſit Judæorum ingenia qui in eam nimis anxiè inquirunt, & id quod explicatu videbatur facile, ſubtilitatibus ſuis implicant. Conqueritur Iſaacus Abravanel vir acutiſſimus pleróſque magiſtrorum ſuorum illud argumentum non attigiſſe, ſi unum excipias Ephodæum: ſed ea quæ magiſter iſte fuſiùs de hoc negotio refert, ſilentio prætermittere viſum eſt, quòd plus habeant acuminis quàm ſoliditatis. His igitur valere juſſis dicendum videtur, Prophetarum nomen libris Joſuæ, Judicum & ceteris Hiſtoricis qui ante Judæos Babylonem deportatos ſcripti fuerunt, adjectum fuiſſe, quia tunc temporis illi apud Judæos nominabantur Prophetæ, quorum erat annales ætatis ſuæ deſcribere. Ita in ſacris literis librorum Samuelis, Nathanis, Gadi, aliorumque Prophetarum fit mentio, quod illi res ætatis ſuæ ſtudioſè conſcriberent referrentque in acta publica. Quo ſenſu Joſephus affirmat quorumlibet non fuiſſe apud Judæorum nationem annales ſcribere, ſed Prophetarum duntaxat; idque fuſiùs exponit Theodoretus qui liberè aſſerit, complures apud Judæos exſtitiſſe Prophetas quorum unuſquiſque ea ſcribere conſueverit quæ ſuæ erant ætatis, partémque maximam librorum qui ab illis conditi fuerant deperditam nunc deſiderari. Ita dubitari non poſſe affirmat quin Regum libri ex multis libris Propheticis compoſiti fuerint. Theodoreto conſentiunt Diodorus, Procopius, & alii non pauci eximiæ eruditionis viri. Hæc igitur genuina videtur eſſe ratio cur Scripturæ ſacræ libri qui poſt Moyſis tempora ante Judæorum deportationem conſcripti

Diviſio Scripturæ.

Don Abrav. præf. in Joſ.

Joſeph. lib. 1. adv. App.

Theod. præf. in lib. Reg. Id. lib. 2. Reg. interr. 4.

Diodor. Procop.

Cur libri historici dicuntur Prophetæ

fuerunt, Prophetarum nomine insigniantur. Post id verò temporis simplici *Cetuvim*, seu *scriptorum* nomine donati sunt; non quòd ab eis Spiritus sancti afflatum removerent; hunc enim etiam in libris istis Judæi non secùs ac Christiani haud inviti agnoscunt; sed simplici *Cetuvim*, id est, *scripta* nomine contenti, eodem modo atque nos etiam Scripturam universam Biblia appellavimus. Hominum itaque otiosorum est subtiliùs in hæc nomina inquirere ac venari mysteria de quibus ne quidem per somnium prisci Judæorum scriptores cogitarunt.

Scripturæ divisio quæ extat in libris Christianorum præferenda est Judaicæ.

Hâc de causa Christiani qui veteris Instrumenti libros à Judæorum Hellenistarum Synagogis sub nascentis Ecclesiæ tempora mutuati sunt, neque librum Ruth ab historiâ Judicum, neque Hieremiæ Lamentationes ab illius Prophetæ vaticinio in suis exemplaribus separarunt, uti solent Judæi, qui ejusmodi opuscula ad tertiam librorum sacrorum classem quæ dicitur *Cetuvim, scripta*, referunt. Mirum est quantum in hoc negotio desudaverit Doctor subtilissimus Abravanel, ubi contentiosiùs quærit quid causæ fuerit cur volumen Ruth Historiæ Judicum, ad quam videtur pertinere, cùm utriusque libelli auctorem agnoscat Samuelem Prophetam, adjunctum non fuerit. Longè melius Christiani præeuntibus sibi Judæis Hellenistis, Scripturæ sacræ libros disposuere, quæ prima videtur esse librorum sacrorum dispositio etiam ab antiquis Judæis recepta & publico synagogarum usu approbata. Quare nugantur Judæi cùm Danielis Prophetiam tam in manuscriptis quàm in vulgus editis exemplaribus ab aliorum Prophetarum corpore semovent, quasi spiritus sancti afflatus qui Danieli vaticinanti adfuit, idem non fuerit in omnibus ac ille quo alii Prophetæ inspirati sunt. Similia quoque de Davide somniant Judæi, quem Prophetarum albo non adscribunt, etsi multa in eo vaticinia agnoscant. Adeo verum est ejusmodi magistros qui paternas traditiones miris modis ostentant, multa excogitasse priscis illorum patribus incognita, & quæ ex Christianorum libris sumere videtur satius, quam ex Judæorum præsertim recentioris ævi operibus. Illi enim antiquum Synagogarum usum imitati sunt, qui ad posteriores Judæos non videtur integer pervenisse. Retinendus itaque Scripturæ sacræ librorum ordo qui in Græcis & Latinis Christianorum Bibliis apparet, quia prior est ac melior, & Ecclesiæ tam orientalis quam occidentalis auctoritate compro-

proba-

probatus. Neque audiendi sunt illi qui secuti Judæorum magistros in edendis cum Græcis tum Latinis Bibliorum exemplaribus priscum illum ordinem penitùs evertunt. Ordinem tamen istum in minutioribus non ita urgendum censeo, cùm in his neque Judæi inter se neque etiam Christiani consentiant. Cassiodorus tria operis sui de Divinis Lectionibus capita hâc inscriptione prænotavit: *Divisio Scripturæ secundum Hieronymum. Divisio Scripturæ secundum Augustinum. Divisio Scripturæ secundum Septuaginta.* Judæi quoque etsi paternarum traditionum tenacissimi, totique à Doctoribus Talmudicis dependeant, alium hodiè in disponendis codicis sacri libris tenent ordinem quàm illum qui Talmudistarum auctoritate comprobatus fuit. Imò diversa est hâc in parte codicum manuscriptorum œconomia.

CAP. II.

De Hebraicis contextûs Biblici exemplaribus manuscriptis.

MAnuscriptos Judæorum codices ad duplicem classem referre possumus, quorum alii publico Synagogarum usui inserviant; alii verò privatis hominibus. Non singulos tamen Scripturæ sacræ libros illi in synagogis suis legunt, sed selectos tantùm & ad Religionis suæ mysteria accommodatos, quales sunt Moysis libri, à quibus legis suæ documenta hauriunt, & illi quos sub quinque *Megilloth*, seu voluminum nomine indicant, Canticum scilicet Canticorum, Ruth, Threni seu Lamentationes, Ecclesiastes & Esther. Hæc enim volumina prælegi solent in synagogis, statis ac certis diebus; Canticum Canticorum die festo Paschæ; Ruth die festo Hebdomadum; Threni nono mensis Ab; Ecclesiastes in festo Tabernaculorum; ac demum Esther decimo-

De libris Scripturæ qui synagogis inserviunt.

decimoquarto & decimoquinto mensis Adar. Legem verò in tot sectiones partiti sunt quot in anno numerantur Sabbata. Quippe quam singulis Sabbatis legunt, eique addunt excerpta quædam ex Prophetarum libris.

Judæorum superstitio in describendis suis codicibus.

Mirum est quàm ridicula sit Judæorum in describendis hisce exemplaribus quæ synagogarum usui inserviunt, Religio ac stulta superstitio. Primo enim simplici ac nudâ literarum figurâ qualis in aliis codicibus cum manuscriptis tum editis apparet, minimè contenti, quasdam pingunt coronulis quas *Tagin* appellant ornatas, sive apiculis; neque eos pudet Deum facere ejusmodi apiculorum auctorem, quasi Moses illos à Deo in monte Sinai accepisset. R. Moses Scem Tob in libro ubi more Cabbalistarum Alphabeti Hebraici literarum rationem investigat, de ejusmodi coronulis permulta affert, conquestus has paucissimis Judæis probè cognitas fuisse. *Intelliges*, inquit, *sermonem ex ipsâ patrum nostrorum felicis memoriæ doctrinâ haustum in tractatu Hagigâ, audiesque & facies Aleph cui insint septem coronulæ; septem sunt ejusmodi in lege: Beth cui insint tres coronulæ; quatuor sunt in lege: Gimel cui coronulæ quatuor; tres sunt in lege: Daleth cui quatuor coronulæ; sex sunt in lege.* Simili prorsùs ratione ceterarum literarum coronulas seu apiculos idem magister persequitur, simulque indicat quotiès coronatæ illæ literæ in libris Mosis occurrant, & earumdem coronularum figuras paritèr repræsentat, quo scilicèt modo illæ pingi debeant. Imò & animadvertit illarum inter se discrimina: nam aliæ ipsissimet adhærent literis; aliæ verò paululum ab his remotæ suprà attolluntur vel subjiciuntur. Sed hæc somnia sunt & cerebelli Judaici portenta, de quibus tamen seriò disputant magistri illi. Ita Balmasius diversas planè literarum Zain & Heth coronulas pingit ab illis quas R. Scem Tob ex patrum suorum traditione descripsit. Religionem quoque suam ac diligentiam ostentant Judæorum magistri in eligendâ voluminum istorum membranâ: papyrum enim utpote recentiùs inventam ad id non adhibent. Hæc siquidem munda esse debet, neque potest parari ab homine Ethnico & Infideli, sed à Judæo qui nec Apostata sit nec Hæreticus. Quare Samaritarum exemplaria à Judæis tanquam impura rejiciuntur. Præterea non scribunt more nostro in foliis complicatis, sed in grandioribus voluminibus secundum priscum morem, eaque in pagel-

R. Mos. Scem Tob in lib. M.S.

Talm. in Tract. Hag.

Abrah. Balm. in Gramm.

pagellas seu columellas quasdam Geometricâ veluti proportione observatâ partiuntur, lineasque cum amussi priùs exarant, audentque asserere se ab ipsomet Moyse accepisse, nullum legis exemplar absque amussi describendum. Formam quoque atramenti quo in illo exarando uti debeant, eidem Moysi acceptum referunt. Inter scribendum autem cavent in primis ne literæ simùl cohæreant: hæc enim tam inter literas quàm dictiones servari debet proportio, ut inter literam quamlibet reperiatur fili spatium, inter dictiones verò spatium minusculæ literæ; demùm lineæ à se invicem distent lineæ unius mensurâ, quælibet autem linea debet constare XXX literis. His adjiciendæ sunt distinctiones sectionum, quarum aliæ majores, aliæ minores; certumque inter has observari debet spatium. Iterum ejusmodi sectionum aliæ dicuntur clausæ & aliæ apertæ. Illæ appellantur clausæ quæ hinc & inde clauduntur literis, ita ut spatium trium duntaxat literarum relinquatur; pro apertis vero novem literarum. Præter istas sectiones sunt & aliæ majores, quæ etiam in editis Bibliorum exemplaribus conspiciuntur. Verùm hâc in parte gravissimè allucinantur plerique Judæorum magistri qui existimant Mosem ipsum ejusmodi divisionum quas hodiernum legis exemplar repræsentat, auctorem esse. Nam constat distinctiones istas à Criticis recentioribus, ab iis præsertim qui Masorethæ appellantur, profectas fuisse, priscisque temporibus tàm in Hebraicis quàm Græcis & Latinis exemplaribus nullas distinctionum ac subdistinctionum notas exstitisse. Istud enim Grammaticorum est opus, & ut recte animadvertit Elias Levita, lex universa erat antiquitùs פסוק אחד *versus unicus* absque ulla literarum ac dictionum divisione, quod etiam de Homeri operibus à Criticis Græcis observatum fuisse nôrunt artis illius periti. Neque his obstant verba illa Nehemiæ; *& legerunt in libro legis distinctè*; quasi inde jam ab Esdræ temporibus versuum distinctio in contextum legis invecta fuerit: cui etiam sententiæ favere videntur Doctores Talmudici. Saltèm illa Talmude non erit posterior, cùm ejus meminerint operis illius scriptores, & ut auctor est R. Jacob Ben Ascer, Baal Hatturim; *Doctorum Talmudicorum temporibus consuetudo fuit interpretandæ legis in aliâ linguâ, ut eam populus intelligeret, quia lingua ejus Aramæa. Lector autem non poterat legere plusquàm versum unum interpreti; sed legebat versum*

Antiqua Bibliorum forma.

Neh. c. 8.

Tal. Tract. Nedarim.

Baal Hatturim in compend. Talm. de lect. libri legis.

sum unum ipsi, & mox sequebatur interpretatio. Iterum legebat versum alterum, nec interpres poterat interpretari donec lector versum integrum absolvisset; nec similiter lector poterat versum alium legere, donec interpretationem suam absolvisset interpres. Ex quibus confici posse videtur, legis Mosaicæ exemplaria jam ante Talmudistas versibus distincta fuisse.

Verum ista omnia cum à lectore tum à Paraphrastâ seu legis expositore etiam ab ipsius Esdræ temporibus observari potuerunt absque ullâ intra contextum distinctionis versuum notâ: & id manifestè probant priscæ illæ Bibliorum translationes quæ sermone Græco ante B. Hieronymi ætatem prodierunt, imò & ipse Hieronymus qui ejusmodi versus haud infrequentèr distinguit ratione planè diversâ ab eâ quæ nunc in editis seu Masorethicis exemplaribus exhibetur. Illud autem videtur in primis animadversione dignum in præsenti negotio, quòd nihil omnino punctorum vocalium, quæ lectionem hodiernam contextûs Hebraici inter fines quosdam limitant, appareat, nihil similitèr accentuum illorum qui nunc punctorum, virgularum aliarumque interpunctionum vices gerunt. Neque etiam olim exstitisse in istis exemplaribus manuscriptis ullam sectionum divisionem probant Samaritanorum codices, in quibus ejusmodi sectiones ratione planè diversâ annotantur; quæ si ab ipso Mose, uti falsò putant Judæorum magistri, legi adjecta fuissent, Judæorum cum Samaritanis maxima esset hâc in re consensio. Falsò itaque pronunciant Talmudistæ, versum quemlibet quem non distinxit Moses, distinguendum non esse. Si enim res ita sit, cur iidem Talmudistæ hâc in parte à Masorethis qui vulgò dicuntur סיג לתורה *sepem legi* apposuisse, discrepant? Fierine potuit ut traditionem à Mose acceptam Judæi traditionum suarum observantissimi non eandem omnes in suis exemplaribus retinerent? De sectionum partitionibus non aliud ferri debet judicium, cùm & ipsi Masorethæ, ut auctor est R. Moses, ob librorum quibus innitebantur discrepantias inter se non consenserint, idemque Moses affirmat *magnam* se deprehendisse confusionem יבוש גדול in omnibus quæ ad manus suas pervenerunt exemplaribus, ita ut relictis aliis codicibus unum consuluerit cujus corrector putabatur R. Ascer, eumque in omnibus in describendo ad usum suum exemplari secutus fuerit.

R. Moses.

Tempora

Tempora quibus ſectionum, commatum, aliarumque diſtinctionum notæ in contextum Biblicum irrepſerint, curioſiùs inveſtigare videtur ſupervacaneum. Iſta ſiquidèm quia ab hominibus Criticis profecta ſunt, non aliam præ ſe ferunt auctoritatem quàm illam, quæ ipſis ex Doctorum conſenſu vel uſu publico advenit; adeóque pro diversâ ætatum ratione, variis obnoxia fuerunt mutationibus, quia ex hominum arbitrio dependebant. Unus artis Criticæ apud Judæos peritus, Elias Levita, pluribus oſtendit ea omnia prodiiſſe è Scholâ Doctorum Tiberienſium, qui vulgò Maſorethæ appellantur, poſt Talmudiſtarum & B. Hieronymi tempora: ita ut quæ poſteà de ejuſmodi diſtinctionum antiquitate publicata ſunt, ab hominibus otioſis conficta fuerint, quaſi de ſacris codicibus hâc in re alia deberet ferri ſententia, quàm de Græcis Latiniſque libris. Non enim libri quià ſacri ſunt, ob id cum ſuis diviſionibus & interpunctionibus naſci debuêre; neque dixerimus, exempli causâ, hodiernam Latinæ verſionis interpunctionem, quam ſuffragiis ſuis comprobavit ſedes Apoſtolica, ſolámque retinendam in edendis Latinis exemplaribus cenſuit, ab ipſis temporibus Apoſtolorum derivandam eſſe. Sed de his ſatis ſupérque: nunc ad privatorum hominum codices deveniamus. Elias Lev.

Hi in duplici quoque claſſe poſſunt collocari, quorum alii à Judæorum vulgo & ab hominibus è plebe deſcripti fuerint; alii vero à viris linguæ ſuæ peritis, & in uſum eorum qui apud ipſos auctoritate pollent, vel aliquo dignitatis honore eminent; quales ſunt qui *Naſci*, ſive Principis, nomen ſibi ſumunt. Qui partem magnam literis minuſculis exarati & minori formâ, multa habent incurioſiùs deſcripta, nec pauca in iis deprehenduntur σφάλματα. Ejuſmodi complures reperiuntur in pleriſque Chriſtianorum Bibliothecis. Hi verò, quia magno ſumptu exarati ſunt ad fidem antiquorum & bonæ notæ exemplarium, ceteris omnibus longè præſtant. Unciales eaſdémque elegantiſſimas literas præ ſe ferunt, & quod boni exemplaris certiſſimum eſt indicium, nullæ in his dictiones apparent omiſſæ, quæ minutiori charactere ad oram codicis deſcriptæ habeantur, ut in plebeiorum Judæorum libris, qui ejuſmodi mendis ſcatent. Iſti ſiquidèm vocum ſententiarumque ſe invicem conſequentium decepti ſimilitudine, contextûs verba lacera & decurtata repræſen- De Bibliis privatorum hominum.

C

præsentant, scriptioni suæ vix attenti.

Præterea multi refert unde & à quibus sumpti fuerint manuscripti Bibliorum codices; quandoquidem Hispanici Germanicis, Gallicis & Italicis longè sunt emendatiores, quia Judæi Hispani castigandis suis codicibus præ ceteris Judæis animum applicuêre, καλλιγραφίας etiam curiosi: unde Elias Levita in hoc studii genere non mediocritèr versatus, post enumerata diversa Bibliorum exemplaria, de Hispanicis ista subjungit; *liber* אשפמיא *Aspamia liber est complectens codices Hispanicos, quia illi sunt reliquis omnibus codicibus emendatiores.* Horum similitèr meminit R. David Kimchi cùm in suis passim operibus, ספרים סרויקים seu *libros correctos* appellat: Quâ in re Judæi Hispaniam incolentes, linguam suam, Arabum exemplo, à quibus id omne quod habent artis Grammaticæ mutuati sunt, excoluere: studiúmque omne & industriam castigandis Bibliorum exemplaribus contulerunt. Eumdem Kimchium qui natione erat Hispanus, laudat Aben Melech, quòd conquirendis Hispanicis, & probæ notæ exemplaribus, operam dederit. *Quis laboravit ut ille*, inquit, *in quærendis libris correctis qui erant in Hispaniâ?* Quâ autem ratione isti codices distingui & internosci possint, explicatu facile est: nam Hispanici characteres præ se ferunt quadratos formáque eleganti, quales conspiciuntur in Bibliis Regiis à Plantino Antverpiæ editis, & Roberti Stephani; quæ haud dubiè ex codicibus Hispanicis exscripta sunt: Italici & Gallici paulò rotundiores sunt: Germanici verò literas Gothicas imitantur; viderique possunt in libris Hebraicis, qui primò editi sunt in Germaniâ, & in Bibliis Hebraicis Munsteri. Frequentissima sunt maximè in Europâ ejusmodi exemplaria, quæ etiàm in formâ majori & grandioribus literis cum Masorâ ad marginem, variis figuris & imagunculis expressa, descripta sunt. Talem codicem miris modis extollit Joannes Leusden linguæ Hebraicæ Professor Ultrajectinus, ad quem edita sunt Biblia Hebraica non ita pridèm Amstelodami in Octavo. Illum enim præcipuè ex eo commendat, quòd Masoram magnam in margine repræsentet sub ursarum, canum, boum, aliorúmque animalium formis; sed dignum potiùs exemplar istud quod pueris ob ludicras variorum animalium formas conspiciendum proponatur. Codices Hispanici, qui

[Margin notes: Biblia emendatiora. — El. Lev. in Siphre Luchoth. — Aben Mel. in Michlol Jophi. — Leusd. præf. in Bibl. Heb. Amstel. in octavo.]

qui sunt probæ notæ, Masoram simplicitèr descriptam exhibent, neque ullæ prorsùs in iis lineæ apparent, quæ in animalium & plantarum figuras ducantur. Itaque manuscripta Bibliorum exemplaria, quò majorem ostendunt simplicitatem, eò castiora sunt & emendatiora. Sub his animalium & plantarum figuris errores suos Scribæ imperiti occultant, neque in verbis contextûs exscribendis, quàm in Masorâ exarandâ, accuratiores sunt.

CAP. III.

Expenduntur diversi Bibliorum codices manuscripti; variæ illorum lectiones doctiorum Judæorum testimoniis probantur.

Ficta esse quæ Judæi nonnulli de Bibliorum exemplaribus Esdræ manu exaratis commenti sunt, nemo paulò cordatior ætate nostrâ dubitat; similitèr & ea, quæ de aliis codicibus Bononiæ, ut auctor est Finus Ferrariensis; vel Cabilone, ut aliis visum fuit, asservantur, relata sunt. Suppositam quoque esse constat antiquitatem illam, quam Samaritani Sichemitico legis Mosaicæ exemplari tribuunt: reperti sunt etiam inter Christianos, qui pro tuendo Latino Interprete, codices suppositos valdè commendàrint. Ita Lindanus Psalterii cujusdam textûs Hebraici exemplar, quod erat in Angliâ, & mirè consentiebat cum Latinâ editione, ostentat. Sed confictum illud fuisse, & planè adulterinum, Isaac Levita, publicus Senatûs Coloniensis Professor, ex solo Linguæ Hebraicæ ingenio sagacitèr deprehendit. Contendebat Lindanus multa in Bibliis Hebraicis, deditâ operâ & ex odio adversus Christianos, à Judæis corrupta fuisse; idque adstruere conabatur ex fide codicis illius Anglicani, quem olim fuisse Augustini Archiepiscopi, affirmare non

Codices Bibliorum suppositi.

Is. Lev. in defens. verit. Hebr. adver. Lind. lib. de opt. gen. interp.

non dubitavit: Sed Arias Montanus post diu quæsitum, ac tandem repertum exemplar istud, dolet virum gravissimum & doctissimum hæc ex fide alienâ scripsisse & docuisse. *Neque liber*, inquit, *antiquus est, neque ab aliquo, qui Hebraicam linguam cognôrit, scriptus; sed à Scribâ Latinas elegantèr pingendi literas non ignaro LXXX, aut ad summum C, abhinc annis depictus; brevis liber brevi charactere Hebraico, imitatione magis, & pingendi peritiâ, quàm legendi notitiâ relato, adeò corruptè descripto, ut vix ullum verbum integritatem suam retinere videatur.* Ex quibus colligere est, non solùm non audiendos esse Judæorum Magistros, dum plus æquo librorum suorum antiquitatem & integritatem commendant; sed ne quidèm viros Christianos, etiàm pietate & eruditione conspicuos, dum ficta pro veris nobis obtrudunt exemplaria.

Ar. Mont. ad appar. Bibl. Reg.

Ficta codicum quorumdam antiquitas.

Fuere & apud Judæos veri ac germani Bibliorum codices manuscripti, qui non eam præ se ferunt antiquitatem, quam illis tribuunt. Ita famosum est & magni nominis apud illos Hillelis exemplar, de quo in libro Juchasin ista habentur: *Anno 984 fuit persecutio magna in Regno Leon, tunc autem inde adduxerunt exemplar librorum Scripturæ, quod descriperat R. Hillel: ex eo correxerunt omnia exemplaria; vidi ego partem illius divenditam in Africâ, quâ ætate jam elapsi fuerant, ex quo exscriptum fuerat.* R. D. Kimchi tùm in opere Grammatico, tùm in Commentariis in Scripturam, interdùm quoque ejusdem codicis meminit; & suâ ætate, illius exemplaris Pentateuchum Toleti fuisse, affirmat: similitèr R. David Ganz, & alii passim Judæi, illud, tanquàm pervetustum & optimæ notæ librum, in majus attollunt. Celeberrimum etiam istud Hillelis nomen viris inter Christianos linguæ Hebraicæ & Criticæ sacræ peritissimis imposuit: ita Cunæus exemplar Hillelianum appellat *venerandæ antiquitatis codicem, quem suâ manu conscripserit R. Hillel summus Judæorum præsul, qui Babylone in Syriam venerat sexaginta annis antequàm Deus dominúsque noster Christus nasceretur.* Schickardus etiàm ejusdem codicis vetustatem ac bonitatem mirè prædicat, testemque profert assertionis suæ Eliam Levitam: quasi Doctissimus ille Judæus in eâ fuerit sententiâ, ut Hillel redux è captivitate Babylonicâ illum manu suâ descripserit. Verùm longè alia mens fuit de hoc argumento Eliæ Levitæ, qui suo seipsum gladio jugulâsset,

Lib. Juchasin seu Famil.

R. D. Ganz in Tsemach David. p. 56.

Cun. lib. 1. de Rep. Hebr.

Schick. de Jure Reg. Hebr.

jugulâsset, si illud de Hillelis codice tulisset judicium, quod illi perperàm & falsò tribuit Schickardus. In eo siquidèm Hillelis exemplari exstant puncta vocalia, accentus, & alia, quorum Elias auctores facit doctores Scholæ Tiberiensis, quos putat Talmudistis & B. Hieronymo posteriores: vana quoque sunt & futilia ea omnia quæ in librum suum de punctorum antiquitate conjicit Buxtorfius, ut ostendat Hillelem istum B. Epiphanio coævum, Masorethis Tiberiensibus superiorem exstitisse : similitèr frustrà se contorquet vir acerrimi judicii Ludovicus Cappellus varia de codice Hilleliano conjectans; ob penuriam quidem codicum manuscriptorum, viri isti nihil certi de Hillele & ejus Bibliis definire potuisse videntur: sed ex unius R. D. Kimchi libris, qui omnium manibus teruntur, facili negotio deprehendere poterant, Hillelem Tiberiensibus posteriorem fuisse. Cùm pleræque codicis Hilleliani à ceteris discrepantiæ sitæ sint in diversitate punctorum vocalium, *Mapphic*, *Dagesch* & aliis ejusdem naturæ minutiis, quas nemo in veterum monumentis exercitatus Epiphanii tempore jam inventas fuisse dixerit. Commentarios quoque Joannis Merceri, qui Hillelianum etiàm codicem interdùm laudat, consulere poterant Cappellus & Buxtorfius.

Buxt. de punct. antiq. par. 2. c. 7.

Capp. de art. punct.

Multas codicis Hilleliani diversas ab editis sive Masorethicis exemplaribus lectiones proferre non esset arduum ex quinque Bibliis manuscriptis iisdemque Hispanicis & probæ notæ collectas; sed quia sunt partem maximam nullius momenti & minuta sectantur, has silentio prætermittam. Paucas tantùm ex libro Josuæ seligam, quæ ad oram perquàm elegantis exemplaris Hispanici, inde jam ab annis IↃ exarati, annotatæ exhibentur; sed diversâ & recentiori manu. Josuæ capite vi. ubi in editis, sive Masorethicis, plenè legitur חקיע legitur בהללי seu in Hilleliano חקע nòn plené. Capite x. ejusdem libri in Hilleliano exstat ויראו absque *Schurec*. Eodem capite pro מֵהֶם cum vocali *Segol* sub *He* vulgò scribitur מֵהָם cum *Camets* sub *He*. Pudet reliqua persequi, quia leviora sunt, si unum ejusdem libri Josuæ locum excipias, capite xxi. ubi in Masorethicis exemplaribus duo versus integri desiderantur, quos venerandus ille codex, qui ad usum *Nasci* seu Principis exaratus fuit, integros repræsentat. In margine autem illius hæc leguntur addita

ab-

ab eo qui exemplar istud innumeris locis ad Masorethicum reformavit, לא מצינו אלו השנים פסיקים בהללי *Non invenimus duos hosce versus in Hilleliano:* & hinc confirmatur lectio Masorethica, quæ tamen vitiosa esse videtur.

Licèt autem suspicari Hillelem istum natione Hispanum fuisse, celeberrimumque Scholæ alicujus Rectorem, qui Masorethicam editionem jamdudùm publici juris factam, ad vetusta exemplaria locis aliquot reformârit. Post illius obitum, ejus codices, tanquàm vulgatis emendatiores, in precio esse cœperunt, maximè apud provinciæ suæ homines; & ut *Omnia post obitum fingit majora vetustas*, ità clarissimum Hillelis nomen simplicioribus facilè imposuit, idemque posteà Judæos etiàm eruditos, re minùs perpensâ in errorem abduxit. Et ut ità sentiam, facit ipsa codicis Hilleliani natura, qui in perpaucis tantùm, iisque levissimis à Masorethico discrepat, qui tunc temporis publico Scholarum omnium usu & auctoritate comprobatus fuerat; idque ex eo confirmari videtur, quòd tunc plures Magistri, præsertìm in Hispaniâ, etiàm post improbum Masoretharum laborem, quem plurimi faciebant, scripturas variantes in suis libris ex vetustioribus desumptas annotare nòn dubitârint. Et hûc referri debent RR. Judæ, Jonæ, Kimchii & aliorum doctorum animadversiones, qui haùd infrequentèr recurrunt ad ספרים מרויקים *libros correctos:* quò etiàm revocanda est nota illa בספר אחר *in alio exemplari*, quæ oram codicum MSS. præsertìm Hispanicorum, occupat. Hillelem verò natione Hispanum fuisse, nòn ex eo solùm probari potest, quòd in Hispaniâ repertus fuerit ejus codex Biblicus, & à Judæis Hispanis primùm laudatus; sed indè etiàm, quòd diversas illius lectiones in Hispanicis exemplaribus annotatas deprehenderim, secùs in Germanicis & aliis.

Simili ratione dixerimus Bibliorum codices, quos Judæi sub nominibus Ben Ascer & Ben Nephtali commendant, à viris etiàm profectos, qui Academiarum Rectores expurgandis codicibus operam suam dederunt. Quà autèm ætate vixerint, apud Judæos, qui rerum suarum, ac præsertìm rei Chronologicæ, minùs curiosi fuerunt, haùd constat. Vulgò tamen illorum ætas refertur ad annum Christi MXXXIV. adeóque ad tempora Tiberiensibus Masorethis longè posteriora: Ità senti-

unt

unt R. Gedalia, R. David Ganz, & alii complures etiàm inter Christianos. Nota sunt quæ R. Moses scripsit de codice Ben Ascer, quem asserit ætate suâ notissimum in Ægypto fuisse, ad quem Hierosolymitani Judæi libros suos correxerint. *Illo omnes utantur*, inquit, *eo quòd correxerit eum Ben Ascer: & in eo desudavit annis multis, atque illum correxit multotiés.* Nimirùm Præfecti Academiarum sibi, pro Judæorum more, exscribebant codices, qui posteà in usum provinciæ, cujus erant Principes, cesserint; præsertìm si quid nominis ob eruditionem sibi comparaverant: unde exorta fuisse videtur illa diversitas lectionum, quæ inter manuscripta diversæ ætatis ac provinciæ exemplaria reperitur; nec id diffitentur ipsi Judæorum Magistri, qui existimant Judæos Occidentales, in describendis suis codicibus, R. Ascerem secutos esse; Orientales verò R. Nephtali. Occidentales autèm illos appellant, qui Hierosolymorum; Orientales verò, qui Babylonis terras incolunt. *Codex Hierosolymitanus*, inquit Elias Levita, *ille est quem secutus est R. Jona Grammaticus, teste R. David Kimchi, forsánque exemplar illud est quod correxit Ben Ascer, qui multo tempore fuit Hierosolymis.*

R. Moses Tephill. cap. 8.

R. Elias Lev.

Lectiones autèm in quibus secum Magistri illi diffident, in rebus etiàm minutioribus, nòn secùs atque Hillelianæ, versantur: nec eas hîc referre videtur operæ precium, cum illarum catalogus Bibliis Venetis in majori formâ editis, & inde Basileensibus & Anglicanis, annexus fuerit. Sufficiat annotâsse manuscriptos ejusmodi varietatum catalogos, qui ad calcem Bibliorum quorumdam manu exaratorum habentur, quosque consulere licuit, nòn perfectè & ex omni parte, cum editis Basileæ, Londini & Venetiis consentire. Nonnullæ siquidèm quæ in vulgatis editionibus auctorem præferunt R. Ascerem, in illis, ad earum classem, quarum putatur auctor R. Nephtali, revocantur: cujusmodi est, quæ numeratur sexta, & quæ deinde sequuntur. Alias etiàm adjiciunt manuscripti illi catalogi; alias verò omittunt, præter editas. Ubi lineolam *Maccaph*, vel accentum lectio hodierna repræsentat, recentiores MSS. vocalem vel punctum *Dagesch*, vel quidpiam simile exhibent. Nec alitèr profectò fieri potuit in contexendâ ejusmodi minutiarum serie, quas levitèr perstrinxi, quià nullius omninò sunt utilitatis. Si enim diversas generis istius varietates, quas in evolvendis codicibus

dicibus MSS animadvertere licuit, in unum veluti corpus conjicere animus esset, illarum collectio in magnum haud dubiè volumen excresceret. Pingue otium illis fuisse necesse est, qui Polyglottorum Anglicanorum editionem accurârunt, cùm lectiones istas ordine quasque suo digestas nòn modò ut in Basileensi & Venetâ editionibus ferebantur, publicaverint; sed & singula Scripturæ sacra loca, quorum index hactenùs desideratus fuerat, his religiosè adjecerunt. Demiror viros alioqui eruditos, hisce minutiis lectionum detineri; ad eas verò lectionum diversitates, quæ jàm ante Doctorum Tiberiensium tempora, codices sacros occupârunt, & sunt maximi momenti, segnes admodùm se præbere. Quodque adhùc pejus videtur esse, illi in veterum scriptorum libris minimè exercitati; sed earum tantùm, quas modò retulimus, varietatum exemplis assueti, miram esse codicum Hebraicorum inter se concordiam pronunciant. Subjici quoque hìc possent diversitates illæ, quæ Judæos inter בין מערבאי ומדנחאי *Occidentales & Orientales* exstant, sed ut editæ sunt ac paucissimæ, quæ alicujus sint momenti, ne variantium scripturarum amplificator esse videar, parcam illis recensendis, maximè cùm jàm illarum series ad calcem Bibliorum Basileensium edita fuerit. Ex his tamen confici potest exemplaria Hebraica nòn ità perfectè in omnibus consentire inter se, ut nihil omninò sit discordiæ, sicuti Judæis plerisque ex eorum sequacibus inter Christianos Hebraistis visum fuit; quandoquidèm ejusmodi lectionum aliquot, licèt pauciores, diversum pariant sensum.

Diversæ lectiones apud Rabbinos.

Jàm ad Magistrorum veniamus testimonia, quæ eamdem de scripturis variantibus sententiam confirmant. Nòn desunt apud Talmudicos Doctores diversarum lectionum exempla ab editis, seu Masorethicis codicibus, quarum nonnullas profert R Jacob Hajim, easque haud invitas agnoscit Buxtorfius, Masorethici Codicis defensor pugnacissimus, etsi pauculas agnoscat, easque nullius ferè momenti, quæ sensûs veritati sæpiùs nòn officiant; cùm in dictionibus plenè vel defectivè, uti loquuntur scribendis, partem maximam versentur. Verùm ex pauculis illis, quas in exemplum affert R. Jacob Hajim, demonstrari potest etiam aliquos reperiri, quæ mutent Scripturæ sensum. Dixerim tamen frustrà quæri, in Talmudico opere nunc

R. Jacob Hajim præf. in Mas. magn. Buxtorf. in Anticr.

edito,

edito, diversas illas lectiones, quæ olim ex eo faciliùs colligi poterant; quandoquidèm indè jam à pluribus sæculis Judæi libros omnes, etiàm manuscriptos Bibliorum codices ad Masorethicos reformare nòn dubitârint, ut inter legendum hosce libros sæpiùs deprehendi. Cavendum autem est, nè ista loquendi formula, quam frequentèr in Talmude usurpant, *ne legas sic sed sic*, ad lectionum varietatem trahantur; lusus est enim allegoricus illis Doctoribus admodùm familiaris, qui servatâ dictionum, ut ità loquar, substantiâ diversos unius ejusdemque vocis legendæ modos puerilitèr commenti sunt. Siquis otio abundans in ea Scripturæ loca, quæ in opere Talmudico exstant, voluerit animadvertere, necesse nòn est ut immensa illa volumina, quæ paucissimis pervia sunt, evolvat: habemus enim tabellam cui nomen ספר תלרת אהרן in quâ Scripturæ sacræ loca, quæ laudantur in Talmudicis, exstant suo ordine digesta, indicatis etiàm locis ac paginâ ubi reperiantur in Talmude. Sed ex isto labore improbo quid utilitatis percipi queat vix assequi possum, nisi ad pervetustos Talmudis codices, qui impuras Judæorum Criticastrorum manus effugerint, posset recurri.

Longè plura ejusmodi varietatum exempla reperiuntur in Judæorum recentioris ævi libris, etsi lectionis Masorethicæ vindices acerrimos se præbeant. Ità R. David Kimchi nòn ità religiosè codicibus Masorethicis adhæret, quìn eos interdùm relinquat: quâ ratione expendens verba illa Ezechielis Prophetæ למקדש מעט hæc observat, *nomen mikdasch notatur vocali Pathach sub Daleth, quâ construitur cum dictione meath: neque enim meath est nomen adjectivum sed substantivum, ut reperi in quibusdam exemplaribus correctis. In aliquibus verò reperi Camets, & hoc modo erit adjectivum.* Ubi in hodiernis exemplaribus legitur, *repleta est terra* דמים *sanguine*, habuit ipse in suo codice חמס *iniquitate*; aliam tamen lectionem *in quibusdam exemplaribus correctis* exstare animadvertit. De vocabulo *elgavis*, quod legitur ejusdem Ezechielis capite xiii. ità loquitur: *lapides elgavis sunt lapides grandinis similes gavis, quià in quibusdam libris correctis duæ sunt dictiones; in quibusdam verò elgavis una est dictio.* Sed frustrà his diutiùs detineor, cùm nihil frequentiùs occurrat in Magistri illius Dictionario & Commentariis in Scripturam

R. David Kimchi comment. in cap. 11. Ezech.

quàm

quàm loquutiones istæ, *in libro correcto, in libris aliquot correctis,* & similes. Longè adhùc frequentiores occurrunt in Commentariis R. Aben Melech, qui testatur se opus suum ex libris R. Judæ, Jonæ, Aben Esræ, Kimchii & aliorum Grammaticorum compilâsse. Is ad caput xxiv. ejusdem Prophetæ Ezechielis ista, post R. D. Kimchi, observat de voce הַרְקַח quæ in editis, seu Masorethicis, exemplaribus legitur cum vocali *Pathach* sub literâ *He: harkach est infinitivum vel imperativum conjugationis Hiphil.* *R. Jona scribit se reperisse in libro Hierosolymitano dictionem illam notatam Camets sub He, & hoc modo erit infinitivum conjugationis Hophal. Scribit quoque se eamdem dictionem offendisse in codice Babylonico notatam Pathach, & testatur R. D. Kimchi se hâc quoque ratione scriptam invenisse in libris correctis.*

Aben Melech ad cap. 24. Ezech. v. 10.

Ex hâc lectionis diversitate illustrari possunt verba illa Isaiæ השמן לב העם הזה quæ alitèr LXX. Interpretes, alitèr Hieronymus transtulêre: illi enim legerunt הָשְׁמַן quasi esset *Camets* sub literâ *He*, & hâc ratione interpretati sunt, ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, *incrassatum est enim cor populi hujus.* Hos sequuti sunt novi Testamenti Scriptores. Hieronymus verò, quià lectioni Judæorum ætatis suæ addictus fuit, eadem verba ità convertit; *excæca cor populi hujus*: & quærit anxius cùr Paulus in novo Testamento, *non juxta Hebraicum quod rectum esse noverat, sed juxta LXX sit locutus.* Quâ in re lectionis quam à Magistris suis hauserat tenaciorem se ostendit. Diversæ enim loci illius expositiones facili negotio conciliari poterant, & eodem planè modo quo suprà Kimchius & alii Magistri diversas verbi הרקח interpretationes ad lectionis diversitatem retulerunt. Legerunt quippe LXX Interpretes *hoschman*, in *Hophal*, Hieronymus autèm *haschman*, in imperativo conjugationis *Hiphil.*

Isai. cap. 6.

Hier. ad cap. 6. Isai.

Complura etiàm hîc possem conjungere ex R. Aben Esræ, cognomento apud Judæos Sapientis, operibus: qui ut erat rei Criticæ peritus, ità ab ætatis suæ codicibus & lectionibus Masoretharum noluit totus dependere; sed ad sensum potiùs quàm codicis sui literas sæpè animum advertit. Quâ ratione, ut alia taceam, literas *Aleph, Vau, Jod,* quas vulgò lectionis matres appellant, suntque veræ ac priscæ linguæ Hebraicæ vocales, pro Scribarum arbitratu modò omissas, modò additas existimat.

Aben Esr. præf. Comment. in Leg.

Mirum

Mirum tamen est quàm sedulò literæ istæ à viris Tiberiensibus observatæ fuerint, quotiès nimirum adesse & abesse debeant. Nòn enim putavit doctissimus ille Magister decretis Masoretharum & eorum exemplaribus ità religiosè standum esse, ut ab his discedere nefas fuerit. Undè sub finem libri sui *Jesod Mora*, hæc scribit; *nullatenùs autem necesse est observare ejusmodi literas Jod, He, Vau, Aleph, in se invicem permutata modò addi, modò detrahi* &c. Quare pasìm in suis Commentariis nòn tàm ad scriptionis modum attendit, quàm ad rationem sensûs. Quo pacto Commentario in Psalmum v. verbum נסה scriptum per literas *Samech* & *He*, idem esse putat atque נשא scriptum per *Sin* & *Aleph*. *Non abs re fuerit*, inquit, *ibi He idem esse atque Aleph, & Samech idem ac Sin.* Similitèr explanans caput ii. Joëlis, postquàm animadvertit nomen פארור venire ex radice פאר *ornavit*, mòx observat, R. Japhetum derivare idem vocabulum ex aliâ radice; quasi litera *Aleph* ex illarum numero esset quæ abundant, uti loquuntur Masorethæ, suntque inutiles, & quasi legendum esset פרור absque *Aleph*: Et esse לשון שחרות seu significare nigrorem. Quo sensu à plerisque interpretum dictio ista vulgò sumitur, & hanc etiàm lectionem confirmat Judæus qui Masoram compilavit, adjectâ ad contextûs Hebræi marginem istâ animadversione; *hæc dictio ex earum numero est, quæ scribuntur in medio per Aleph & nòn legitur.*

Id. in lib. Jes. Mora.

Id. ad Psal. 4.

Demùm nòn defuisse videntur etiàm apud Judæos viri Critici qui in notandis diversorum codicum lectionibus omnem operam suam collocârint: inter quos principem locum obtinent R. Menahem de Lonzano in opere cui nomen fecit, *Schethe Jadoth*, & auctor cujusdam libelli qui inscribitur *Minchath Cohen*: ille universum opus suum in duas partes distribuit, & unaquæque pars, sive manus, digitos quinque complectitur, quorum primus scripturas variantes, quas in diversis Legis Mosaicæ codicibus MSS. potuit deprehendere, illustrat ope decem exemplarium manu exaratorum, quæ inde jàm à IↃ aut IↃC annis descripta existimat, eáque confert cum secundâ editione Bombergi in folio, quæ omnium accuratissima est: hujusque dictiones omnes, literas, puncta & accentus minutè considerat. Manuscriptos etiàm operis Masorethici codices & alios similes vocat in auxilium. Verùm labor iste improbus nimiáque illa

diligentia R. Menahem nòn aliò tendit quàm ut demonstret variantes illas Scripturæ lectiones, quæ in diversis Bibliorum exemplaribus reperiuntur, ad Masoram tanquàm ad certam legendi scribendique rationem exigi debere. Idem sentit auctor libelli *Minchath Cohen*, qui de vocibus plenè vel defectivè, uti loquuntur, scribendis acutè disserit: studétque diversas lectiones, ope imprimis Masoræ & librorum correctorum primæ, ut putat, sinceritati restituere. Necessariò itaque examinandi sunt codices illi Masorethici quorum sinceritatem tàm miris laudibus exornant Judæi; utrùm videlicet adeò puri & castigati sint, ut ab his tantillùm discedere sit religio.

CAP. IV.

De editis, quæ Masorethica sunt, Hebræi contextûs exemplaribus. De Masoretharum arte. Illius origo. Quid de illâ sentiendum.

De hodiernis Bibliorum exemplaribus.

NOn alia sunt hodiernis temporibus contextûs Biblici exemplaria quàm illa quæ vulgò Masorethica appellantur. Nòn enim alia indè jàm à pluribus sæculis Judæi agnoscunt, eáque ab his ad Christianos pervenerunt. Undè orta est maxima illa quæ inter tot codices diversorum locorum & temporum reperitur consensio; si pauca eaque minuta excipias, quorum etiàm pleraque Scribarum oscitantium potiùs sunt σφάλματα, quàm variæ lectiones. Quî autem aliter fieri poterat, quandoquidèm Judæi qui opus Masorethicum veluti quid Divinum respiciunt, codices Bibliorum manuscriptos ad illud reformare veriti nòn fuerint, erasis literis, dictionibus, imò & sententiis integris in MSS. exemplaribus, ut ità Masorethicis conformarentur? Hæc inter evolvendum Biblia manu exarata à CCCC. & D. annis sæpiùs deprehendere licuit: & hinc nata est

est haùd dubiè mira illa quæ inter Bibliorum codices editos reperitur concordia; ad quæ dùm nòn satis attendunt nòn modò Judæi, sed & inter Christianos viri eruditissimi, codicis Hebræi sinceritatem admirati nimios illius amplificatores se ostendunt. Ità Arias Montanus liberè affirmat, ope Masoræ contextum Hebræum tantâ diligentiâ tantâque curâ conservatum fuisse, *ut nullam vel minimam in variis exemplaribus discrepantiam admisisse vel à diligentissimo vel perspicacissimo alicujus ingenio & judicio deprehensus unquàm fuerit.* Similitèr Buxtorfius, vir in hoc studii genere diù multùmque volutatus, Masoram quasi ad nos cœlitùs delapsam, præter modum his verbis prædicat: *hìc quà latissimè patent oriens & occidens uno ore, uno modo verbum Dei legitur. Hìc omnium librorum qui vel in Asiâ, vel in Africâ, vel in Europâ sunt, sine ullâ discrepantiâ cernitur. Non sic contigit ulli genti, cùm nec Chaldæorum, nec Græcorum, nec Romanorum aliorùmque populorum libris hanc felicitatem obtigisse videamus.*

Arias Mont. in appar.

Buxtorf. in Tiber.

Verùm egregius iste Masoretharum laudator ex præconceptâ Judæorum opinione, nòn autem ex rei veritate loquitur. Magistrorum illorum nugas, quià eorum libris se totum dederat, in Commentaria, quæ de Masorâ conscripsit, transtulisse videtur. Quâ ratione plerosque Theologos Protestantium, & eos præsertim qui septentrionem incolunt, ad suam, seu potiùs Judæorum, de contextûs Hebræi integritate sententiam, Rabbinorum testimoniis quasi obrutos, pertraxit. De isto opere longè aliud sentiunt, qui in veterum monumentis exercitati, maxime B. Hieronymi Commentariis, habent aliquid eruditionis Criticæ; nec ea statim pro veris arripiunt, quæ inter somniandum Judæi imperitè commenti sunt. Audiendus est potiùs hâc in re Elias Levita, qui solus inter Judæos Masoræ studio se applicuit, quàm turba Judæorùm, qui illud penitùs ignorârunt. Doctissimus autem Magister ille Munstero per literas roganti, quinam essent viri isti Masorethæ, qui vulgò dicuntur Tiberienses, ità respondit sermone Judaico; *scribit R. Jona Judæos Tiberienses in linguâ sanctâ fuisse exercitatos, eamque elegantiùs ac nitidiùs ceteris Judæis pronunciare. Scribit quoque R. Aben Esra ex iis prodiisse auctores Masoræ, punctationis & accentuum contra communem patrum nostrorum felicis memoriæ sententiam,* *qui*

Elias Lev. in epist. ad Sebast. Munst.

qui asserunt Esram Scribam hoc ordinâsse. Ità quæ de Judæorum Tiberiensium eruditione ac peritiâ sermonis Hebraici refert Elias, cum iis, quæ jàm de illis ab Origine, Epiphanio & Hieronymo scripta fuerant, consentiunt. Hic testatur se, ex Judæorum Tiberiensium Scholâ, Judæum Magistrum sibi accersivisse, cujus operâ in convertendis ex Hebræo in Latinum sermonem Chronicorum, seu Paralipomenon, libris usus fuerit. Sub finem etiàm Actionis v. Synodi Nicenæ II. fit mentio Doctoris cujusdam Judæi Tiberiensis, qui, imperante Leone Isaurico, auctor fuerit latæ sanctionis adversus Christianorum imagines. Undè liquet Judæorum Tiberiensium Scholam, quibus opus Masorethicum, seu exemplaris Biblici, quo nunc Judæi & Christiani utuntur, castigatio tribuitur, celeberrimam fuisse patrum nostrorum ætate, multumque auctoritatis, præsertìm apud Judæos, obtinuisse: ex quo posteà factum fuerit, ut illorum animadversiones Criticæ in diversa, quæ tunc circumferebantur, Bibliorum exemplaria, faciliùs à reliquâ Judæorum natione receptæ fuerint.

Nugæ sunt igitùr, & Judæorum febricitantium deliramenta, quæ illorum plerique, iisque ducibus Christiani nonnulli, de Masoræ suæ origine & antiquitate effutiunt: quasi Moses ipse ex parte auctor illius fuerit, & ex parte Esdras cum Synedrii Senatoribus. Masoram longè post Græcos Interpretes & B. Hieronymum, qui usus Magistris Tiberiensibus, nusquàm tamen illius meminit, inventam fuisse res ipsa declarat. Fuêre apud Judæos, sicùt & apud reliquas nationes, viri Critici, qui linguam suam excoluerint, librósque suos artis Criticæ beneficio & ope codicum manuscriptorum correxerint. Variantes quas interdùm Critici illi observant scripturæ, quasque ad oram codicis Hebræi retulerunt, diversa ab ipsis recognita fuisse Bibliorum manuscriptorum exemplaria manifestè evincunt. Quid autem hâc in re Divini fingi potest? Quidque in libris Græcis & Latinis, successu longè feliciori, præstitum nòn fuerit? Verùm Judæi, quos ad superstitionem potiùs quàm religionem natos videmus, quià artis Criticæ, quæ à Græcis Latinisque hominibus probè exculta fuit, penitùs rudes, opinionum monstra commenti sunt, quæ avidiùs posteà Christiani nonnulli amplexati fuisse videntur. Elias Levita, qui Romæ, Venetiis & in aliis Italiæ partibus

partibus virorum eruditorum consuetudine usus fuerat, neglectâ patrum suorum traditione, nòn aliud de Judæorum quàm de Græcis Latinisque libris judicium ferendum esse rectè animadvertit: opinionisque suæ sequaces habuit, inter Christianos, eos omnes quibus aliqua fuit linguæ Græcæ & Latinæ ac rei Criticæ cognitio. Cautè tamen legendos arbitror Ludovici Cappelli & Joannis Morini libros, qui dùm plus æquo Judæis & Hebraistis, in æstu disputationis, se præbent infensos, quid in Masorâ utile, quidve inutile esset, nòn satis assequuntur: quasi hæc eo solùm nomine rejicienda esset, quià à Judæis nobis communicata fuit. Sed hoc ipso nomine accipienda esse videtur, quòd à viris linguæ suæ peritis & in codicibus MSS. exercitatis ad nos pervenerit. Undè enim meliùs lectionis Hebraicæ traditio sumi potuit quàm ab illis qui hanc lectionem in Synagogis & Scholis suis retinuerunt? Traditionis tamen illius decretis, quià humana est, adeóque erroribus obnoxia, nòn ità firmitèr adhærendum est, ut ab eà nefas sit recedere; sed recipienda ut castigata Bibliorum recensio, quæ à celeberrimæ Scholæ Doctoribus profecta fuit.

Masoretharum numerum vix recenseri posse affirmat Elias Levita, &, ut loquitur, *centeni fuère & milleni sibi invicem intra multos annos succedentes, neque compertum habetur tempus quo opus suum aggressi sunt & absolverunt*; definitum videlicèt: quià constantèr affirmat hanc Talmude posteriorem esse, illiusque refert initium ad annum Christi IↃVI. imò natam illam esse crediderim post annum IↃC. & ab Arabibus sumptam, quibus Judæi id omne quod habent rei Grammaticæ & Criticæ acceptum referunt. Habent illi Alcorani sui Masoram, Judaicæ haùd absimilem; numeratis libri illius literis, vocibus & versibus, & hæc à Græcis Latinisque libris, quos in sermonem suum transfuderunt, mutuati fuisse videntur. Primùm quidèm Masoram seorsim à Magistris Tiberiensibus in codices speciales quos intra privatos Scholæ parietes discipulis suis prælegebant, relatam fuisse crediderim. Initio enim puncta vocalia & alias Masorethici artificii notas, illos in contextum Hebræum invehere nòn ausos fuisse, ex eo licet suspicari, quòd puncta vocalia, accentus & pleræque illarum notarum, necdùm etiàm ætate nostrâ in codices MSS. qui publico Synago-

Elias Levita in Masor. Hammasor.

goga-

gogarum usui inserviunt, irrepserint. Probatissima quoque exemplaria MSS. quæ privatorum fuêre hominum, puncta vocalia & alia similia nòn habuisse ex illorum lectione animadverti; verùm posteà à Judæis Criticastris adjecta sunt. Deindè autem Scribæ, cognitâ punctorum & accentuum utilitate, ad lectionem & distinctionem contextûs Hebræi, illa huic addere nòn dubitârunt, quòd legendo contextui multum afferrent commodi. Eodem modo ex notis Masorethicis, quæ tamen in immensum excreverant, selectiores quasdam, vel potiùs illas solùm, quæ in seperatis Masoræ libris continebantur, ad codicum quos describebant marginem, confusè sæpiùs retulerunt; quas in plerisque Judaicorum Bibliorum exemplaribus MSS. videre est: sed longè meliùs in Bibliis Venetis ii. & iii. editionis, quas ex variis libris collectas primus publicavit R. Jacob Ben Hajim, qui dispersas Masoræ partes in eam, quæ nunc scripta apparet, formam redegit. Undè ad ea Biblia, quæ Basileæ edi curavit Buxtorfius, posteà translata est.

Jàm quis ex his, quæ modò allata sunt, confici posse existimet, Judæos ope istius Masoræ seu Criticæ, codices suos ab omni prorsùs mendâ integros conservasse: cùm Critici illi, qui ætatis suæ exemplaribus manum medicam adhibuerunt, neque Prophetæ fuerint, neque spiritu sancto afflati; sed homines, qui celeberrimæ Academiæ Rectores universum Scripturæ sacræ contextum ad prisca illius exemplaria pro muneris sui parte recognovêre, eâdem fermè ratione, quâ B. Augustini opera à Doctoribus Lovaniensibus recognita sunt. Masorethicum laborem ritè comparaverimus Lucæ Brugensis labori circà Latinum Interpretem. Ille siquidèm postquàm Latina editio jussu & auctotirate Sixti V. & Clementis VIII. Summorum Pontificum, à viris rei Criticæ peritis ad pervetustos & bonæ notæ codices expensa fuit à pluribus mendis repurgata, Correctiones istas in unum volumen conjecit, nè in posterum Biblia Latina cum suis mendis in publicum ederentur. Nemo autem paulò cordatior dixerit Vulgatam illam editionem ab omni prorsùs errore liberam esse; cùm Baronius, Bellarminus, Lucas Brugensis, & alii, quorum nonnulli huic correctioni præfuerunt, nòn diffiteantur multa adhùc in eâ superesse, quæ castigari ac reformari debeant. Laudant quidèm Judæorum Magistri in hoc

Masore-

Masoretharum diligentiam & industriam, quòd contextûs Biblici literas, dictiones & versus magno studio & labore improbo recognoverint, nè posteà sacer ille contextus ulli errori esset obnoxius. At quis indè probari putet codices sacros formæ antiquæ restitutos fuisse? Potuerunt quidèm Magistri Tiberienses numerare literas, voces & versus codicum ætatis suæ; verùm illi codices apographi tantùm erant, nòn verò autographi & primigenii. Illos linguæ Hebraicæ peritissimos fuisse, atque castigatissima Bibliorum exemplaria undiquè conquisita ad Criticæ suæ opus adhibuisse, facilè concesserim. Sed curta nimis adhùc illis fuit supellex, cùm nec ad Græcos Interpretes, neque ad Latinum, qui in condendis suis translationibus, codicibus à Masorethicis discrepantibus usi sunt, recurrere potuerint. Iterùm pro Masoretharum fautoribus pugnat ipsa traditio, ut ipsum Masoræ nomen sonat, quasi lectionem contextûs Hebræi, indè jàm à pluribus sæculis usu receptam, fecerint certam & indubitatam, punctorum aliarúmque notarum beneficio. Pugnat etiàm pro hodiernâ Judæorum Masorâ & editis Bibliorum exemplaribus secta Carræorum, qui, licèt plerasque Judæorum traditiones ut anilia commenta respuant, contextum tamen Biblicum eodem modo, quo fuit à Masorethis Tiberiensibus recognitus, haùd inviti recipiunt cum punctis vocalibus, accentibus & aliis artis Masorethicæ notis.

Verùm ista & alia ejusdem rationis plurima, quæ pro Masoræ & hodierni Bibliorum contextûs defensione afferri possent, probant quidèm Bibliorum codices à Judæis Tiberiensibus recognitos spernendos nòn esse, quià correctio ista auctores habet viros linguæ suæ peritos, qui modum legendi Hebræi contextûs, nòn pro suo arbitratu, sed pro receptâ traditione, arte suâ determinaverint. Indè tamen nemo conficiat, alia omnia Bibliorum exemplaria recognoscenda esse, & castiganda ad illam Masoretharum recensionem, utì Judæorum plerique pertinacitèr contendunt. Græci enim Interpretes & Hieronymus suam quoque legendi Hebræi contextûs Masoram, seu traditionem, habuêre: qui tamen haùd infrequentèr à lectione Masoretharum alieni sunt. Et, quod animadversione dignum, doctissimi Judæorum Magistri, RR. Juda, Jona, Aben Esra, Kimchi & alii nòn pauci, dùm Scripturam

Commentariis suis illustrant, lectionis Masorethicæ nòn adeò tenaces esse videntur, quin illam interdùm corrigant, laudéntque alia exemplaria MSS. quæ vocant correcta, etiàm ubi à Masorethicis discrepant. Itaque sicùt illos, qui Judæis infensiores illorum codicibus plùs æquo detrahunt, minimè audiendos esse censeo; ità neque etiàm omninò audiendi sunt illi, qui opus Masorethicum demirantur, & ut Divinum suspiciunt: hi enim superstitionis Judaicæ fautores rei Criticæ imperitos se ostendunt. Nòn ideò contemnenda est hodierna, seu Masorethica, contextûs Bibliorum lectio, quòd Prophetas, vel homines Spiritu Sancto afflatos, auctores nòn habeat; simili enim ratione libri plerarumque nationum Orientalium rejicientur, quià eadem est prorsùs ratio Chaldaicæ, Syriacæ & Arabicæ linguarum atque Hebraicæ. Illarum nulla cum punctis istis vocalibus, quæ lectionem intra quosdam limites finiunt, nata est; sed hæc à viris Criticis inventa sunt, quòd absque illorum ope librorum suorum lectio parùm constans, in diversas partes trahi posset. Hâc arte famosi illius Impostoris sectatores, Corani sui lectionem, quæ anteà dubia & incerta videbatur, certam fecerunt: & ab his verisimile est Judæorum Magistros sumpsisse puncta illa & alia nonnulla, quæ in Hebræos codices invexêre, ut facilior & paratior esset illorum lectio.

CAP. V.

Masoræ partes ad codices manuscriptos expenduntur & illustrantur. Vera Masoræ origo.

OCcupatur labor Masorethicus circa numerationem versuum, vocum & literarum contextûs Hebræi: ut hâc arte notatis quæ in his erant varietatibus, certa lectio & constans in posterum conservaretur, libérque esset codex sacer ab omni prorsùs mutatione. Numeratos fuisse à Masorethis versus ac dicti-

De arte Masoretharum.

dictiones, nemo in dubium vocat. De literis autem major est difficultas, cùm R. Jacob Ben Hajim, Elias Levita ac Buxtorfius, qui singulas Masoræ partes summâ diligentiâ evolverunt, hanc illius partem negent unquàm publici juris factam fuisse: quorum auctoritate adductus Morinus, illud nunquam a Masorethis præstitum fuisse asseverat: ídque eo videtur probabilius, quòd illa, quæ à nonnullis publicata est, literarum contextûs Hebræi numeratio, à veritate longiùs recedat. Illarum tamen jàm ante vulgatum Talmudem factam fuisse à Judæis recensionem probant ea, quæ adduci solent ex Tractatibus Kiddu-schin & Scribarum, ubi habetur literam *Vau* dictionis גחון Levit. xi. xlii. mediam esse Legis literam. Partem tamen istam Masoræ etiàm à Masorethis neglectam nòn fuisse existimo: eam siquidèm inter evolvendum codices Bibliorum MSS. deprehendi ad calcem exemplaris indè jàm à CCCC. fermè annis exarati, ubi inter plura Masoræ excerpta, quæ codex ille exhibet, exstat literarum recensio quam, iisdem planè verbis, quibus concepta habetur, hîc subjiciam; ut judicent Critici an illa sit accurata. *Libri Geneseos sectiones, quæ appellantur parschoth, numerantur* 12. *quæ appellantur sedarim* 43. *versus* 1534. *voces* 20713. *literæ* 78100. *dimidium exstat in his verbis* ועל חרבך תחיה *puncta verò sunt quinque, &c. Exodi parschoth numerantur* 11. *sedarim* 33. *versus* 1209. *voces* 16513. *literæ,* 63467. *dimidium est in his vocibus,* אלהים לא תקלל. *Levitici parschoth sunt* 10. *sedarim* 25. *versus* 859. *voces* 11902. *literæ* 44989. *dimidium in his* והנגע בבשר הזה. *Numerorum parscoth* 10. *sedarim* 33. *versus* 1388. *voces* 16707. *literæ* 62529. *dimidium* והיה איש אשר אבחר. *Deuteronomii parschoth* 10. *sedarim* 30. *versus* 9055. *voces* 16394. *literæ* 54892. *dimidium* ועשית על פי הדבר. *Numerum literarum aliarum contextûs Biblici partium nòn repræsentant excerpta ista Masorethica.* Si hæc literarum Legis Mosaicæ numeratio comparetur cum illa, quæ in Bibliis Venetis & Basileensibus edita est, hanc mendacissimam esse facilè deprehendemus; quandoquidèm in libro Geneseos literas tantùm 4395. exhibet; prior verò catalogus, quem ex codice MSS. produximus, 78100. recenset, adeóque minùs à veritate alienus esse videtur. Quâ autem ratione tàm improba Judæorum Masorethaum diligentia in numerandis contextûs Biblici literis, *Legis sepimentum* appellari possit,

ſit, cujus beneficio ab omni prorsùs mendâ & corruptione integra ſervata fuerit, vix aſſequor: cùm illi, qui tàm anxio labore defuncti ſunt, nòn alias quàm codicum ſuorum literas dinumeraverint, quos nemo ſapiens incorruptos fuiſſe & ipſi autographo æquandos eſſe exiſtimaverit. Deindè, ut rectè animadvertit Aben Eſra, literæ *Ehevi*, ſeu *Aleph, He, Vau* & *Jod*, ſæpiùs adſunt & abſunt pro Librariorum, qui codices exarant, varietate. Nemo ſanè, paulo cordatior ac rei Criticæ peritus, ex eo ſolùm quòd Maſora vocem hanc, vel totiès plenam, vel deficientem obſervet, ſtatìm exemplària Biblica, quæ aliud præ ſe ferunt, tanquàm minùs bona, improbaverit: verùm lectionem utramque veluti probabilem amplexatus, nihil prorsùs in re tàm incertâ definiet; doctus ſcilicèt Septuaginta Interpretum, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, necnòn B. Hieronymi exemplis, qui in ſuis tranſlationibus, neque cum Maſoretharum codicibus, neque inter ſe haùd infrequentèr conſentiunt. Graviſſimè igitùr allucinantur Judæi, & eorum ſequaces Maſoricolæ, qui ex nudâ literarum dictionúmque numeratione factâ à Magiſtris Tiberienſibus colligi poſſe arbitrantur codicem ſacrum primæ formæ reſtitutum fuiſſe, & loco authentici ac primigenii exemplaris habendum. Quo nihil inſulſiùs fingi potuit, maximè poſt tàm longam annorum ſeriem, quibus lingua Hebraica veluti ſepulta fuit, & Judæorum traditio intermortua, ſaltèm admodùm interrupta: Quapropter Maſorethas, qui tàm anxiè literas & dictiones contextûs Hebræi numeraverunt, rectè comparavit ſapiens Aben Eſra iis qui numerarent folia & paginas libri qui rem medicam pertractat: quæ numeratio nihil prorsùs ad ægroti ſanitatem conferre poteſt.

De verſuum diſtinctione quæ in editis, ſeu Maſorethicis, exemplaribus apparet, idem omninò ſentiendum arbitror, quod de literarum & dictionum numeratione. Hujus ſiquidèm recenſionis auctores nòn alias quàm Criticæ leges ſecuti ſunt, in diſtinguendis hiſce verſibus, pro more Grammaticorum. Tamen ſi Talmudiſtas audiamus, *quilibet verſus quem Moſes nòn diſtinxit, nos nòn diſtinguimus.* Sed ſi hæc à Moſe recepta eſt traditio, cur in hàc Maſorethæ cum Talmudiſtis in omnibus nòn conſentiunt? Cur etiàm traditionem illam, cujus Moſes auctor fingitur, Judæis, qui Græcorum Interpretum & Hieronymi ætate vixerunt,

vixerunt, cognita nòn fuit? Hi siquidèm in multis à Masorethis discrepant. Uno eodémque tenore & quasi versum unicum, ut benè annotavit Elias Levita, sacri codicis contextum descriptum fuisse priscis temporibus, nôrunt qui callent artem Criticam: sicùt & olim Græcorum Latinorúmque hominum libri. Hanc fuisse veterum librorum formam universa testatur Criticorum familia Et his verbis Commentarios suos in Iliada exorditur Eustathius. *Unum quoddam corpus fuit omninò continuum ac benè compactum Iliadis poësis. Illam autem concinnârunt Grammatici ex jussu, ut aiunt, Pisistrati Atheniensium Regis, & pro suo arbitratu adaptârunt: quorum coryphæus Aristarchus, & post eum Zenodotus. Quià opus illud prolixum erat & intricatum, adeòque fastidium pariebat, illud in plura partiti sunt. Quas sectiones noluerunt appellare primum librum & secundum ac tertium & deinceps, sicuti fecit Quintus in Homericâ continuatione: sed, quoniàm compositio abundè sufficiebat pluribus sectionibus, conveniens ipsis visum est appellare Tomos nominibus XXIV elementorum*, &c. Laudat Allatius Comatam nescio quem, qui Homerici operis sententias, anteà nullâ distinctione subdivisas, distinxerit atque interpunxerit, ut ex his versibus videre est. Eustath. in Iliad. Homer.

Εὑρὼν Κομήτας τὰς Ὁμηρείους βίβλους
Ἐφθαρμένας, κ' οὐδαμῶς ἐστιγμένας
Στίξας διεσμίλευσε ταύτας ἐντέχνως,
Τὴν σαπρίαν ῥίψας μὲν ὡς ἀχρηστίαν.
Ἐντεῦθεν οἱ γράφοντες οὐκ ἐσφαλμένως
Μαθητιῶσιν ὡς ἔοικε μανθάνειν.

Apud Leon. Allat. animadv. in Antiqu. Etrusc.

Cernens Comatas hos Homericos libros
Jàm putrientes, nullibi & scriptos notis,
Punctis notatos ordinans, rectos dedit:
Marcoris ipsas abscidit putredines:
Ex quo periti nòn errantibus viis,
Discant quod est par discere.

Ex versione Joan. Argoli.

Antiquitùs etiàm versus in Poëtarum libris nullâ erant notâ distincti & à se invicem discreti, quales hodiè in editis exemplaribus apparent: cùm etiàm nunc Grammatici vix queant secernere singulos

singulos versus Odarum Pindari. Verùm quid plura moror? Nihil est omninò causæ, cur libri Judaici meliorem in hâc parte sortem nacti fuerint, quàm Græca novi Testamenti exemplaria, quæ constat nuperrimè in versus distincta fuisse: qui nòn modò nòn exstant in codicibus MSS. sed & nihil eorum planè apparet in multis illorum editionibus, quæ manuscripta exemplaria, à quibus sumptæ sunt, repræsentant. Verùm quidem est jàm indè ab Esdræ temporibus versus Legis inter legendum fuisse distinctos; sed eos nòn idcircò distinxêre Librarii in exarandis suis codicibus, utì posteà à Criticis Tiberiensibus præstitum fuit: quorum legibus nòn magìs teneri debent Judæi, quàm nos Sedis Apostolicæ decretis, quæ post correctam Latini Interpretis editionem, statuit nè in posterum ulla editio Latina typis mandaretur, nisi esset ad formam Vaticani exemplaris recognita. Quam constitutionem bono pacis & concordiæ latam fuisse constat: huícque, quantùm possunt, adhærent in explicando Latino Interprete, qui Romanæ Ecclesiæ nomen dederunt, siquid iis inest prudentiæ, servatis etiàm punctorum, virgularum aliarúmque distinctionum notationibus, quas præ se fert illa editio. His tamen nòn obstantibus, siquandò animadverterint meliorem ex aliâ distinctione, commodiorémque sensum fieri; hanc vulgatæ distinctioni præferre nòn verentur, in suis Commentariis. Quâ in re, etiàm cum viris Catholicis bellè consentiunt Judæi explanatores: qui nòn ità à distinctionibus Masoretharum dependent; ut ab iis discedere sit ipsis religio, ubi receptæ distinctiones contextûs Hebræi sensum nòn ità commodum pariunt. Quibus omnibus addi possunt diversa Bibliorum manuscriptorum exemplaria, quæ & à se invicèm & à Masorethicis hâc in parte interdùm differunt.

Antiquus distinctionis versuum usus quinam fuerit.

Est & aliud versuum genus, cujus mentionem fecisse nòn videntur illi qui hoc argumentum pertractârunt: ex quo tamen laborem Masoretharum suam duxisse originem crediderim. Hos Græci στίχους (Latinè lineas dixerimus) appellârunt. Versus autem quilibet certo quodam dictionum numero comprehendebantur. Solebant autem librorum auctores ad calcem operum suorum numerum versuum, qui in his continebantur, adjicere: ut hâc arte ab additamentis vel diminutionibus, quæ in eos intrudi poterant, se liberarent, ut ipsis videbatur. Ità Diogenes

genes Laertius magnitudinem vel parvitatem librorum, quos in Historiâ suâ laudat, aperit notatis versibus quibus illi constabant. Eodem modo B. Hieronymus volumina ab Origene composita indicat: neque alitèr intelligenda sunt ejusdem Hieronymi verba, cùm asserit septingentos aut octingentos versus deesse. In Jobi libro, secundum antiquam Latini Interpretis editionem, notantur quoque ejusmodi versus haùd infrequentèr in fine codicum Samaritanorum, Syriacorum & Arabicorum: ità ut credibile sit Judæos primùm hanc methodum ab Arabibus, & hos à Græcis desumpsisse, quam posteà subtiles illi Magistri pro ingenio suo amplificaverint. Alios tamen versus in contextu Biblico distinguere necesse ipsis fuit, ob lectionem Legis in Synagogis; hósque claudere nòn quidèm juxta dictionum & literarum numerum, sed ratione sensûs: quià ex eo tempore, quo lingua Hebræa nòn ampliùs fuit Judæis domestica, Legem absque interprete, qui eam in sermonem vernaculum converteret, minimè legebant. Interpres verò, utì jàm suprà observatum fuit, versum duntaxàt unicum, hâc in re prælectorem sequutus, in linguam patriam transferebat; deindè alium, & sic deinceps: ità ut lectionem suam in multos versus partiretur. Nòn alia sanè fingi potest origo versuum illorum qui à Tiberiensibus Magistris in contextu sacro notati sunt, quosque nunc exhibent editi codices. Alios tamen versus iisdem Tiberiensibus cognitos fuisse indè probari potest, quòd interdùm voces ac literas, quibus versus constent, recenseant.

Diog. Laert. in Vit. Philos.

Tertiam versuum speciem agnoscunt Critici, quæ etiàm Doctores Tiberiadis Masoræ auctores fugisse nòn videtur. Vocabulum στίχος, quod Græci sumpserunt ex re Militari, nòn modò lineam denotat, sed & certum quemdam linearum, adeóque versuum, ordinem: quo sensu aliàs Hesychius librum composuit sub hoc nomine, *Στιχηρὸν ιβ' προφητῶν, Distinctio xii. Prophetarum.* Cui vocabulo respondet dictio *Sita* in Masora: & ex eodem etiàm fonte videntur promanâsse *Sedarim*, seu *ordines* in eàdem Masorâ; ubi idem planè significat atque vox Græca στιχεῶ. Quas distinctiones & subdistinctiones *inventas fuisse, ut spiritus, longâ dictione fatigatus, vires suas per spatia decreta resumeret*, rectè animadvertit Cassiodorus. Ejusdem quoque naturæ

Alia versuum species.

Cassiod. de Divin. Lection.

erant

erant distinctiones illæ, quas Græci *κεφάλαια*, Latini Capitula vocabant: differebantque ab iis, quæ modò Capita appellamus. Ista siquidèm *κεφάλαια* totum librorum contextum in minores sectiones partiebantur: eáque veluti Summaria in illorum fronte adjiciebantur. Hæc videre est in novo Testamento Græcè edito Venetiis, anno MDXXXVIII. & in Græcâ ejusdem libri editione à Roberto Stephano typis perquàm elegantibus accurata, quam ex MSS. codicibus, qui in Bibliothecâ Regis Christianissimi asservabantur, descripserat. Si hæc & alia similia, quæ nunc sileo, pensiculatiùs consideràssent viri Critici, qui in artis Masorethicæ originem animadverterunt, nòn tantum operæ ac temporis in refellendis Judæorum portentis, quibus nihil est nisi Divinum & à Mose vel ab Esdrâ acceptum, consumpsissent.

His denique nonnulla subjungam de notis, quas Judæi Masorethæ *taamim*, Latini accentus vocant: & hæ distinguendis colis & commatibus Hebræi contextûs inserviunt; eâdem prorsùs ratione atque apud Græcos & Latinos puncta & virgulæ. In hoc tamen Judæorum Magistri tùm Græcos tùm Latinos videntur superasse, quòd nòn solùm notas accentuum quæ sententias illarúmque membra distinguerent, invenerint; sed & alios accentus excogitârunt qui sermonis continui essent indicia: quasi illud quod nòn distinguitur continuum nòn esset. Ejusmodi autem accentuum originem sumunt etiàm ab ipso Esdrâ; sed quàm inanitèr, ex iis, quæ hactenùs de aliis distinctionum speciebus allata sunt, nemo nòn judicabit. Illi enim nòn alios auctores habent quam Magistros Tiberienses, qui hâc in parte Grammaticorum munus exsecuti sunt: neque adeò pertinaces in illis observandis se præbent Judæi, ut ab iis discedere sit ipsis religio, maximè ubi alia distinctio sensum præ se fert meliorem. Ità Aben Esra meminit doctissimi cujusdam Magistri, nomine Mosis Cohen, qui, in distinguendis contextûs Biblici sententiis, ejusmodi Masoretharum notas nòn admodùm curaverit. De his tamen idem sentiendum existimo, quod olim sentiebat Cassiodorus de punctis, qui Latini Interpretis editioni adjecta fuerant à viris Criticis. *Istæ siquidem positura*, inquit Cassiodorus, *seu puncta, quasi quædam viæ sunt sensuum & lumina dictionum.* Illos autem delirare cum Judæis necesse est, qui ejusmodi contextûs Hebræi inter-

Aben Esra in lib. Tsachuth.

Cassiod. de Div. Lect.

terpunctionum notas tanquàm divinas suspiciunt, séque ostendunt in rebus Criticis planè hospites. Non miror universam Judæorum nationem illas, tàm in exscribendis suis codicibus, quàm in explanando contextu, amplexatam fuisse, cùm & ii omnes qui Ecclesiæ Romanæ fidem profitentur, Vaticanam similitèr Latini Interpretis editionem cum punctis & virgulis, religiosè amplexentur; nec ab eà unquàm discedant, nisi quandò in Commentariis Criticorum personam induunt: & id etiàm Judæorum Doctoribus insolens nòn fuisse declarant illorum Commentaria in Scripturæ sacræ contextum.

CAP. VI.

Aliæ Masoræ partes ad codices Bibliorum manuscriptos expenduntur, simúlque aperitur vera illarum origo, & confirmatur lectio Masorethica.

PLerique Judæorum Magistri haùd inviti agnoscunt nòn eamdem omninò formam retinere sacros Bibliorum codices, quam primigenia & autographa exemplaria repræsentabant: putántque mutationem Bibliis suis advenisse postquàm deportati in exilium Babylonicum Magistros duces nòn habuerunt qui Legem Mosaicam ipsis prælegerent; abolito scilicet religionis suæ cultu. Et ità deploratis eorum rebus, ut de libris suis cogitare nòn potuerint. Ità R. D. Kimchi passìm in operibus suis asserit *in exilio Babylonico periisse, iisque distractis multum confusionis advenisse*, & alia similia. In eàdem quoque est sententià R. Ephodæus, qui auctor est, *ipsis LXX exilii Babylonici annis corruptionem & confusionem cœpisse invadere libros Biblicos*; *quià*, ut ait Kimchius, *Legis Doctores mortui erant.* Ex eo itaque quòd jàm ante tempora Esdræ, in multis variaverint codices sacri, confici posse putánt, Esdram, qui ex illorum sententià

[Margin notes: Antiqua Bibliorum Hebr. dissensio secundum Rabbinos. — R. D. Kimchi. — R. Ephod.]

F illos

illos codices recognovit, diversas lectiones, quas in exemplaribus ætatis suæ offenderat, intactas reliquisse in libris à se recognitis: & hoc pacto scripturis variantibus, quas à Criticis Tiberiensibus annotatas fuisse certum est, summam auctoritatem tribuunt; quasi ab Esdrâ, qui spiritu divino afflatus erat, profectæ fuissent. Quo nihil insulsius & à veritate magis alienum fingi potuit. Hæc animadvertit Aben Melech de vocibus *Diphath* & *Rodanim*. *Diphath scribitur* (in libro Paralipomenon) *per Daleth, & in libro Geneseos per Resch. Rodanim scribitur per Resch, & in Genesi Dodanim per duplex Daleth, quià Resch & Daleth in scriptione suâ affines sunt: & qui inspexerunt Genealogiarum libros qui à priscis temporibus descripti fuerant, eorum nonnulli legerunt Daleth, alii verò Resch. Ideò scriptus fuit liber Geneseos cum unâ lectione; hic verò* (Paralip.) *cum aliâ, ut indicaretur idem planè esse vocabulum sive legatur per Daleth, sive per Resch. Hoc modo legitur Riblatha per Resch, & Diblatha per Daleth. Sic quoque promiscuè legitur Vau & Jod, quià similes sunt in suâ scriptione literæ. Pariter inter quiescentes eadem est ratio Aleph & He in fine dictionis, ut in voce* סבתה (cum *He* in fine) *quæ eadem est atque* סבתא (cum *Aleph* in fine) *quià Aleph & He in eo conveniunt quòd sint literæ anhelitûs, & quilibet pro suo arbitrio scribet Aleph & He.* Ista ferè ad verbum exscripsit Aben Melech ex Commentariis R. D. Kimchii.

Aben Melech in lib. 1. Paralip.

Multa alia profert idem Aben Melech ejusmodi varietatum exempla, quæ ex libris RR. Judæ, Jonæ, Aben Esræ, Kimchii, &c. testatur se collegisse. Ità observat promiscuè legi in Scripturâ *alin* & *alevan* per *Jod* vel per *Vau*; *hemeran* & *hemdam* per *Resch* vel per *Daleth*: *jaakan* & *vaakan* per *Jod* vel per *Vau*: *hadad* & *hadar* per *Daleth* vel per *Resch*, & alia id genus plurima quæ, ne sim longus, prætereo. *Nihil curæ fuit*, inquit, *mutare literam vel duas*; & id sæpiùs in usum venire animadvertit. Meminit etiàm literarum transpositarum, sicuti ad hæc verba Chronicorum, *Bathsceva filia Amiel*, ista observat. *Bathsceva filia Amiel ipsa est Bathsceba filia Eliam* (II Sam. xi.) *alii legerunt Barsceba, & aliiBathsceba, quià affinia sunt: & eodem modo Amiel & Eliam idem sunt, nisi quòd literæ sunt transpositæ.* Quæ literarum transpositio inprimis observanda est, quòd illius exempla nòn desint in codicibus Hebræis quibus usi fuêre LXX Interpretes.

Id. Aben Mel. ad cap. 3. Chron.

R. Levi

R. Levi Ben Gersom de voce *Jabes* hæc similitèr annotat: *existimo Jabes per Ain unum esse ex Judicibus, & illum esse qui Judicum xii. appellatur Abetsan per Aleph; quià Aleph & Ain ejusdem sunt organi, & in se invicem permutantur.* Don Joseph Hispanus suâ quoque in librum Chronicorum explicatione quærens cur in contexendis Genealogiis tantum appareat discriminis inter hunc librum & libros Moysis, Josuæ, Samuelis & Regum, nodum hunc explicatu difficilem solvit his verbis; *videtur Esdras ità invenisse descriptas hasce familias compendiariò, easque descripsit eodem modo quo illas invenerat.* Deinde animadversâ ingenti cùm nominum tùm rerum discrepantiâ, ista mòx subjungit: *neque istud mirum videri debet, quià temporis multi successu nomina & res mutantur. Esdras autem scripsit familias istas eo modo quo eas reperit in variis libellis paululùm hìc & paululùm illìc atque compendiariò. Ideò familia quam recenset per saltum in plerisque locis & sine ordine describitur.* Denique existimat ille Magister Judæos Genealogiæ suæ oblitos fuisse, ac Esdram scripsisse quæ ex illâ sibi potuerunt occurrere, *etsi illud absque ordine fuerit & interdùm bis scriptum.*

R. Levi Ben Gersom.

R. Joseph Comment. in Chronic.

Id. R. Joseph ad lib. 1. Chronic. cap. 9.

Malunt igitùr plerique Judæorum Magistri accusare codices quibus putant usum fuisse Esdram in digerendo contextu Biblico, quàm Scribarum qui posteà sequuti sunt oscitationem & imperitiam. In hoc quidem cum Judæis istis consentiunt Ecclesiæ Patres, quòd utrique Esdræ sacri contextûs, tunc in multis suis partibus confusi ac perturbati, restauratoris nomen tribuant: sed longè meliùs Patres sentiunt eumdem Esdram Prophetico spiritu dotatum à suis mendis illum repurgâsse. *Admirabilis ille Esdras,* inquit Theodoretus, *sacros libros descripsit qui Judæorum incuriâ & Babyloniorum impietate dudùm corrupti fuerant.* Et his potiùs assentiendum quàm malè feriatis Judæis, qui Scripturas in exilio Babylonico, ut ipsis placet, depravatas, cum suis mendis & corruptionibus Esdram in publicum edidisse arbitrantur: sícque diversas illas lectiones, quas Masorethæ sub nominibus *Keri* & *Cetib* indicârunt, ad eumdem Esdram referunt; quasi diversæ illæ lectiones, quas ad marginem codicum suorum quotidiè annotant viri Critici, hominibus divino numine inspiratis tribui debeant. Dicendum est itaque Masorethas Tiberienses ope veterum librorum, si quid falsi in codicibus ætatis suæ Scri-

Theodoret. præf. in Psal.

Patres de sinceritate Bibliorum meliùs sentiunt quàm plerique Rabbini.

Origo variarum lectionum quæ exstant in margine Bibliorum Hebraicorum.

barum inscitiâ irrepserat, illud abhibito judicio correxisse: Verùm quia nimiâ religione erga sacros codices detinebantur, nòn ausi sunt lectiones diversas, etiàm illas quæ extra controversiam genuinæ erant, intra contextum apponere, sed ad oram exemplarium suorum cum hâc notâ *Keri*, quod idem est atque Græcum *χάρε*, *scribe*, illas adjecerunt, indicatâ hoc pacto verâ contextûs lectione: *Keri* enim idem est atque Latinè lectum, seu lectio. Rem ità esse probant MSS. Bibliorum exemplaria, inprimis Hispanica, à quibus ejusmodi lectionum, quas vocant *Keri*, maxima pars abest; adeóque illorum ope Biblia nunc edita, quæ Masorethica sunt, primæ formæ in his facili negotio restitui possunt. Juvat hîc nonnulla variantium istarum lectionum exempla proferre comparata cum exemplari Hispanico jàm à IↃ fermè annis typis perquàm elegantibus exarato, sumemúsque ad id negotii librum Josuë.

Dictionem ארותי quæ occurrit cap. ii. libri Josuë notârunt virgulâ censoriâ Masorethæ apposito ad oram codicis *Keri*, sive legendum אחויתי sed malè; quia etiàm aliis in locis Legis, ut in plurali אחות absque *Keri* Masorethico veluti Ezechielis capite xvi. scribitur אחותיך *sorores tuæ*, nec ulla in margine exstat Masoræ censura, adeóque in codice, quem modò laudavimus, rectè scribitur hoc loco Josuë אחותי nec eget castigatione: mendosa enim nòn est etiàm ex ipsâ Masorâ ista scriptionis forma. Sub initium capitis iii. ejusdem libri Josuæ habetur in contextu ביני cum *Keri* notato ad marginem בני quasi omissa fuerit litera *Jod*, quæ reverâ legitur in codice Hispanico; unde manifestò deprehenditur quæ fuerit annotationis Masorethicæ origo. Eodem capite tam in MS. quam in Masorethico scribitur באנם cum *Keri* סאים & hoc modo legendum esse ratio sensûs docet; ità ut etiàm absque codicibus locus iste restitui posset ob literarum ב & ס similitudinem, maximè in quibusdam MSS. exemplaribus, quæ in literarum summitatibus apiculos quosdam, qualis exstat in summitate literæ *Mem*, repræsentant. Capite iv. ubi legitur בערות addit Masora Keri, seu legendum, כערות uti reverâ legitur in codice Hispanico, cum literâ *Caph*, nòn autem cum literâ *Beth*, adeóque simile exemplar fuit penes Masórethas. Verùm in aliis codicibus etiàm Hispanicis, quos consului, reperitur ut in

hodierno contextu בעלות cum *Beth*, sed absque notâ Masorethicâ. Quare hoc loco variant Masoræ exemplaria, idque indè etiàm confirmari videtur, quòd in editis quibusdam Bibliis nullum *Keri* hìc exstet. Capite v. ubi habet contextus עברנו notat Masora *Keri* עברם quâ etiàm ratione legitur in exemplari Hispanico. Masorethas simile exemplar consuluisse nòn dubito; undè castigationem suam hauserint. Capite vi. scribitur חקעי cum *Keri* חקע quasi *Vau* irrepserit in locum literæ *Jod*, quam reverâ exhibet codex Hispanicus. Capite viii. scribitur בעיר addito ad marginem *Keri* בעי quasi resecanda sit litera *Resch*, quæ etiàm nòn legitur in libro Hispanico, sed בעי ut in *Keri* Masorethico. Capite x. ubi scribitur בידך cum hâc notâ Masoræ *Jathir Jod*, & in aliis exemplaribus *Keri* ידך absque *Jod*, quomodò etiam legitur in codice Hispanico: undè confirmatur lectio Masorethica. Capite xv. ubi scribitur in contextu הגביל cum *Keri* הגדול legitur etiàm in exemplari Hispanico הגדול sicut in *Keri* Masorethico, adeóque nòn ex suopte ingenio, sed ex MSS. exemplaribus castigationes contextûs Biblici sumpserunt viri Tiberienses. Cetera, nè sim molestus, silentio prætereo: ex his enim liquet manifestè quid de *Keri* & *Cetib*, seu *lecto* & *scripto* Judæorum Tiberiensium sentiendum sit: res enim ipsa loquitur Judæos censores, in castigandis suis codicibus, pervetusta & bonæ notæ exemplaria adhibuisse; & ut id adhùc fiat manifestius, juvat diversas libri primi Chronicorum lectiones ad alios codices MSS. eosdémque Hispanicos expendere.

Libri I. Paralipom. cap. i. legitur in contextu לודיים cum duplici *Jod*, & ad marginem hæc nota *Jathir Jod*, seu litera *Jod* superflua est: quasi legendum sit לודים cum unico *Jod*, uti reverâ legitur in quodam exemplari Hispanico. Iterùm eodem capite in nonnullis codicibus è quorum numero exstat Bibliorum editio à Judæo Manasse accurata Amstelodami, è regione dictionis צפי quæ est intra contextum, ad marginem *Keri* צפו per *Vau* nòn verò per *Jod*, & hanc lectionem etiàm repræsentat codex jàm laudatus, qui Masorethicam confirmat. Similitèr idem codex habet *Dodanim* scriptum per *Daleth* ut in Lege, nòn verò *Rodanim* cum literâ *Resch*; sicùt in vulgatis exemplaribus. Pro שפים cum *Jod* scribitur etiàm in hoc codice שפום cum *Vau*: & sub finem capitis, ubi vulgò scribitur עיות cum

Keri

Keri עוית in alio codice Hispanico reverâ legitur ut correxit Masora. Demùm eodem capite in hisce codicibus scribitur עליה secundùm correctionem Masoræ, nòn verò עלית ut in hodierno contextu. Capite ii. versus finèm scribitur ישבו cum litera *Vau* loco *Jod*, quià legendum est ישבי ut corrigit Masora, neque aliam lectionem quàm istam Masorethicam exhibet codex Hispanicus jàm sæpè laudatus. Sub finem capitis iii. in contextu habetur הורויהו cum *Keri* Masorethicâ הוריוהו quasi literarum *Vau* & *Jod* facta fuerit transpositio: verùm in codice mòx laudato eadem lectio apparet atque in *Keri* Masoræ. Capite iv. exstat יצחר cum *Keri* ad marginem וצחר quam lectionem quoque in exemplari MS. deprehendi. Ad finem ejusdem capitis scribitur in contextu והסעינים & ad marginem הסטונים quasi litera *Jod* irrepserit in locum *Vau*: quam correctionem Masorethicam confirmat exemplar unum MS. Capite vi. præfert contextus בנו & *Keri* Masorethicum בני nec alitèr etiàm in quodam exemplari Hispanico scribitur. Eodem capite scribitur ציף cum *Keri* צוף quæ correctio Masorethica confirmatur auctoritate quatuor codicum MSS. Capite vii. ubi in contextu exstat ישיב & in margine *Keri* ישוב in uno exemplari MS. legitur ut in *Keri* Masoræ. Sed de his satis supérque. Cetera annotare videtur superfluum, cùm eorum eadem omninò sit ratio atque illorum quæ jàm observata sunt, sicut & reliquæ Scripturæ: si enim lectiones illæ, quæ ad oram contextûs Hebræi in plerisque Bibliis sub nomine *Keri* exhibentur cùm quinque aut sex codicibus MSS. præsertim Hispanicis, qui plerumque aliis omnibus præferendi sunt, comparentur, consentientes fermè in omnibus correctiones Masorethicas cum illis habebimus. Undè constat Criticos Tiberienses exemplo aliorum Criticorum nihil castigationis, saltèm hâc in parte, absque exemplarium MSS. ope in sacros codices invexisse. Et id inprimis notatu dignum videtur, quòd quo plus antiquitatis & bonitatis ostendunt exemplaria illa MSS. eò magis lectionibus Masorethicis conformantur: undè tanquàm testes oculati genuinam *Keri* & *Cetib* originem deprehendere possumus. Frustrà laboràsse videntur in numerandis hisce lectionum diversitatibus viri alioqui eruditissimi, ut indè conticerent lectionum varietates etiàm in contextu Hebræo reperiri:

riri: has enim nemo paulò cordatior unquàm inficiatus est, etiàm inter Judæos; quanquam illi ad Masoram quicquid occurrit variantium scripturarum tanquàm ad certam regulam exigunt. Longè satius erat *Keri* & *Cetib* sive correctiones Masorethicas ad codices Bibliorum MSS. expendere, quàm longam illorum seriem contexere, eásque multis modis amplificare. Quandoquidèm constat magnam illarum partem manifestos esse Scribarum errores, qui etiàm absque libris MSS. facillimè restitui poterant. In hoc autem religiosiores fuisse videntur Magistri Tiberienses, qui castigationes suas, ubi manifestus Scribarum error deprehendebatur, in contextu apponere nòn ausi fuerint; sed eas vel ad oram codicum, vel in libellos ad id paratos rejecerint. Quæ Masoretharum religio, nè dicam superstitio, plerosque qui posteà sequuti sunt Judæos, in varia de ejusmodi notationibus Criticis commenta egit præcipites; dùm nòn tàm ex rei ipsius veritate & ex Critici negotii, quod penitùs ignorabant, regulis, quàm ex ingenio suo confingendis portentis assueto, de his sententiam suam ferre non dubitârunt.

Præter illas quæ modò à nobis relatæ sunt, lectionum diversitates, sunt & aliæ quæ ad *Keri* quoque & *Cetib* possunt revocari; cujusmodi sunt dictiones illæ, quas notant Masorethæ sub nomine *Keri velo cetib*, seu *lectum at nòn scriptum*, quià reverà istæ in contextu Hebræo minimè scribuntur; sed in eo vacuum relinquitur spatiolum, notatis solùm punctis vocalibus quibus dictiones illæ afficiuntur: & scribuntur integræ ad oram codicis cum hac notâ, *Keri velo cetib*, *lectum at nòn scriptum*. Verùm ista exemplis aliquot fient illustriora, simulque illorum, si ad MSS. Bibliorum codices exigantur, origo vera obtinebitur. Libri I. Judicum capite xx. hæc habentur in editis, seu Masorethicis, exemplaribus in contextu descripta ולא אבו ◌ְ◌ִ נגיסין cum hâc Masoræ notâ ad marginem, *Bene keri velo cetib*, id est, *dictio* בני *bene legenda etsi scripta nòn sit.* Sed in codice quodam Hispanico eoque optimæ notæ, sententia ista integrè descripta intra contextum repræsentatur: cujus tamen rei impatiens Judæus Criticaster, qui Masoram posteà huic exemplari adjecit, erasâ dictione בני elegantissimum illud exemplar deformavit, ut locus esset notæ Masorethicæ, idque passìm deprehendere

hendere eſt in codicibus MSS. præſertìm Hiſpanicis, quos Judæi Maſoricolæ ad Maſorethicos reformârunt. Similitèr capite iii. voluminis Ruth, in contextu habetur ○ האמרי & ad marginem hæc nota Maſoræ, *Keri velo cetib*, *lectum & nòn ſcriptum*; quia nimirùm omittitur אלי quod exprimit codex mòx laudatus. II Samuel. cap. xviii. in hodierno, ſive Maſorethico exemplari, ſcriptum exſtat כי עד ○ בן המלך cum hâc notâ Maſoræ, *dictio cen lecta & nòn ſcripta*, quæ tamen in noſtro codice MS. ſcribitur. Hùc quoque debent referri alia exempla, in quibus una tantùm litera omittitur, velut II Regum, capite xv. ubi legitur בי׳ ○ מלך cum *Keri* ad marginem המלך uti reverâ exſtat in exemplari MS. Similia legere eſt I Samuel. cap. xiv. II Samuel. cap. xx. & aliis locis, quæ habentur ſcripta in codicibus MSS. eodem planè modo, quo legenda illa eſſe cenſet Maſora. Præterea II Regum, capite xxix. vox integra *tſevaoth* in contextu omittitur, ad quam hæc annotat in margine Maſora, *dictio tſevaoth legi debet etſi nòn ſcribatur.* At reverâ ſcribitur in codice MS. Quod autem de *Keri velo cetib*, *lecto & nòn ſcripto* dictum fuit, idem venit dicendum de aliâ Maſoræ notâ, quæ huic contraria eſt, nimirùm *Cetib velo keri*, id eſt, *ſcriptum & nòn lectum*. Ità Ruth capite iii. ubi in contextu hodierno exſtat כי אם annotârunt Maſorethæ dictionem *im* legi nòn debere etſi ſcripta ſit. Illud diſcriminis eſt inter *Keri velo cetib*, *lectum & non ſcriptum*, atque *Cetib velo keri*, *ſcriptum & nòn lectum*, quòd primum voces omiſſas in vulgatis exemplaribus ex aliis codicibus melioris notæ ſuppleat; alterum contrà dictiones quas ex collatis exemplaribus ſuperfluæ judicatæ ſunt, reſecet. Quare nihil prorsùs, uti perperàm Judæi ſomniant, deliteſcit myſterii in iſtis Tiberienſium animadverſionibus, nihilque in hoc negotio ab his præſtitum quod nòn anteà ab aliis Criticis in Græcis Latiniſque libris, & quidem longè felicius ac minùs ſuperſtitiosè, præſtitum fuerit.

Idem ſentiendum puto de vocibus quibuſdam, quas à contextu Biblico ſemovendas eſſe exiſtimârunt Critici Maſorethæ, quòd ipſis viderentur obſcœniores. Nam, ſicut auctor eſt R. Moſes, lingua Hebræa appellatur ſancta, quòd nullas prorsùs dictiones admittat, quæ obſcœnitatis aliquid præ ſe ferre

videantur.

videantur. Hoc tamen facilè potest falsitatis argui. Deindè mutatio illa in exemplaribus MSS. sæpissimè nòn deprehenditur, adeóque nihili facienda est. Quare auctor fuerim ut voces illæ quæ absque ullâ causâ à contextu sublatæ sunt, ipsi restituantur. Jàm ex his omnibus confici potest, multa à Masorethis inter diversas lectiones inutilitèr annotata, quæ manifesti erant Librariorum cespitantium errores. Quâ in re etiàm Judæis infensiores se ostendunt Ludovicus Cappellus & Joännes Morinus, dùm ex pluribus Bibliorum editionibus inter se collatis, ejusmodi variantium lectionum, quæ *Keri* appellantur, numerum valdè exaggerant: cùm manifesti Scribarum errores inter diversas lectiones recenseri nòn debeant. Contrà lectionum illarum numerum plùs æquo minuit Joännes Viccars, affirmans se in variis exemplaribus Bibliorum MSS. quæ in diversis Italiæ Bibliothecis offendit, nihil omninò *Keri* & *Cetib* deprehendisse. Verum quidèm est in codicibus MSS. præsertìm Hispanicis & aliis bonæ notæ longè pauciores exstare: sed nunquàm in libros incidi MSS. à quibus scripturæ illæ variantes penitùs abessent.

CAP. VII.

Nonnulla à Masorethis inutilitèr & superstitiosè annotata illustrantur ex codicibus Bibliorum manuscriptis.

Mirum est quàm studiosè, magìs dicam superstitiosè, literas quasdam figurâ discrepantes à ceteris, in contextu Hebræo servaverint Masorethæ, quarum etiàm alphabetum summâ diligentiâ contexuerunt. In his aliquid subesse mysterii vulgò existimant Judæi; & qui totus à Judæorum libris dependet Buxtorfius de ejusmodi literis sic loquitur. *Non est dubium*

Superstitiosa Bibliorum Hebraic. scriptio locis aliquot.

Buxtorf. Comment. Masor.

[illegible] *quæ prisci illi sapientes* [illegible] *fuerint, sed quæ* [illegible] *vel* [illegible] *in commenta vana & inania* [illegible] *conversorum.* Maluit scilicet Buxtorfius Majorum superstitionis patronum se præbere, quam scripturæ illius superstitiosæ causam inspicere. Superstitio autem illa in eo sita est, quod hodierna Hebræorum exemplaria, quæ a Judæis Tiberiensibus accepta sunt, literas quasdam præ se ferant, quarum aliæ majores cæteris, aliæ minores, aliæ vero inversæ & aliæ suspensæ. Id autem non aliunde ortum fuisse videtur, quam ex eo quod Scribarum mos [illegible] præcipue literas inter se ex omni parte æquales [illegible] factum puto ut aliquot [illegible] deinde ponit [illegible] cupiebant [illegible] *Aleph* &c. [illegible]

[illegible]

Hispanico quem mox laudavimus vidi & in eorum [illegible] [illegible] atque superiorem est & [illegible] [illegible] [illegible] ad hunc locum. [illegible] [illegible]. Denique cum vox [illegible] reperitur in editis quæ Masorethica sunt Bibliis cum Pe posteriori magno; at in codice Hispanico & aliis MS. nihil simile comparet. In aliis autem codicibus exemplaribus etiam MSS. & Hispanicis Pe quidem magnum extat, sed diversa ratione: nam in uno prius Pe, in altero vero posterius producitur. Malachiæ Prophetæ capite iii versum [illegible] *[illegible]* scribitur cum magno *Zain*; at in duobus exemplaribus Hispanicis nullum apparet literæ productæ vestigium, ut neque in Bibliis quæ accuravit Menasses Ben Israel editis Amstelodami in Quarto.

Eadem omnino ratio est literarum suspensarum & inversarum quas codex Hebræus repræsentat, atque majusculorum & minusculorum. In capite xviii. libri Judicum scribitur vox cum litera *Nun* supra reliquas suspensa; quam quidem suspensam etiam exhibent codices MSS. sed non modo simili: nam apex tantum literæ *Nun* supra ceteras [illegible] [illegible] [illegible] vero litera integra; itaque Judæi Grammatici literas illas quæ suspensæ dicuntur male donarunt hoc nomine quasi revera suspensæ essent ac ab aliis literis separatæ ac superimpositæ, cum illud in manum Scribæ, quæ his locis æqualis non fuit, manifesto rejici debeat. Denique codex unus Hispanicus nescit Caph parvum quod extat capite xxiii. libri Geneseos in dictione [illegible] *ad flendum eam*, nec *Pe* magnum quod ejusdem libri capite xxx. claudit vocem [illegible] *[illegible]*; neque *Zain* magnum quod reperitur in vocabulo [illegible] *[illegible]* etiam in libro Geneseos capite xxxiv. Demum nec dictio [illegible] in capite ultimo ejusdem Geneseos in illo exemplari MS. reperitur cum *Mem* magno ut in editis, sive Masorethicis, codicibus. Una dictio libri hujusce numerum [illegible] capite ii. *quando creata illa fuerunt*, repræsentatur cum *He* minusculo non secus ac in Bibliis editis. Non est cur reliquos Scripturæ sacræ libros pro expiscandis ejusmodi quisquiliis consulamus, quæ mera sunt hominum otiosorum ac delirantium somnia; auctorque fuerim ut superstitiosa ista scribendi ratio à nostris codicibus removeatur. Fecit quoque eadem Judæorum superstitio ut

dubium quin priscis illis sapientibus causæ hujus diversitatis dignæ & justæ fuerint, sed quas exilia varia & calamitates gravissimæ posterorum, vel oblivione deleverunt, vel in commenta varia & inania mysteria ferè converterunt. Maluit scilicèt Buxtorfius Masoræ superstitionis patronum se præbere, quàm scripturæ illius superstitiosæ causam inquirere. Superstitio autèm illa in eo sita est, quòd hodierna Bibliorum exemplaria, quæ à Judæis Tiberiensibus accurata sunt, literas quasdam præ se ferant, quarum aliæ majores ceteris, aliæ minores, aliæ verò inversæ & aliæ suspensæ. Id autem nòn aliundè ortum fuisse videtur, quàm ex eo quòd Scribarum manus singulas operis prælongi literas inter se ex omni parte æquales delineare vix potuerint; undè factum puto ut aliquot paululùm à reliquis deflexerint. Fieri deindè potuit ut nonnulla quæ libri, seu voluminis, initium occupabant majusculæ deditâ operâ fuerint exaratæ, quales sunt *Aleph* & *Beth*, quarum illa exstat in principio Chronicorum; hæc verò in fronte Geneseos. Judæi verò qui nôrunt mysteria ex minimis literarum apicibus deducere, de istâ scriptione cœperunt nova comminisci; quæ posteà, ob Doctorum qui ejusmodi portenta excogitaverant auctoritatem, à ceteris Judæis recepta, demùm ad posteros facillimè propagata fuerunt.

Licèt autem literarum istarum usus, seu potiùs abusus, antiquissimus esse videatur, diúque ante Masorethas observatus; maximam tamen in his notandis differentiam animadverti inter MSS. Bibliorum exemplaria & ea quæ typis edita sunt. In illis siquidèm longè pauciora exstant harum literarum exempla: & si aliquot reperiantur, vix earum figura à ceteris secerni potest. Ita litera *Aleph* quæ prima est libri Chronicorum, & *Beth* initio Geneseos in multis codicibus Hispanicis magnitudo præ aliis vix apparet: adeò exiguum est quod inter has & reliquas intercedit discrimen. In uno codice Hispanico ab annis fermè IↃ exarato minutiæ illæ fermè ubique negliguntur. Sic Isaiæ capite lvi. Biblia edita, sive Masorethica, habent *tsophau* cum magno, ut loquuntur, צ *tsade*: at in illo exemplari MS. dictio illa scribitur absque ullâ literæ inæqualitate: similitèr quoque scribitur in alio codice MS. Iterùm ejusdem Prophetæ capite xliv. ubi legimus in hodierno contextu, נטע ארן *plantavit ornum*, cum parvo *Nun* finali, in codice

Hispa-

Hiſpanico quem mòx laudavimus rectè & ut decet ſcribitur אחן adeóque ſuperſtitioſa eſt & inutilis iſta Maſoræ annotatio ad hunc locum, *tria occurrunt Nun parva.* Danielis capite vi. vox שפרפא reperitur in editis quæ Maſorethica ſunt Bibliis cum פ *Pe* poſteriori magno; at in codice Hiſpanico & alio MS. nihil ſimile conſpicitur. In aliis autèm duobus exemplaribus etiàm MSS. & Hiſpanicis פ *Pe* quidèm magnum exſtat, ſed diversâ ratione: nam in uno prius פ *Pe*; in altero verò poſterius producitur. Malachiæ Prophetæ capite iii. verbum זכרו *recordamini* ſcribitur cum magno *Zain*; at in duobus exemplaribus Hiſpanicis nullum apparet literæ productæ veſtigium, utì neque in Bibliis quæ accuràvit Menaſſeh Ben Iſraël editis Amſtelodami in Quarto.

Eadem omninò ratio eſt literarum ſuſpenſarum & inverſarum quas codex Hebræus repræſentat, atque majuſcularum & minuſcularum. Ità capite xviii. libri Judicum ſcribitur מנשה cum literâ *Nun* ſuprà reliquas ſuſpensâ; quam quidèm ſuſpenſam etiàm exhibent codices MSS. ſed nòn modo ſimili: nam apex tantùm literæ *Nun* ſupra ceteras tantiſpèr attollitur; minimè vero litera integra; itaque Judæi Grammatici literas illas quæ ſuſpenſæ dicuntur malè donârunt hoc nomine quaſi reverà ſuſpenſæ eſſent ac ab aliis literis ſeparatæ ac ſuperimpoſitæ, cùm illud in manum Scribæ, quæ his locis æqualis nòn fuit, manifeſtò rejici debeat. Denique codex unus Hiſpanicus neſcit *Caph* parvum quod exſtat capite xxiii. libri Geneſeos in dictione לבכתה *adflendum eam*, nec *Pe* magnum quod ejuſdem libri capite xxx. claudit vocem בהעטיף *dum ſerò coirent*; neque *Zain* magnum quod reperitur in vocabulo זונה *ſcortum*, etiàm in libro Geneſeos capite xxxiv. Demùm nec dictio שלשים capite ultimo ejuſdem Geneſeos in illo exemplari MS. reperitur cum *Mem* magno ut in editis, ſive Maſorethicis, codicibus. Una dictio libri hujuſce nimirùm בהבראם capite ii. *quando creata illa fuerant*, repræſentatur cum *He* minuſculo nòn ſecùs ac in Bibliis editis. Nòn eſt cur reliquos Scripturæ ſacræ libros pro expiſcandis ejuſmodi quiſquiliis conſulamus, quæ mera ſunt hominum otioſorum ac delirantium ſomnia; auctórque fuerim ut ſuperſtitioſa iſta ſcribendi ratio à noſtris codicibus removeatur. Fecit quoque eadem Judæorum ſuperſtitio

ut de literis *Ehevi*, seu *Aleph*, *He*, *Vau* & *Jod*, quæ primæ sunt & veræ vocales linguæ Hebrææ, multa commenti sint, siquandò illæ à contextu absint. Quomodò libri II Samuel. cap. xix. ubi legimus particulam negantem לֻא notatam puncto *Kibbuts* absque literâ *Vau*, hanc Massoræ notam ad oram codicis cujusdam Hispanici adjectam reperi: Particula לא *bis deficit quià Absalom nòn vicit*. Quod & ab Hieronymi temporibus Judæos observâsse probant verba illa ejusdem Hieronymi; *In Hebræo sicùt hìc posuimus primum nomen ejus scribitur Ephran: postquàm enim precio victus est ut sepulcrum venderet, licèt cogente Abraham, Vau litera quæ apud illos legitur, ablata est de ejus nomine, & pro Ephron appellatus est Ephran; significante Scripturâ nondùm fuisse perfectæ consummatæque virtutis*. Hoc loco, ut & alibi passìm, Hieronymus nòn tàm ex suâ quàm ex Judæorum mente loquitur. Credibile autem est hanc scribendi varietatem, quæ primùm à Librariis pro suo arbitratu, ut rectè annotavit Aben Esra, profecta est, Judæi posteà qui ex re quâlibet mysteria eliciunt ad allegoriarum nugas pertraxerint. Incerta omninò fuit *Ehevi* scriptura ex eo tempore quo autographa sacri contextûs exemplaria à Judæis deperdita sunt; illaque sæpiùs à Scribarum voluntate dependit, utì probare facillimum esset ex codicum MSS. & quidèm optimæ notæ cum editis comparatione. Illi siquidèm in infinitis propè locis distant, ità ut supra sex millia ejusmodi literarum *Ehevi*, seu *Aleph*, *He*, *Vau* & *Jod* numeraverim quæ in editis codicibus non exstant.

Hieron. Quæst. in Gen.

Parùm constans scribendi contextûs Hebræi ratio.

Frustrà igitùr tam anxiè desudârunt in illis numerandis Critici Tiberienses, quotiès scilicet hæc & illa dictio plena sit, id est, scripta cum ejusmodi literis: & quotiès sit deficiens seu absque his scripta. Exempli causâ, animadvertunt sedulò quotiès dictio *otham* plenè scribatur in contextu Biblico: putà observant religiosè hanc in Lege reperiri trigesiès noviès plenè, seu cum literâ *Vau*, exaratam: simùlque loca indicant; atque eodem modo per reliquos Scripturæ libros discurrunt. Verùm collatis inter se codicibus MSS. de modo scribendæ vocis illius vix semèl inter se illos consentire deprehendi. Præterea, eadem dictio אותם etiam plenè scripta nòn ubique *illos* significat, quæ tamen vera & germana est ejus significatio, sed & inter-

interdùm *cum illis*, quasi esset *itthem* & in scriptione deficeret. Adeò verum est in hisce vocibus nòn tam scriptionis modum, quàm sensûs rationem respici debere. Summa est, nè dicam, superstitiosa Masoretharum diligentia in scribendâ voce *Jeruschalaim*, dùm studiosè annotant loca Scripturæ quibus plenè, seu cum literâ *Jod*, legenda sit, & quibus deficiat, sive scribenda absque *Jod*: tamen hâc in parte neque codices MSS. Hebræi contextûs, neque Masoræ ipsius exemplaria MSS inter se consentiùnt. Quid nòn commenti sunt de vocabulo מְאֹרת *meoroth*, quod initio Geneseos bis scriptum reperitur absque literâ *Vau*, contra analogiæ regulas: & quià ex hâc scribendæ vocis illius ratione mysteria nescio quæ deduxerunt Judæorum Magistri, hinc factum est ut illam scriptionis formam studiosè retinuerint Librarii in exscribendis suis codicibus. Verùm Samaritani dictionem istam plenè ut decet in suis exemplaribus exhibent.

Verum quidèm est ejusmodi literarum quæ ex Scribarum voluntate dependent, absentiam vel præsentiam sensûs rationi sæpiùs non officere; adeòque illarum omissio nullius momenti esse videtur. Contingit tamen haùd infrequentèr ut indè oriantur sensus maximè diversi. Sicuti II Samuel. cap. xx. verbum הגה quià defectivè, seu absque literâ *Vau*, scribitur, R. D. Kimchi ducit secundum regulas & analogiam Grammaticæ à radice *haga*. Sed mòx observat & post eum Aben Melech RR. Judam & Jonam verbum istud sumere à radice יגה *iaga*, quasi plenè scriberetur. Sophoniæ capite iii. ubi legimus נוגי *nogue*, *mæstos*, utì vulgò reddunt interpretes ab eâdem radice *iaga*, R. Solomon exponit *remotos*, sive *alienos* quasi veniret à radice *haga*, nòn habitâ lectionis Masorethicæ ratione. Nòn desunt etiàm Magistri qui vocem נחידות plenè scriptam in Titulo Psalmi v. ducant à radice חלל quasi exstaret נְחִלוֹת absque literâ *Jod*, regularum, quæ ex plenis & deficientibus tam anxiè in Masorâ annotatis exortæ fuerunt, nòn admodùm soliciti. Sexcenta id genus prætereo quæ passim in Judæorum Commentariis occurrunt, undè Græca LXX Interpretum & Latina Hieronymi translationes locis quamplurimis illustrari possunt: neque in hoc laudandus videtur B. Hieronymus qui Græcis Interpretibus sæpe vitio vertat, quòd in ejusmodi literarum lectione

one interdùm ab ipso dissideant. Ità ad caput xiv. Isaiæ illos notat, quòd pro *Angelos* ut habet codex Hebræus, transtulerint *Reges:* quia scilicèt illi in suis exemplaribus מלכים absque literâ *Aleph*, nòn vero מלאכים cum literâ *Aleph*, ut habuit Hieronymus, legerint. Nòn tàm ex codicum lectione, quæ hâc in re parùm constans est, redarguendi erant Græci Interpretes, quàm ex sensûs ratione, qui esset huic loco accommodatior, præsertìm cùm in notandà literâ istâ *Aleph* varient codices etiam MSS. neque cum editis sempèr concordent. Quo pacto Hieremiæ capite vii. ubi in hodiernis exemplaribus למלכת absque *Aleph*, in uno codice MS. legitur plenè למלאכת per *Aleph*. Et hinc ortæ sunt notæ Masorethicæ de literis quæ redundant. Verùm nòn obstantibus notationibus illis Masorethicis nòn ità codicis Masorethici lectioni & hodiernæ Grammaticæ præceptionibus addicti esse debemus, ut eas interdùm non relinquamus: maximè cùm duces habeamus eruditissimos Judæorum Magistros, nobísque faveant MSS. Bibliorum codices qui ab editis, sive Masorethicis, aliquando hâc in parte discrepant. Quare inutilia sunt quæ à Masorethis labore improbo de numero ejusmodi literarum annotata fuêre, sicuti quandò asserunt sedecim esse loca quibus litera *Aleph* nòn pronunciatur, & alia similia quibus nè molestus sim supersedeo.

C A P.

CAP. VIII.

Scripturarum variantium exempla aliquot producuntur ex codicibus manuscriptis, qui à Masorethicis lectionibus hâc in parte dissident.

POstquàm lingua Hebræa Judæis desiit esse vernacula, sermóque Chaldaicus factus est illis domesticus, tunc Scribæ in exarandis sacri codicis exemplaribus plura, ob linguarum affinitatem, permutârunt: neque ità curiosi atque anteà καλλιγραφίας, libros suos videntur neglexisse: ex quo haùd dubiè factum est ut litera *Aleph*, quæ Chaldæis adeò familiaris est, interdùm pro literâ *He* à Librariis scripta fuerit, & dictionibus aliquot adjecta absque ullâ ratione. Ex eâdem etiàm origine ortum puto, quòd non pauci in contextu Hebræo Chaldaismi reperiantur, sicuti שלהבת *flamma*, per adjectionem literæ ש ex Chaldæorum usu: similitèr מטובן Chaldaicè pro Hebræo מעובים & כלבין pro כלבים & alia id genus quamplurima quæ sileo, ut ad diversum ab his scripturæ variantis genus transeam, quod codices MSS. & quidèm nòn inferioris notæ suppeditant. Origo diversarum lectionum.

In notandis istis dictionibus כל. יהוה. אלהים. אל & similibus, quæ apud Græcos Interpretes sæpiùs redundare auctor est Hieronymus, codices Bibliorum MSS. ab editis, seu Masorethicis, nòn parùm discrepant. Istæ siquidèm quià in sermone frequentiores sunt, à Librariis modò scribuntur, modò omittuntur. Sic initio Psalmi xvi. repetitur vox יהוה in uno codice Hispanico hoc modo; *dixisti* ליהוה יהוה *Domino, Domine Dominus meus es tu*: at in hodierno semèl tantúm. In eodem codice Ezechielis capite xxx. v. iii. bis quoque exstat nomen *Jehova hâc ratione*; *appropinquat dies* יהוה *Domini, & appropin-*

pinquat dies Domini: codex autem Masorethicus semèl tantùm vocem *Jehova* exprimit, nec alitèr legisse videtur Hieronymus in suis exemplaribus. Septuaginta verò Interpretes, nòn repetitâ sententiâ, habent semel tantùm, *appropinquat dies Domini.* Contrà in eodem codice Hispanico Judicum cap. i. v. i. dictio כל omittitur, legitúrque, *& egressi sunt* בני *filii Israël*, in editis verò, *& egressi sunt* כל בני *omnes filii Israël.* Sed nòn est cùr ejusmodi varietatum exempla prolixiùs recenseam, quas tamen B. Hieronymus scribens Suniæ & Fretelæ admodùm anxiè consectatur: nam res ipsa docet illud genus dictionum in exarandis codicibus facili negotio potuisse à Librariis addi vel prætermitti.

Præterea in codice Hispanico quem mòx laudavimus, sub finem capitis ii. libri primi Chronicorum legitur eodem planè modo quo à Græcis Interpretibus & B. Hieronymo lectum est in suis exemplaribus Hebræis: *concubina Caleb Maacha peperit Saber & Tharana*; nimirùm in libro Hispanico scribitur ילדה *peperit*, genere fœminino: at in hodiernis, seu Masorethicis, scribitur ילד genere masculino, adeóque conjungi nòn posse videtur cum vocabulo *concubina*, quod generis est fœminini in Hebræo; undè factum ut recentiorès sacri contextûs Interpretes qui Masoræ nimiùm adhærent, nè quid contra Grammatices analogiam facerent, hâc usi fuerint periphrasi, *concubina Caleb Maacha de quâ genuit Seber & Thirana.* Ejusdem libri capite iii. ubi in editis codicibus legimus ובן זרבבל. cum hâc Masoræ notâ ad marginem סבירים בני quâ conjiciunt Masorethæ legendum in plurali *filii*; nòn vero in singulari *filius*, ut habebant illorum codices: reverà scribitur in codice Hispanico בני *filii*, in plurali. Capite vi. ejusdem libri pro voce מכאל *Michaël*, quæ legitur in nostris exemplaribus in codice MS. exstat מלכיה *Malachia*: similitèr & alibi pro *Uzzia* præfert alius codex MS. *Azaria.* Capite viii. libri Josuë, v. xxii. in exemplari MS. scribitur לו in singulari, cum hâc notatione ad marginem; *in alio codice* להם in plurali: quæ lectio est hodierni contextûs. Particula לא *nòn*, & את *Eth*, quod in Hebræo nota est accusativi, nòn sempèr eodem modo repræsentantur in codicibus MSS. atque in editis.

Longè

Longè majoris momenti est illa scripturæ variantis diversitas, quæ reperitur libri Josuë capite xxi. in quo à Masorethicis exemplaribus absunt versus duo, qui tamen exstant in Græcis, Latinísque editionibus. Et hos necessariò debuisse exprimi res ipsa loquitur; cùm in recensione urbium quæ ex tribu quâlibet cedebant Levitis, tribus Ruben silentio prætermitti nòn potuerit. Illos autem re ipsâ exhibent quinque codices MSS. ídque Hispanici & optimæ notæ; quibus addi possunt Biblia Regia Parisina, Anglicana, Veneta Joannis Bragand. & Bomberg. in Quarto, Plantiniana in Quarto, Roberti Stephani, Amstelodamensia in Quarto, & alia. His tamen opponit doctissimus Masius animadversionem Masoræ & R. D. Kimchi, ex quâ manifestum est nihil ejusmodi versuum exstare in vetustis codicibus MSS. Idémque Masius observat Biblia, in quibus leguntur versus illi, nullam Jordanis, Hierichuntis & asyli mentionem facere. Sed in uno codice Hispanico MS. fit mentio civitatis refugii, quam exemplaria hactenùs edita nòn agnoscunt: Jordanis autem & Hierichuntis meminisse necesse nòn fuit; quià absque his nominibus summa quatuor civitatum conficitur. Joännes Morinus qui locum hunc fusiùs illustravit putat versus hosce temporum injuriâ & Judæorum incuriâ de maximâ codicum parte deletos fuisse; quod videtur probabilissimum: sed ibidem falsò annotat commata illa duo, quæ erant in codice MS. quem laudat, ab eo posteà qui illum exscripserat erasa fuisse, additâ ad oram codicis hâc notatione, *non invenimus hos duos versus in exemplari Hilleliano*: nam in evolvendo eodem codice MS. deprehendi notam istam Masoræ longo post hujus codicis exscriptionem tempore adjectam fuisse à Judæo Criticastro, qui puncta vocalia & aliquas Masoræ partes illi adjecit. Voluit scilicèt Criticaster iste suum exemplar Masorethico in omnibus conformare, & ut castigationi suæ plus auctoritatis accederet, laudavit codicem Hillelianum. Quare Masoretharum lectioni plùs æquo addictus videtur fuisse R. D. Kimchi, dùm animadvertit se in nullo antiquo exemplari correcto duos hosce versus qui absunt à Masorethicis, deprehendisse, sed annotatos duntaxat. Neque etiàm Grotius eosdem versus satis accuratè expendit, suspicatus post Kimchium illos ex Chronicis libro Josuæ adjectos fuisse, sicque in

versiones cùm Græcas tùm Latinas venisse. Morinus contrà judicat illos ex libro Josuæ in librum Chronicorum ab Esdrâ fuisse translatos, posteà verò à Librariis oscitantibus per incuriam prætermissos. Eo autem facilior fuit hàc in re Scribarum lapsus, quo frequentior occurrit in hoc capite verborum istorum repetitio וממטה *& de tribu*, &c. undè posteà ortum, ut in illis recensendis singula exemplaria nòn eumdem sententiarum ordinem constantèr retinuerint, Haùd absimilitèr à Judæorum Librariis in longè pluribus peccatum fuit antiquitùs, maximè in contexendâ familiarum serie: dùm enim eadem vocabula phrasésque similes inter scribendum illorum imaginationi occurrerunt, magna indè confusio in Scripturæ sacræ libros irrepsit; utì Chronicorum libros cum reliquis Historicis conferenti manifestum erit. Quamvis enim hos ex illis corrigere minimè liceat, quià multa sunt in his alitèr quàm in illis concepta ob diversos Scriptorum fines, res tamen ipsa apertè evincit, in utrisque plura deesse quæ ex vetustis solùm, maximè Græcis, interpretationibus restitui possunt; quarum conditores diversa ab editis Bibliorum exemplaria habuerunt: quorum variantes scripturas silentio prætereo, quià illæ omnibus sunt obviæ, eásque tantùm referre est animus quæ ex MSS. Judæorum codicibus sumi possunt. Igitur indè jam à priscis temporibus errores isti codicem Hebræum occupârunt. Ubi autem Doctor aliquis apud Judæos exstitit, qui eruditionis qualiscunque nomen sibi comparaverit, statìm illi præposterâ agendi ratione vetustioribus libris codices suos ad illius exemplar reformaverunt. Tales inter Judæos fuêre Doctores Scholæ Tiberiensis, similitèr Magistri Ben Ascer, Ben Nephtali, Hillel, & alii plurimi quorum nomina ad nos usque nòn pervenerunt. Hâc arte tandèm factum est, ut sublatis omninò vetustis Bibliorum exemplaribus, sublatæ quoque fuerint quæ in rebus majoris momenti erant scripturarum varietates. Hæc omnia illustrari possent ex aliis Judæorum libris: si enim illos qui manu exarati sunt cum editis, imò & eos qui diversis locis & temporibus editi sunt, inter se comparemus, mirum est quantum illi secum dissideant. Ita libellus cui nomen *Jetsira*, seu *De creatione*, quémque falsò Judæi plerique Abrahamo Patriarchæ tribuunt, multùm à seipso dissentit in variis editionibus, plúsque adhùc est discordiæ in impressis exem-

exemplaribus. Præterea quæ exstat Latina opusculi istius translatio, in pluribus etiam cum editis & MSS. codicibus non convenit: ità ut qui editionem Mantuanam accurârunt, maximam quæ in publicando libello isto reperta est difficultatem, tàm in quantitate quàm in qualitate, uti loquuntur, animadverterint. Iidem etiam rectè observant interpretes, qui illum Commentariis suis adornârunt, in adducendo illius contextu multùm variare. Et reipsâ in illâ Mantuanâ editione exstat alterum libri illius exemplar à primo nòn parùm discrepans. Simili ratione si MSS. codices famosi illius operis cui nomen Zohar, inter se vel cum editis comparentur, summa inter illos reperietur dissensio. Imò satis est ut sola Cremonensis libri istius editio consulatur, in quâ variæ lectiones, quæ propè infinitæ sunt, sedulò annotantur. Idem etiàm deprehendere licuit in variis libri Cozri exemplaribus, quorum unum erat manu exaratum. Sed his nòn est cùr diutiùs immorer. Laudanda est profectò Judæorum in hoc negotio diligentia qui diversorum exemplarium lectiones studiosè animadverterunt: contrà, illi vituperio digni sunt, qui nulla codicum è quibus suas editiones sumunt factâ mentione libros pro suo ingenio corrigunt.

Auctor itaque fuerim ut loca illa sacri contextûs quæ manca esse vel corrupta antecedentium & consequentium ratio demonstrat, veterum Interpretum auxilio restituantur; cùm in paucioribus, codices MSS venire possint in subsidium. Errores siquidèm antiquissimi sunt, libri autem manu exarati recentioris sunt ævi & ad Masoræ castigationem reformati. Ità licèt tàm in MSS. quàm in editis codicibus versus xiii. Psalmi cxlv. desideretur, facilè ex antiquis Interpretibus qui illum exhibent, suppleri poterit. *Non est dubitandum,* inquit Grotius, *quin versus hic Hebraicis codicibus exciderit Librariorum culpâ, nam deest versus qui à literâ Nun incipiat.* Et mox hæc subjungit idem Grotius, *quomodo ad hoc respondebunt qui nos jubent per omnia Masoretharum stare decretis?* Quibus verbis notat ætatis nostræ Masoricolas, quibus contextus Hebraicus idem planè esse videtur atque Prophetarum temporibus: adeò sunt in retinendâ Masorâ pertinaces. Verùm in his & similibus veterum interpretum conversiones, tàm Græcæ quàm Latinæ, exemplaris Hebræi locum supplent: neque istud Criticis qui libros Græcos & Latinos in ali-

Grot. Not. in Psalm. 145.

um sermonem transferunt insolens est, ut ad vetustiores translationes recurrant, ex quibus codicum quos interpretantur lectiones illustrent. Quod & in interpretatione novi Testamenti jàm à nonnullis feliciter observatum fuit, qui Latinum Interpretem in auxilium suum interdùm appellârunt.

Denique curtam admodùm Judaicorum contextûs Biblici exemplarium supellectilem fuisse Judæis Tiberiensibus probant nòn solùm RR. Judæ, Jonæ, Aben Esræ, Kimchii & aliorum testimonia qui codices interdùm MSS. eósque correctos laudant, sed & annotationes R. Ben Hajim qui primus diversas Masoræ partes variè distractas in unum veluti corpus conjecit & in publicum edidit. Hic enim alias à Masorethicis lectiones ad oram Venetæ Bibliorum editionis refert, quas ex probatis codicibus à se sumptas fuisse testatur. Sic ad dictionem כסוס quæ reperitur Isaiæ capite xxxviii. v. xiv. hæc ad marginem editionis suæ extra Masoræ ordinem annotavit. *In quibusdam exemplaribus scribitur* כסים (cum *Jod*) *notatúrque legendum esse* כסוס *sed non inveni hoc recensitum fuisse, in eorum catalogo quæ in medio habent literam Jod, & legi debet litera Vau.* Simili ratione idem Magister in Masorâ finali, ad dictionem כארי quam locis tribus inveniri notat Masora, hæc animadvertit, quæ Christianorum lectionem Psalmi xxii. sive Græcorum Interpretum & B. Hieronymi, translationes egregiè confirmant. *In exemplaribus aliquot correctis inveni scriptum* כארו *per Vau cum notâ ad marginem quæ indicabat legendum esse* כארי *per Jod. Perquisivi sanè catalogum dictionum quæ scribuntur in fine per Vau & leguntur per Jod; sed nòn reperi verbum illud in hâc serie recensitum, sicut neque in catalogo variantium scripturarum, quæ Orientales inter & Occidentales exstant, hactenùs repositum nòn fuit.* Erravit hoc loco Genebrardus qui hanc R. Jacob Hajim Masoræ instauratoris animadversionem Criticam Masoræ magnæ, seu finalis, uti loquuntur, auctoribus tribuit.

Genebrard. Comment. in Psalm. 22.

Sunt & alia multa ejusmodi varietatum exempla, quæ Magister ille ex probatis Bibliorum codicibus profert, quæque à Masorethis nòn fuerunt annotata: sed hæc consultò prætereo, quòd jam allata abundè sufficiant. Hîc tantùm subjiciam, ut negotium istud illustrius fiat, illud quod in evolvendis codicibus MSS. de pronomine הוא *ille*, animadvertere licuit. Quo-

ries & quibus in locis היא *illa*, genere fœminino, scribatur pro הוא genere masculino, admodùm anxiè observârunt Critici Tiberienses: sed inutilis fuisse videtur labor iste tàm improbus, cùm MSS. Bibliorum exemplaria ab editis hâc in parte haùd raròdiscrepent, nòn secùs ac vetusti sacri codicis Interpretes. Sic Judicum cap. xiv. ubi nunc legimus כי מיהודה היא absque ullâ Masoræ notâ ad marginem, scribitur in uno codice Hispanico הוא. Ejusdem libri cap. xxi. in editis, seu Masorethicis, exemplaribus constantèr legitur היא neque ulla exstat Masoræ notatio: at in uno codice MS. legitur הוא. Similitèr & Danielis cap. ii. habetur in uno exemplari MS. הוא ubi in editis exstat היא. Si hæc & alia ejusdem rationis benè multa, quibus in præsentiâ supersedeo, plerisque Protestantium probè cognita fuissent, Latinum Interpretem in quo legimus jàm indè à pluribus sæculis cap. iii. Geneseos v. xv. *ipsa conteret caput tuum*, nòn ex eo solùm traduxissent quòd in editis contextûs Hebræi codicibus nòn legatur היא *ipsa*, sed הוא *ipse* vel *ipsum*. *Hìc scribitur*, inquit Sixtinus Amama, הוא *nòn vero* היא *nec locus hic à Masorethis notatus est*: quasi verò codicum omnium recensio à Masorethis facta fuisset. Masorethica quidèm lectio eo probabilior videtur, quòd in multis Latini Interpretis codicibus, & quidèm bonæ notæ, aliàs exstiterit *ipse*, nòn vero *ipsa*, ut in hodiernis: sed nòn statim damnanda erat ista lectio *ipsa*, quod à contextu Masorethico dissentiat. Fieri enim poterat ut Latinus Interpres in suo codice haberet היא *ipsa*; quià in scribendo hoc pronomine facilis fuit Scribarum lapsus, ut ex MSS. exemplaribus apertè evincitur. Sixtin. Amam in Antibarb.

Jàm ex iis quæ hactenùs de Masorethicis exemplaribus allata sunt, nemo nòn judicabit quid sentiendum sit de Bibliis Hebraicis, quæ nunc omnium, tàm Christianorum quàm Judæorum, manibus teruntur. Pauca autem hîc subjicere de selectis illorum editionibus nòn erit ab instituto nostro alienum. Biblia Hebraica, quorum editioni præfuerunt Judæi, longè castigatiora sunt quàm illa quæ à Christianis accurata. Quare haud immeritò Elias Levita Biblia à Bombergo edita Venetiis in folio, anno MDXVIII. præeunte sibi Felice Pratensi, ut minùs correcta, maximè in lectionibus Masoræ, quam Pratensis nòn videtur intellexisse, rejecit. Melioris profectò sunt conditionis Biblia Selectiora Biblia Hebraica.

He-

Hebraica quæ posteà publicavit R. Jacob Hajim, Masoræ instaurator, ejusdem Bombergi operâ & sumptibus, quæque iterùm à Bombergo recusa sunt. In his autem non modò contextus Hebræus repræsentatur, sed & Targumim seu Paraphrases Chaldaicæ cum doctiorum Judæorum Commentariis in Scripturam & Masoram, tàm magnam quàm parvam. Eadem Biblia iterùm edita sunt Venetiis, anno MDCXVIII. Verùm hæc editio ceteris longè inferior est, multáque in his à censoribus, quos vulgò Inquisitores vocant, reformata & castigata sunt, in primis in Rabbinorum Commentariis. Alia etiàm Biblia Hebraica in Quarto edidit Venetiis Daniel Bombergus; sed hæc minùs accurata. Contemnenda tamen nòn sunt illa quæ Judæi in usum suum Pisauri, Sabionosæ, Mantuæ, Francofurti, aliísque in locis, etiàm Venetiis, in minori formâ edi curârunt. Buxtorfius etiàm publici juris fecit novam Bibliorum Bombergi, quibus præfuerat R. Jacob Ben Hajim, editionem, quam in multis à se castigatam putat; maximè in notandis punctis vocalibus contextûs Chaldaici: Verùm hæc editio quæ Basileæ prodiit, anno MDCVIII. Venetianâ Bombergi, ex quâ sumpta est, longè inferior videtur, contemnitúrque à Judæis. Minus quoque accurata sunt Biblia Hebraica quæ Robertus Stephanus in Quarto & in Decimosexto, & Plantinus in Quarto & in aliis formis ediderunt, quàm illa quæ à R. Menasse Ben Israël & aliis Judæis publici juris facta prodierunt Amstelodami in Quarto, anno MDCXXXV. & in Octavo anno MDCLXI. Laudant præterea Judæi, præsertìm illi qui Orientis partem incolunt, editionem à Jacob Lombroso in Quarto, chartâ majori, Venetiis adornatam, anno MDCXXXIX. quæ notas quæ vocant ad literam complectitur. Loca etiàm contextûs quæ videntur paulò difficiliora interpretatur Magister ille sermone Hispanico. His omnibus addi possent aliæ Bibliorum editiones, & quidèm quamplurimæ, quæ à Judæis nòn solùm in Italiâ & Germaniâ, sed & Constantinopoli, Thessalonicæ & Hadrianopoli evulgatæ sunt: verùm insigniores satis est annotâsse. Minùs quidem accurata esse diximus Biblia quæ à Christianis parata sunt, quàm quæ à Judæis; sed Christianis cedunt Judæi in typorum elegantiâ. Seorsìm quoque habentur editi à Judæis libri quinque Mosis cum tri-

plici

plici Targum & Commentariis R. Salomon Isaaki. Hoc modo editus est Pentateuchus Hanoviæ MDCXI. cum versibus per numeros distinctis, qui Latinarum editionum versibus respondeant.

CAP. IX.

Utrum Judæi deditâ operâ codices suos corruperint. Patrum de eâ re sententia expenditur.

QUanquàm ea quæ nunc exstant apud Judæos sacri contextûs exemplaria ab illis quibus LXX. Interpretes & Hieronymus usi sunt, nòn parùm discrepent, imò nec etiàm ætate nostrâ inter se consentiant; indè tamen concludere nòn debemus codices Hebraïcos à Judæis deditâ operâ, ex Christiani nominis odio, corruptos fuisse; sicuti nonnullis Theologis visum fuit, qui hâc in re Judæis minùs æquos se præbuerunt. Leo Castrus Theologus Hispanus unanimem pro hâc sententiâ Patrum consensionem mirè prædicat, eorùmque testimonia profert magno cum apparatu. Similitèr Joännes Morinus in hoc negotio Judæis paulò infensior est: licèt enim hanc opinionem minùs probabilem existimaret, longam tamen illius fautorum catalogum contexuit, ut simplicioribus fucum faceret. Et, quod fidem omnem superare videtur, inter Heterodoxos Isaacus Vossius multa in Judæos, tanquàm Biblici contextûs adulteratores, evomuit. Verùm si rationum potiùs momenta ponderentur quàm numerentur decreta, rem prorsùs alitèr se habere liquidò constabit. Imò dùm plerique Patres Judæos accusant corruptæ Scripturæ, id potiùs de pravâ illius interpretatione intelligendum est, quàm de ipsomet contextu. Damnant siquidèm sub nomine Judæorum, Aquilæ, Theodotionis & Symmachi versiones, quòd eas Judæi passim LXX. Seniorum interpretationi opponerent. Quotiès itaque Patres Judæos in jus vocant quòd Scripturam sacram corruperint, de ejusmodi versionibus, vel de aliâ re simili loquuntur, ut ex infrà dicendis fusiùs patebit. Quâ ratione Hieronymus adversariorum calumnias

Leo Castrus.

Isaac. Voss.

Sententiæ Patrum de Judæorum codicibus.

lumnias amoliri conatus, cur ipse Scripturam ex Hebræo in Latinum sermonem transtulerit, hanc rationem profert. *Ego,* inquit, *nòn tàm vetera abolere conatus sum, quàm ea testimonia, quæ à Judæis prætermissa sunt vel corrupta proferre in medium, ut scirent nostri quid Hebraica veritas contineret.* Quibus verbis Aquilam, Symmachum & alios Interpretes, quos Judæos sæpè aut Semichristianos appellat, acritèr perstringit. Cùm enim Patres inter disputandum de Religionis Christianæ veritate cum Judæis, nòn aliam adversus illos Scripturam adhibebant, quàm Græcam LXX. Interpretum versionem; contrà, illi ad Hebræos codices, id est, ad Aquilam & alios Interpretes, qui novas translationes ex Hebræo fecerant, sempèr recurrebant. Et ob hanc potissimùm rationem ad novam translationem ex iisdem fontibus cudendam adductum se fuisse profitetur Hieronymus, & ante eum Origenes similem ob causam Hexapla sua mirâ arte composuerat. Sed his prætermissis Patris cujuslibet sententiam intueamur.

Hieron. Epist. 89.

Explicatur B. Justini Sententia.

Primus in aciem prodibit Justinus Martyr qui disputans adversus Tryphonem, primò Judæos falsæ ac subdolæ Scripturarum expositionis coarguit; Siquidèm quandò illis objicit, quòd imperitè ac malignè Psalmum, *Dixit Dominus Domino meo*, de Rege Ezechiâ intelligant, qui uni Christo potest accommodari; nòn secùs ac verba illa Isaiæ, *priusquam puer nôrit vocare patrem & matrem*, &c. quæ Judæi ætatis illius ad eumdem Ezechiam referebant: ille verò de Christo interpretanda esse demonstrat. Deindè multa etiàm, Judæorum perversitate, è Scripturis sublata esse contendit, quià Christianorum Religioni favebant; ac demùm voces quasdam in alias esse commutatas. Sed in his omnibus agitur duntaxat de perversâ contextûs expositione, vel ejusdem interpretatione, nòn verò de ipsomet contextu, cùm de illius integritate aut falsitate judicium suum ferre nòn posset Justinus, quem penitùs ignorâsse linguam Hebraicam ostendit quam profert nominis Israël apud Hebræos Etymologia. *Nomen hoc Israël,* inquit, *significat homo vincens virtutem: isra enim homo est,* el *autem virtus.* Id autem præ ceteris animadversione dignum videtur, quòd Justinus Scripturæ sacræ nomine nihil aliud intelligat quàm LXX Interpretum tralationem; ità ut totiès Judæos depravatæ Scripturæ arguat, quotiès Aquilæ

Psalm. 110.

versionem,

versionem, quæ ab illâ in multis dissentit, sequuntur. Et id viros etiam doctos in errorem abduxit, dùm quid Scripturæ sacræ nomine Justinus intellexerit minimè attendunt: quomodo Judæorum Magistros reprehendit, quòd temerè assererent, nunquàm ab Isaiâ scriptum fuisse, *ecce virgo concipiet, sed ecce puella concipiet.* Tota controversia est de vocis Hebraicæ *alma* interpretatione, quam LXX Seniores verterant παρθένος, *virgo*, Aquila verò νεᾶνις, *puella*; & post Aquilam ætatis illius Judæi: quæ interpretatio nihil prorsùs mutationis affert contextui Hebraico; sed Justinus nòn aliam agnoscens Scripturam quàm illam quæ dudùm usu publico in Ecclesiis recepta erat, LXX scilicet Interpretum versionem, hujus auctoritatem Judæis opponit. *Vos autem*, inquit, *& in his mutare expositiones Seniorum vestrorum, qui fuêre apud Ptolemæum Ægyptiorum Regem, audetis, dicentes nòn habere Scripturam sicùt illi verterunt, sed ecce juvencula in utero concipiet.* Scripturæ nomen ibi apud Judæos nihil sonat præter Aquilæ versionem, cui illi penitùs adhærebant in suis disputationibus cum Judæis. Simili ratione Justinus auctor est Judæos à suis codicibus has dictiones ἀπὸ τοῦ ξύλου, *à ligno*, abstulisse quòd in suis ipse codicibus eas legeret, Psalm. xcv. Sed si res ipsa attentiùs consideretur, verba illa videntur potiùs assuta fuisse & adventitia, quàm prætermissa. Hos itaque decipi necesse est, qui Justini, de rebus parùm sibi compertis nimiùm securè pronunciantis, judicium avidiùs sequuntur. Tryphoni potiùs Judæo hâc in parte auscultaverim, quem Justinus respondentem inducit his verbis, Dialogo suo, de Scripturarum mutilatione, cujus auctores ille fecerat Judæorum principes; *incredibilis videtur res illa; incredibilis, inquam, profectò videtur: horribilius siquidem est vituli fabricatione, quam in terrâ desertâ fecere mannâ expleti, aut liberis mactatis Dæmonibus, aut Prophetarum ipsorum occisione.* Major reverâ Judæos codicum suorum tenuit religio, quàm ut illos consultò depravare ausi fuerint. Præterea ex ejusdem Tryphonis responsis, quæ hîc subjicit Justinus, apertè liquet Judæos tunc temporis Scripturarum literæ fuisse tenacissimos, & relictis allegoriarum subtilitatibus, contextui Hebraico presiùs adhæsisse, ut Christianos fortiùs premerent. Quam ob causam Græcas versiones condiderunt, quæ meliùs contextum Hebraicum quàm LXX Seniorum interpre-

B. Justin.

Id. Justin.

terpretatio repræsentarent. Undè etiàm persæpè Justinus utramque lectionem, Judaicam scilicèt ac Christianam laudat, ut cum Judæis disputans, eos ex illorum codicibus refellat. Denique nòn est cùr Judæi ob depravatos à se Bibliorum codices in jus vocentur, siquandò unam eamdémque vocem Hebraicam ad res suas magìs accomodatè exposuerint, sicuti cùm Justinus in eodem Dialogo Tryphoni objicit, Judæos perversè legere Genes. xlix. *ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, donèc veniant quæ reposita sunt ei:* cùm in Græcâ LXX Interpretum versione habeatur *ἕως ἂν ἔλθῃ ᾧ ἀπόκειται, donec veniat cui repositum est.* Nam dictio Hebraica שלו rectè in utroque sensu reddi potuit, neque constat utrùm versio, quam fidentèr Justinus LXX Interpretum esse affirmat, ab ipsis reipsâ profecta fuerit, quandoquidem Romana editio illam exhibet quam Justinus Judæis tribuit, ubi Scholiastes observat extare eamdem apud Clementem Alexandrinum, Eusebium, Chrysostomum, Cyrillum, & è Latinis Patribus Cyprianum & Augustinum. Secundus

Iren. lib. 4. cap. 25.

ordine procedit Irenæus, qui Judæorum Magistros accusat, quòd *Legem suam è contrario Legis Mosaicæ statuerint: in quâ quædam auferant, quædam verò addant, quædam autem quemadmodùm volunt, interpretantur.*

B. Irenæi Sententia.

Verùm seipsum explicat ibidèm Beatus Irenæus, profitetúrque se loqui duntaxàt de Seniorum constitutionibus, quos ait *præcepto Dei miscere æquatam traditionem*, mentísque suæ sensum ex Christi verbis istis apud Matthæum confirmat;

Matth.

quare vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram? Quo loco Christus de contextûs Biblici depravatione nè quidèm cogitavit. Nec etiàm plus habent ponderis alia ejusdem Patris testimonia, quæ in eversionem Judæorum exemplarium vulgò afferuntur:

Notatur Morinus.

demirórque Joännem Morinum, virum eruditissimum, qui in contexendâ Patrum serie qui Biblia à Judæis corrupta fuisse existimârunt, Irenæum recenseat, affirmétque, id omninò constare ex his illius verbis;

Iren. lib. 3. cap. 21.

qui quidèm (Judæi) *si cogitavissent nos futuros & usuros his testimoniis quæ sunt è Scripturis, nunquàm dubitâssent ipsi suos comburere Scripturas, quæ & reliquas omnes gentes manifestant participare vitæ:* Cùm ex illis contrarium potiùs confici queat. Per Scripturas ibi denotat Irenæus LXX Interpretum translationem, quæ in usum plerarumque Synagogarum cesserat: & quià hæc translatio ante Christi adventum

ab

ab ipsísmet Judæis condita fuerat, ex eâ versionem Aquilæ veluti perversam atque subdolam reprehendit, & proclivem Judæorum animum in Scripturæ perniciem colligit, ex illâ interpretatione quam illi in odium Christianæ Religionis assumebant, relictâ LXX Seniorum versione, quæ ab eorum patribus adornata fuerat. Tantum abest ut Irenæus depravatas à Judæis Scripturas asserat; quinimò illarum integritatem statuit, negátque illas reâpse depravatas fuisse, suam tantùm de eo quod futurum fuisset conjecturam subjiciens. Hanc unam librorum sacræ Scripturæ depravationem agnoscit Irenæus cum reliquis Patribus, quæ in Hebræorum codicès, Judæis Babylonem deportatis, invecta fuerat, quæque posteà ab Esdrâ, Synagogæ, quam vulgò magnam appellant, Principe sublata fuerat, exemplaribus Hebraicis primæ formæ illius ope restitutis. Iren. lib. 3. cap. 25.

Tertius progredietur Tertullianus: sed adeò frigida sunt quæ adversus Judæorum codices ex illius auctoritate ducuntur, ut vix refutationé egeant. Proferuntur inprimis hæc illius verba; *legimus omnem Scripturam ædificationi habilem divinitùs inspirari, à Judæis posteà jàm videri propterea rejectam, sicut & cetera ferè quæ Christum sonant, nec utique mirum hoc si Scripturas aliquas nòn receperunt de eo loquutas, quem & ipsum coràm loquentem nòn erant recepturi.* Verùm de contextûs Biblici corruptionibus ne verbum quidèm in hoc Tertulliani testimonio. Librum Enochi quem plerique suppositititium meritò arbitrabantur vindicare conatur Tertullianus, & probationi respondent quæ ex Judæorum, qui ejusmodi librum inter Canonicos nòn recensent, auctoritate desumpta fuerat: ait Doctores istos recutitos multa inter Apocrypha collocâsse, quæ posteà Ecclesia tanquàm Divina receperit. *Scio*, inquit, *Scripturam Enoch quæ hunc ordinem Angelis dedit nòn recipi à quibusdam, quià nec in armarium Judaicum admittitur.* Neque etiàm dixit Tertullianus, ut à Morino laudantur illius verba, Scripturam à Judæis fuisse *resectam*, sed *rejectam*: nòn enim ibi agitur de Scripturâ ex parte mutilatâ, sed de integris voluminibus, quæ Judæi tanquam libros suspectæ fidei rejecerint: & hæc lectio ex Beati Rhenani, Pamelii aliisque Tertulliani operum editionibus confirmatur. Nec magis ad id faciunt verba illa ejusdem Tertulliani; *ista hæresis nòn recipit quasdam Scripturas, & siquas recipit adjectionibus & detra-* Tertul. lib. de habit. mul. cap. 3. Sententia Tertulliani. Tertull. lib. de præscript. adv. hær. c. 17.

ctionibus ad dispositionem instituti sui intervertit; & si recipit, nòn recipit integras, & si aliquatenùs præstat, nihilominùs diversas expositiones commentata convertit. Tantum obstrepit veritati adulter sensus quantum corruptor stylus. Hæreticos ibi notat apertè Tertullianus, nòn Judæos. Jàm ex his cognoscere est, utrùm meritò vir doctus in has voces eruperit postquàm Justini, Irenæi ac Tertulliani contra Judæorum, ut putat, codices testimonia produxit: *ex his igitùr evidentissimè patet principium istud, seu fundamentum, Judæi Scripturas suas atque etiàm nostras in odium Christi & Christianorum depravârunt, & libros nonnullos à Canone deleverunt, sanctissimis Patribus nostris fuisse acceptissimum illóque principio fretos difficultates occurrentes nonnunquàm enucleâsse, & objectionibus Hæreticorum aut Judæorum respondisse.* At, pace viri illius eruditissimi, dixerim eum numquàm Patres eâ de re consuluisse; sed quæ in aliis, maximè in Leonis Castri hominis Judæis infensissimi operibus legerat, ea ferè ad verbum exscripta in Exercitationes suas Biblicas transtulit. Nòn is tamen sum, qui Patrum decretis in hoc negotio omninò standum esse existimem. Plurimùm quidèm valet in rebus fidei illorum auctoritas, sed in re Criticâ tunc æstimanda est, quandò cum veritate concordat, ducémque in hoc negotio habemus Theologorum Latinorum principem, Beatum Augustinum, qui ut fuit vir acutissimi ingenii, judiciíque acerrimi, ab aliorum Patrum sententiâ discedere nòn reformidavit, etiàm in eo argumento de quo in præsentiâ lites moventur: quià illam minùs verisimilem judicabat. Quo pacto expendens rationem discrepantiæ, quæ de annis Mathusalem Græcos inter & Hebræos codices intererat, illorum opinioni favere nequit, qui hoc loco Græca exemplaria Hebraicis anteponunt. Quanquàm Græcam illam versionem opus esse Prophetarum cum ceteris Patribus haùd invitus agnoscat Augustinus. Nonnullorum ætatis suæ eâ de re sententiam refert his verbis; *nòn admittunt quòd magis hîc esse potuerit error Interpretum, quàm in eâ linguâ esse falsum, undè in nostram per Græcam Scriptura ipsa translata est; sed inquiunt nòn esse credibile LXX Interpretes, qui uno simùl tempore unóque sensu interpretati sunt, errare potuisse, aut, ubi nihil eorum interest, mentiri voluisse: Judæos verò dùm nobis invident, quòd Lex & Prophetæ ad nos interpretando transierunt, mutâsse quædam in codicibus,*

Joän. Morin. Exercit. Bibl.

August. lib. 15. de civit. Dei, cap. 11.

cibus, ut in nostris minueretur auctoritas. Hanc opinionem, vel suspicionem, accipiat quisque ut putaverit, certum est tamen non vixisse Mathusalem post Diluvium. Hîc Augustinus veritatis pondere magis permotus fuisse videtur quàm nube Scriptorum, quos minùs æquum de annis Mathusalem judicium ferre noverat. Quare eamdem quæstionem iterùm pertractans, palàm asserit se in eorum sententiam venire nòn posse, qui Judæos deditâ operâ codices suos depravâsse existimabant: negat Judæorum gentem longè latéque diffusam, in hoc conscribendum mendacium uno consilio conspirare potuisse; ità ut dùm aliis invideant auctoritatem, sibi veritatem abstulerint. Demùm hæc subdit, *rectè fieri nullo modo dubitaverim, ut cùm diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque esse nòn potest, verum ei linguæ potiùs credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio.* Et ut ità sentiret Augustinus, contra plerorumque ætatis suæ Doctorum opinionem, sola rei ipsius veritas effecit. Optarem ut omnes cum Augustino, magis ad res ipsas quàm ad aliorum auctoritatem animum attenderent. Hoc enim pacto diversitas opinionum facillimè conciliaretur. Aliorum Patrum testimonia, quorum longam seriem Leo Castrus inutilitèr contexuit, prætereo: satìs enim erit illos producere, qui linguam Hebraicam calluerunt. Puderet enim illos testes proferre negotii quod eos omninò latuit.

August. ibid. cap. 13.

B. Augustini sententia de Judæorum libris.

Unus Græcos inter Origenes & inter Latinos Hieronymus linguæ Hebraicæ operam dederunt. Ut enim ceteros omittam, Epiphanius quem linguis quinque instructum prædicat Hieronymus, Hebraicâ levitèr tinctus fuit, rei verò Criticæ minimè peritus. Origenem primùm post Apostolos Ecclesiæ Magistrum idem Hieronymus appellare nòn dubitavit ob singularem illius, præsertìm in Scripturis, eruditionem. Si tamen penitiùs introspiciatur Hebraicum Origenis studium, mediocritèr in eo versatus fuisse videbitur; sed in hoc sanè veniâ dignus est, quòd longè plurimis intentus, aliquando minùs exactè loquatur, Philonem sæpe aliósque similes Scriptores sequutus. Sat tamen eruditionis Hebraicæ habuit ut variarum editionum discrepantias assequeretur; etsi hâc in parte Hieronymo longè inferior exstiterit. Quare spernendum nòn est illius judicium de contextûs Hebraici sinceritate. Scriptores qui Judæorum codices

B. Epiphan.

Origenis de Judæorum codicibus sententia explicatur.

codices elevant, multa solent ex Origenis operibus proferre, quibus Judæos tanquàm sacrarum literarum corruptores traducere videtur. Itá ad hæc verba Hieremiæ, *peccatum Judæ conscriptum est stylo ferreo*, Judæos palàm arguit veluti falsarios, qui hoc loco, *peccatum eorum*, pro *peccato Judæ*, posuerint. Iterùm in Epistolâ, quam scripsit Africano de historiâ Susannæ, multa Judæos à suis libris resecuisse, nè legerentur à plebeiis hominibus asseverat. *Dicendum*, inquit, *quòd ex iis quæ Presbyterorum & Magistratuum & Judicum continebant vituperationem, quæcunque potuerunt sustulerunt à cognitione populi, quæ quidem servantur in arcanis.* Et in exemplum illius corruptionis affert quæ auctor Epistolæ ad Hebræos narrat de Isaiâ: ac contendit ea quæ ibi exstant de Prophetis nimirùm, *lapidati sunt, secti sunt, in occisione mortui sunt*, in libris editis nòn haberi; sed quæ leguntur de secto Isaiâ ex traditione accepta fuisse & in Apocrypho quodam asservari. *Quod quidem*, inquit, *fortassè consultò per dolum factum est à Judæis, quibusdam nòn decentibus Scripturæ injectis dictionibus, ut toti fides abrogaretur.* Alia ibidèm sed planè similia in ejusdem rei probationem subjungit, ea scilicèt quæ Christus in novo Testamento quasi ex veteri translata Judæis objicit, quæ tamen in hoc frustra quæsieris, qualia sunt verba illa, *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui missi sunt ad te*, &c. Paritèr historia quæ refertur de Zachariâ filio Barachiæ occiso inter Templum & altare, quòd hæc omnia in Scripturâ minimè appareant, illa à Judæorum Magistris sublata fuisse suspicatur. *Quamobrem*, inquit, *nòn aliud procurâsse existimo eos qui æstimabantur Sapientes & Principes & Seniores populi, quàm ut ea adimerent quæ eorum continebant accusationes ad populum: nòn est ergò mirum si veram historiam Susannæ, cui parârunt insidias impudici Seniores, ii qui nòn longè aberrant ab instituto illorum Presbyterorum suffurati sunt & subtraxerunt à Scripturis.*

Possunt & alia benè multa ex Origenis operibus in ejusdem rei probationem congeri, quibus plerique Scriptores in eversionem codicis Hebræi abutuntur quibus cognitum nòn est ingenium Origenis, & quæ illi propria est scribendi ratio. Hæc nòn ignoravit Eustathius qui notat Origenem, quòd ubique opiniones contrarias scriptis suis inserat; idémque longè anteà

Eustath. Dissert. de Engastr. adv. Origen.

Hie-

Hieronymus nòn solùm de Origene, sed de Eusebio, Methodio, Apollinario, animadverterat, qui *interdùm nòn quod sentiunt, sed quod necesse est, dicunt.* Fecit nimia illa Origenis libertas, ut, dùm quicquid ex aliis Scriptoribus haustum in mentem venerat, sine delectu effutiit, in hæreseos crimen, quasi mentis suæ sensa exprimeret, vocatus fuerit. Hæc itaque diligentèr observanda sunt, si Origenem cum ipso Origene conciliare velimus, nè quod ille probabilitèr tantùm dixerat, suísque temporibus serviens ac personis quas alloquebatur, id pro Origeniano obtrudatur. Aliàs parùm sibi constans Origenes ubique contraria dixisse videbitur, ut etiàm præsentis controversiæ exemplo, de contextûs Hebraici sinceritate, demonstrare nòn est arduum. Idem enim Origenes, apud quem Judæi suprà malè audiunt, tanquàm Scripturæ sacræ corruptores, profertur ab Hieronymo velut acerrimus veritatis Hebraicæ defensor. *Quod si aliquis dixerit*, inquit Hieronymus, *Hebræos libros posteà à Judæis esse falsatos, audiat Origenem quid, in octavo volumine explanationum Esaiæ, huic respondeat quæstiunculæ, quòd nunquàm Dominus & Apostoli, qui cetera crimina arguunt in Scribis & Pharisæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent. Sin autèm dixerint, post adventum Domini salvatoris & prædicationem Apostolorum libros Hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere nòn potero, ut Salvator & Evangelistæ & Apostoli testimonia protulerint ut Judæi posteà falsaturi erant.* Nòn hic sanè tergiversatur Origenes, sed quid de Judæorum codicibus sentiret, liberè & apertè profitetur. Cur autèm contrarium prorsùs interdùm affirmet Origenes idem Hieronymus, qui illius ingenium probè noverat, docet his verbis. *De Adamantio autèm sileo, cujus nomen, si parva licet componere magnis, meo nomine invidiosius est; qui cùm in Homiliis suis quas ad vulgum loquitur, communem editionem sequatur, in Tomis, id est, in disputatione majori, Hebraicâ veritate stipatus & suorum circumdatus agminibus, interdùm peregrinæ linguæ quærit auxilia.* Alitèr igitùr cum eruditis se habebat Origenes, alitèr verò cum imperitâ multitudine, & ut aiunt, *cum paucis sapiens*, ea quæ multorum erant palàm faciebat. Et his consentiunt quæ ipse Origenes scribit adversus Celsum: postquàm enim nonnulla ex libro Exodi produxit de Eleazari filii Moysis circumcisione, secundum vulgatam temporis illius editionem,

Hieron. apol. adv. Ruffin.

Hieron. Comment. in c. 6. Isai.

Hieron. proœm. quæst. Hebr. in Genes.

tionem, statim contextûs Hebraici lectionem subjicit cum hâc animadversione, *sed hæc quæ videntur curiosiora nec satis apta vulgi auribus*, &c. Nimirùm Origenes cùm multa de nominum in variis linguis, juxta Magorum Cabbalistarúmque principia, virtute, diligentissimè observâsset, ac quidpiam de octavæ diei circumcisione superstitiosiùs annotâsset, verbis Scripturæ Græcè & Judaicè laudatis, veluti seipsum castigans alia ejusdem naturæ, quæ à plebeiorum hominum cognitione nimiùm remota arbitrabatur, prætermittit, Doctoris partes exsecutus, cujus erat multitudinem secundum Religionis Christianæ, nòn verò Judaicæ, principia docere.

Origen. lib. 5. adv. Celsum.

Si hæc & alia, quæ prudens omitto, de Origenis ingenio & illius scribendi ratione ritè observentur, facillimè cognoscetur quo animo ille Judæos in crimen falsatæ Scripturæ adduxerit: In Homiliis siquidèm quos ad populum habuit plebeiorum hominum personam induere tenebatur, similitèr in Epistolâ quam scripsit Africano, veterum Patrum sententiam de Hebræis Græcísque exemplaribus sequutus est, atque in primis Justini, nòn ausus ab eâ discedere nè videretur cum Judæis sentire, ut verbis istis quæ exstant in eâdem Epistolâ satis innuit; *vide ergò ne imprudentes & inscientes abrogemus exemplaria quæ habentur passìm in Ecclesiis, & legem statuamus Fraternitati, ut deponant quidem sacros qui apud eos feruntur libros, assententur autèm Hebrais, & persuadeant ut nos puris impertiant & qui nihil habeant figmenti.* Tunc in animo habebat quantum detrimenti rebus Christianorum afferre poterat, pro illâ ætate, Judæorum de LXX Interpretum versione sententia. Undè hæc ibidèm subdit; *Considera annòn sit bonum meminisse ejus quod scriptum est, nòn transpones terminos æternos quos statuerunt patres tui. Hæc autèm dico nòn quod verear ac dubitem scrutari quæ sunt apud Judæos Scripturas, & omnes nostras cum illorum Scripturis conferre, & videre quænam sint in illis differentiæ. Si nòn est quidem certè grave & arrogans dicere hoc, gnavitèr & prò viribus fecimus ut mentem nostram exerceremus in omnibus editionibus & earum differentiis, cum eo quod longè magis exercebamus interpretationem LXX, nè videremur falsi & adulterini aliquid inducere in Ecclesias quæ sunt sub cœlo, & daremus prætextum iis qui quærunt occasionem & volunt eos qui sunt in medio calumniari & iis qui sunt in communi criminari.* Ex his manifestum est Origene

Origen. in Epist. ad Afri-

gene

genem nòn simplicitèr, sed secundùm œconomiam duntaxat, & accommodationem, eam quæ tunc vulgò recepta erat de Judæorum codicibus opinionem suâ quoque auctoritate comprobâsse. Quandoquidèm, teste Hieronymo, apud eruditos contrarium docuit, neque etiàm plurimi fecisse videtur rationes quas in illâ profert epistolâ: dictionem enim conjecturalem fortassè, quasi subdubitans, adhibet. *Quod quidem fortassè*, inquit, *consultò per dolum factum est à Judæis*, &c. His omnibus accedit inanes prorsùs esse, quas affert, rei hujusce probationes, ac à seipsis corruere, neque illum earum fuisse auctorem crediderim; sed, ut erat vir inexhaustæ lectionis, quæ ex aliorum libris hauserat probabilitèr attulit. Quanti autèm ipse fecerit Judæos Origenes palàm testatus est, cùm illos sibi in linguâ Hebraicâ Magistros accersiverit, quorum frequenti consuetudine usus, reliquos Ecclesiæ Doctores in Scripturarum scientiâ longo intervallo superavit.

Similitèr Hieronymus de Judæorum codicibus diversa planè sensisse videtur, adeò ut jàm suâ ætate viri docti illius inconstantiam, tàm in hoc argumento quàm in aliis, objicere nòn reformidârint: & nostris temporibus Ribera, qui in operibus Hieronymi fuit exercitatissimus, mentis illius assequendæ difficultatem sentiens, affirmat Hieronymum *nòn oscitantem aut ineruditum lectorem postulare*. Et scriptionis illius methodum ac rationem exprimens ità loquitur; *solet sæpè vulgares interpretationes & opiniones sequi, nè unus multis repugnare velle videatur, contentus aut ibi aut alibi quod verum erat docuisse*. Multos tamen videas, qui, licèt vix Hieronymum salutaverint, eum sibi patronum adsciscere nòn dubitent; quos sæpiùs decipi necesse est, dùm non tàm quid ipse sentiat, quâve de causâ ità sentiat, quàm quid loquatur, temerè producunt. Idcircò nè similes illis esse videamur, quale sit Hieronymi ingenium, quæve illius ratio scribendi explicare est operæ precium, ut hâc arte quid constantèr & ex suâ sententiâ, quid vero probabilitèr tantùm & ex aliorum opinione dixerit, consequi possimus.

B. Hieronymi de Judæorum libris judicium.

Riber. Comment. in Joël.

Hieronymus juvenis, in Scholis declamator, controversias in utramque partem agitare consueverat, in Grammaticorum, Rhetorum necnòn Philosophorum libris detritus. Peripateticorum in primis & Stoicorum, quià illi Logices erant peritissimi,

ſtudioſus fuit. Ariſtotelem & ejus Interpretum facilè principem Alexandrum Aphrodiſſiæum ſibi reddidit familiares, atque hujus Commentarios Latinâ civitate donavit. *Penè ab ipſis*, inquit, *incunabulis inter Grammaticos & Rhetores & Philoſophos detriti ſumus.* Indè fit ut plerumque ſuos obtrectatores tanquàm homines artis Dialecticæ imperitos derideat, *qui κατηγορίας Ariſtotelis, neque περὶ ἑρμηνείας, nec Topica legerint.* Quantum in Scholâ Ariſtotelis profecerit ubique oſtentat, ac docet quantum in rebus Dialecticis plumbei eſſent illius adverſarii. *Legimus*, inquit, *ô eruditiſſimi viri, in Scholis pariter & Ariſtotelea illa de Gorgiæ fontibus manantia. Simùl didicimus plura eſſe videlicèt genera dicendi, & inter cetera, aliud eſſe γυμναστικῶς ſcribere, aliud δογματικῶς· in priori vagam eſſe diſputationem & adverſario reſpondentem, nunc hæc nunc illa proponere, argumentari ut libet, aliud loqui, aliud agere.* Hâc arte Hieronymus puerilis inconſtantiæ crimen, quod ei objectum fuit, quaſi pro arbitratu loqueretur pugnantia, à ſe removit. Quæ ἁπλῶς ac ſimplicitèr affirmare viſus fuerat, ea tantùm οἰκονομικῶς & κατά τι à ſe dicta fuiſſe oſtendit. Ità cum Origenem Eccleſiæ Magiſtrum appellare nòn dubitâſſet, eumdem poſteà notavit ut Hæreticum. Illius pro re natâ duntaxàt laudatorem ſe fuiſſe declarat. *Noſtrum*, uti loquitur, *voco Origenem ob eruditionem ingenii, nòn ob dogmatum veritatem.* Habet & ſimilia de Euſebio, & eâdem ratione Aquilam modo appellat accuratum ac diligentiſſimum interpretem, modò contentioſum & ineptum: tamen ſecum ipſe nòn diſſidet Hieronymus, qui, pro rerum diverſitate, diverſa quoque ſentit de uno & eodem interprete.

Hieron. lib. 2. Apolog. adv. Ruffin.

Jàm explicatâ B. Hieronymi indole ejúſque ſcribendi formâ, ad id quod noſtri eſt inſtituti deveniamus. Joannes Morinus, qui contraria ipſe haùd infrequentèr loquitur, Hieronymi inconſtantiam in eo de quo nunc agimus argumento ſuggillat his verbis. *Juvenis ſanctus Hieronymus LXX Interpretum tranſlationem ut ab Apoſtolis approbatam & verè Divinam ſuſpexit —— Judæos deniquè malignæ corruptionis, in odium Chriſtianorum, ſæpè accuſavit. Verùm ætate provectior Rabbinorúmque plurium, diſcendæ Hebrææ linguæ causâ, contubernio uſus, ſententiam ità mutavit, ut nòn modò codices Hebræos ab omni malignâ depravatione immunes aſſeruerit, ſed etiàm in extrema quæque ferè propenderit.* Sed dudùm Hieronymus ipſemet

Joan. Morin. in Exercitat. Bibl.

Ruffino

Ruffino & aliis, qui eadem prorsùs illi objiciebant, respondit; se tam stultum nòn esse, ut quod in pueritiâ didicerat, senex oblivisceretur, *neque nova sic cudimus*, inquit, *ut vetera destruamus.* Consideranda sunt inprimis illa quæ de Hieronymianâ methodo suprà annotavimus. Primò enim Hieronymus in Ecclesiâ enutritus ejus codices in honore habuit, eosdémque ad pervetusta exemplaria castigatos longè emendatiores linguæ suæ hominibus, id est, Latinis, dedit. Quapropter receptam vulgo de illorum authentiâ sententiam amplexatus, illorum architectos, cum aliis omnibus, tanquàm Prophetas prædicavit, ut illorum lectionem sub hoc nomine commendaret. Utrùm autem reipsâ Prophetarum an Interpretum albo adscribi debeant minimè curat, cùm id tunc sui nòn esset instituti, ea tantùm referre contentus ad operis sui commendationem quæ in ore omnium versabantur. Sed factus senior, postquàm literis Hebraicis operam dedisset, Criticum agens, nòn ampliùs ex aliorum sententiâ loquutus, quid ipse sentiret confidentèr asseruit. Demùm cùm in se multorum maledicta, ob hanc opinionem convertisset, iterùm communem de Hebræis Græcisque exemplaribus, secundum œconomiam tantùm, & habitâ rerum suarum ratione, amplexatus fuit.

Malo itaque Hieronymo jàm provectæ ætatis adhærere & rei Criticæ tunc perito, quàm juveni qui ex aliorum ore loqueretur. Nec est quòd Morinus objiciat, Hieronymum in his locis videri quid ipse sentiret proferre, nòn autem aliorum opinionem: Hieronymo siquidèm familiare est, ut quæ probabilitèr solùm, & quæ ex aliorum mente producit, de iis firmissimè, & quasi suam ipse sententiam exprimat, asseveret. Quo sensu intelligenda esse existimo verba illius in Epistolâ ad Galatas, ubi nonnulla à Judæis perversè deleta fuisse in Hebraicis exemplaribus auctor est. Ibi enim ex Scriptorum, quos in suâ Præfatione laudavit, sententiâ loquitur. Ità Ruffino doctrinam suam maledictis lacessenti aliàs respondit; *ego, in Commentariis ad Ephesios, sic Origenem & Didymum & Apollinarium sequutus sum, qui certè inter se contraria habent dogmata, ut fidei meæ nòn amitterem veritatem. Commentarii quid operis habent ulteriùs dicta edisserunt.* Et paulò post; *nùm diversæ interpretationis & contrariorum inter se sensuum reus tenebitur, qui in uno opere, quod edisserit,*

Hieron. Comment. in cap. 3. Epist. ad Galat.

expositiones posuerit plurimorum. Quâ similitèr ratione rescribens Augustino, post recensitos Doctores, quorum verbis sua ipse contexuerat, hæc subjungit. *Itaque, ut simpliciter fatear, legi hæc omnia, & in mente meâ plurima coacervans, accito Notario, vel mea vel aliena dictavi, nec ordinis nec verborum, interdum nec sensuum, memor.* Iterùm hæc eidem Augustino rescribit. *Siquid igitur reprehensione dignum putaveras in explanatione nostrâ, eruditionis tuæ fuerat quærere utrùm ea quæ scripsimus, haberentur in Græcis: ut si illi non dixissent, tunc meam propriè sententiam condemnares, præsertim cum liberè in Præfatione confessus sum Origenis Commentarios me esse sequutum, & vel mea vel aliena dictasse.* Nequis autem illi objiceret, hoc scribendi genus peculiare illi fuisse, docet alio in loco quos sibi in hâc arte duces proposuerit. *Legite*, inquit, *Demosthenem, legite Tullium, ac, ne forsitàn vobis Rhetores displiceant quorum artis est veri similia magis quàm vera dicere, legite Platonem, Theophrastum, Xenophontem, Aristotelem*, &c. Imò laudat Origenem, Methodium, Eusebium, Apollinarium, & inter Latinos Tertullianum, Cyprianum, Minutium, Victorinum, Lactantium, Hilarium, qui similem scribendi rationem imitati fuerint; quin & ipsummet Paulum his omnibus adjungit: *Legite*, inquit, *epistolas ejus & maximè ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est; & videbitis eum in testimoniis, quæ sunt de veteri Testamento, quàm prudens quàm dissimulator ejus sit quod agit.* Et hæc ex Hieronymi libris decerpta ideò prolixiùs retuli, quòd sæpè deprehenderim multa tribui Hieronymo de quibus ille nunquàm cogitavit. Tenenda igitùr priùs est dictionis Hieronymianæ œconomia, quàm de illius mente feratur judicium, & aliquid sub ejus nomine & auctoritate propugnetur. Frequentèr enim nòn tàm quid ipse sentiat adducit, quàm quod ex aliorum scriptis hausit; quæ si probè intelligantur, nunquàm à seipso diffidebit Hieronymus, etiam in præsenti, quam nunc tractamus, materiâ. Quandò enim Judæos, tanquàm Scripturæ sacræ corruptores, perstringit, ex aliorum mente loquitur. Unde Commentariis in Michæam nòn ausus est palàm Judæos accusare, quasi è suis codicibus vocem Ephratha, seu Bethlehem, ex odio Christianæ Religionis, eraserint, nè videlicèt Christi è tribu Judæ ortus cognosceretur. Verùm hanc esse quorumdam ætatis suæ

Hieron. Epist. ad Augustin.

Hieron. Comment. in Mich. cap. 5.

ſuæ Doctorum ſententiam declarat, nihil omninò affirmans; aliorum duntaxàt placita refert inter ſe pugnantia. Hoc tamen Hieronymi teſtimonium avidè arripuit Iſaacus Voſſius, vir alioqui doctus, ut oſtenderet Hieronymum nòn auſum fuiſſe negare Judæos vocem *Ephratha* à ſuis exemplaribus de induſtriâ ſuſtuliſſe. Sed quid de hoc argumento ex rei veritate ſentiat Hieronymus diſcere nòn eſt arduum, cum Hebraici contextûs, quem paſsim veritatem Hebraicam appellat, ſtrenuum defenſorem ſe præbeat. Iſaac. Voſſ.

CAP. X.

Iſaaci Voſſii ſententia de Judæorum codicibus expenditur & refellitur.

SOlas Judæorum Scripturas veras eſſe ac primigenias communis eſt Theologorum, quos vulgò Proteſtantes vocant, opinio; qui inter diſputandum cum Doctoribus Catholicis, ad codices Hebræos ſempèr recurrunt ſiquandò ab his diſſentiat Latinus Interpres, quem in multis erràſſe arbitrantur. Indè factum eſt, ut Theologi illi, qui Reformatorum nomen ambiunt, antiquas Eccleſiæ verſiones parvi fecerint; ſi perpaucos excipias, qui nævos etiàm in contextu Judaico, nòn ſecùs ac in illius interpretibus, deprehenderunt. Verùm longè ultrà progreſſus Iſaacus Voſſius à receptis Proteſtantium moribus receſſit, ac palàm Judæos falſitatis accuſavit, quòd multa à ſuis codicibus, ex Chriſtianæ Religionis odio, de induſtriâ, poſt Chriſti adventum & everſa Hieroſolyma, expunxiſſent: eóſque qui Judæorum cauſam agunt acritèr ſuggillat & Doctores ſuæ ſectæ, qui hodiernam codicis Hebræi lectionem tueantur, appellat *aſellos caſſos lumine & intellectu, togâ cinctos profeſſoriâ, pro clypeo geſtantes Biblia Maſorethica cum omnibus ſuis punctis.* Iſaac. Voſſ. Epiſt. ad Andr. Colv.

punctis. Firmissimas Vossium assertionis ità liberæ rationes habere, quis nòn credat? At quàm gravitèr allucinatus ille fuerit, ex his quæ mòx dicentur, manifestum fiet. *Quis locum,* inquit, *qui de Messiâ agat in sacris occurrit literis quem illi nòn corrumpere aut sinistrâ interpretatione enervare sunt conati?* Et paulò post; *cùm viderent tempus adventûs Messiæ præteriisse, expleti quippe erant anni sex mille à creatione mundi, ut lucrarentur annos bis mille, tota quatuordecim sæcula è codicibus suis expunxerunt: residua quinque vel sex sæcula ut abolerent, decurtârunt intervalla Judicum, omittendo Anarchias & contrahendo spatia Regum Persicorum. Hoc pacto totis bis mille annis mensuram temporis mulctârunt.* Sed hæc mera sunt Vossii commenta, qui nòn solùm Judæos accusat, sed & à Samaritis idem facinus commissum fuisse auctor est, licèt dispari ratione. Verùm prisci Ecclesiæ Patres Africanus, Origenes, Eusebius, Hieronymus, Augustinus & alii, qui hanc Judæorum codicis ab Hebræis exemplaribus in rebus Chronologicis discrepantiam animadverterunt, de hàc depravatione Judæis objiciendâ nunquàm cogitârunt. Imò Augustinus hâc in parte Judæorum exemplar Græco præferendum esse nòn veretur interdum asserere, in eâque est opinione, *ut ei lingua potiùs credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio.* Justinus Martyr, qui disputans adversus Tryphonem Judæos variis modis exagitat, ut Græcam, quæ tunc sola in Ecclesiâ auctoritatis aliquid obtinebat, Septuaginta Seniorum interpretationem vindicaret, de mutatâ ab iis Chronologiâ, ut causæ suæ patrocinarentur, nè verbum quidèm protulit.

Voss Dissertat. de Sept. præf.

Notatur Vossius.

B. Augustin.

B. Justin.

Præterea si Judæis in mentem venisset codices Hebræos corrumpere, nè tempus quo in sacris literis venturum esse Messiam significatur elapsum esse videretur, longè potiori titulo Danielis vaticinium, quod accuratè tempus illud observat, quàm libros Moysis aut Judicum depravâssent. Prophetiam autem Danielis, quæ magnam partem Messiæ tempora respicit, integram remansisse in confesso est apud omnes, & hâc Judæos valdè premi negare nòn audet ipse Vossius. Sed latebras quærens affirmat antiquos Judæos nòn tantùm Danielem à choro Prophetarum segregâsse, sed & negâsse fuisse Prophetam. Verùm nunquàm intellexit vir doctus, quo sensu Judæi Danielem Prophetarum choro minimè adscriberent. De hoc negotio, utì

jàm

jam suprà observatum est, frustrà Christiani cum Judæis disputant: utrique enim lubentes agnoscunt in libro Danielis multa exstare de Messiâ venturo vaticinia, & hunc Spiritûs sancti opus esse nòn secùs ac reliquos Scripturæ sacræ libros. De Davide eadem prorsùs fingunt Judæi atque de Daniele: nòn ideò tamen Spiritûs sancti afflatum ab eo removent. Contrà in Psalmis etiàm multa haberi quæ venturum Messiam prænunciant palàm asserunt, & siquid sit inter illos & Christianos hàc in parte discriminis, mera est de nomine, ut jàm alibi probatum est, controversia: dùm illi alitèr Scripturæ sacræ libros partiuntur atque Christiani. Sed suo seipsum gladio jugulat Vossius dùm ob res Chronologicas Judæos falsitatis reos peragit, quandoquidèm hodierna contextûs Hebraici Chronologia Judæos longè magis urget quàm illa quæ ex Græcâ LXX Interpretum versione ducitur, nec id Judæi ipsi diffitentur in libris Talmudicis, ubi nòn eunt inficias jàm expletum fuisse tempus quo venturus erat Messias, sed addunt illum propter eorum iniquitates nòn advenisse. Hæc sunt Talmudistarum verba; *domûs Eliæ traditio hæc est; mundus constabit sex annorum millibus; annorum erunt duo millia inanitatis, seu ante legem: duo etiàm millia annorum Legis: & duo millia annorum temporis Messiæ. Sed ob iniquitates nostras, quæ multæ sunt, præteriêre anni illi, qui jàm elapsi sunt.* Vossius, qui istud Eliæ effatum ad institutum suum trahere conatus est, in pluribus erravit: primò enim laudare videtur illud quasi reverâ ab Eliâ Prophetâ, aut ex ejus libro, *quem olim,* inquit, *veteris Testamenti scriptis annumeratum fuisse constat,* desumptum fuerit. Sed Elias iste Doctor fuit Talmudicus, sicuti R. Hillel, R. Schammai, R. Johanan, & alii benè multi quorum nomina & sententiæ in Talmude referuntur. Deindè figmentum est quod ait bis mille annos qui Legem Moysis præcessêre, nòn à principio creationis debere numerari, sed à Diluvio vel ab illo tempore quo Noæ dixit Deus, velle se mundum perdere. Longè siquidèm diversa est hoc loco Judæorum sententia de sex annorum millibus quo mundus duraturus erat, secundùm Magistri Eliæ traditionem. Vaticinii enim illius fundamentum ex sex diebus creationis petitum est; ità ut, sicutì Deus intra sex dierum spatium mundum creavit, similitèr idem mundus sex anno-

Talm. in tract. Sanhedr. & in Avoda Zara.

Voss. de Sibyllin. Oracul. cap. 8.

Talmudistarum sententia de mundi duratione.

annorum millibus perduraturus sit:* idcircò annorum mundi supputatio, indè jàm à primâ rerum omnium creatione sumi debet. Magistri qui Commentariis suis Talmudis libros illlustrant, bis mille annorum numerant à primo homine condito usque ad tempus illud quo Abraham relicto Idolorum cultu veram Dei unius Legem amplexatus est. Tunc secundum illorum supputationem annum vitæ agebat quinquagesimum secundum. Frigida autèm sunt quæ profert idem Vossius ut probet ex B. Petri epistolâ, mundi, de quo agitur, initium arcessendum esse à Diluvio, quòd Apostolus ille veterem mundum eum vocaverit qui Diluvium præcessit; terram verò quam nùnc habitamus mundum alterum: hæc, inquam, frigida sunt & extra propositi hujusce rationem. Sed nòn est cur fictitiæ Doctoris Eliæ de mundi duratione Prophetiæ diutiùs immoremur, neque etiàm ratio habenda est libri illius Prophetiarum Eliæ, quem falsò putat Isaacus Vossius, Eliæ Talmudici nomine deceptus, inter veteris Testamenti libros olim collocatum. Alias siquæ sint majoris momenti probationes ab eodem Vossio productæ adversus Judæos, expendamus.

Nonnulla deindè Vossius adversus Judæos congerit, ut conficiàt illos nòn pauca Scripturæ sacræ loca mutilasse, atque in primis Justinum Martyrem opponit, qui scribat complura olim à Judæis inquinata fuisse exemplaria. Verùm jàm anteà iis omnibus, quæ ex Justini auctoritate sumi possunt, rationibus abundè satisfecimus. Contextum Hebræum nunquàm consuluit Justinus, imò nec consulere potuit; cùm ex illius scriptis manifestum sit, eum linguam Hebræam nòn calluisse. *Sed quos nòn lusus*, inquit Vossius, *dedisset sanctissimus Martyr Tryphoni & innumeris aliis, inter quos versabatur, Judæis, si nòn vera fuissent ea quæ illis intentat crimina?* Sed hæc argumentandi ratio digna nòn est homine erudito, qui in evolvendis B. Justini libris deprehendere poterat multa illi excidisse. At pergit Vossius; *vaticinium de Christo quod occurit Psalmo xxii. ubi pro* foderunt *substitutum est*, tanquàm leo, *fuisse ab iis depravatum fatentur plerique Christiani exceptis Fanaticis quibusdam & Sesqui-Judæis.* Verum quidem est ob id à plerisque Theologis in jus vocari Judæos quasi deditâ operâ locum istum corruperint. Sed absit ut Fanaticos ac Sesqui-Judæos illos esse pronunciem, qui hoc crimen

Voss. de Septuag. Interpr. cap. 8.

Notatur Voss.

crimen à Judæis amoliuntur, cùm R. Jacob Ben Hajim Masoræ instaurator lectionem *caru*, *foderunt*, quæ Christianis favet, in nonnullis exemplaribus se invenisse palàm testetur. Neque mirum videri debet, quòd Masorethæ eam, quæ causam suam magis tuebatur, lectionem amplexati fuerint. Eam quidèm quam Græci Interpretes & Hieronymus repræsentant veriorem esse agnosco; nòn ideò tamen accusandi sunt Judæi qui è duabus lectionibus unam selegerint, quæ ad res suas magis accommodabatur. Quin & fieri potest ut ea solùm in Masorethicis exemplaribus lectio exhiberetur quam hodiè exhibent: In lectionibus *cari* & *caru* parùm esse discriminis nôrunt omnes qui rei Criticæ periti sunt, & quàm facilis ac frequens sit literarum *Jod* & *Vau* inter se permutatio. Neque dixeris literam *Aleph* in dictione *cari* scriptam reperiri, minimè verò in dictione *caru*, adeóque mutationem nòn ita facilem fuisse. Sed alia sunt & quidèm haùd infrequentia in sacris codicibus superfluæ hujusce literæ exempla, quæ Masorethis ipsis nòn fuère incognita. Quare Græci Interpretes & B. Hieronymus illam veluti superfluam reticuerunt, vel ab eorum exemplaribus aberat; secùs verò Masorethæ, qui illam agnoscunt. R. Jaco. in Bibl. Venet.

Vana sunt etiàm quæ ex loco Zachariæ, cap. xii. v. x. objicit Vossius, quasi antiquam Judæi lectionem, quam prisci interpretes in suis exemplaribus habuere, de industriâ mutaverint: at nemo nòn, artis Criticæ peritus, judicabit hanc diversitatem ortam esse ex diversis exemplaribus; dùm in aliis legitur *dakeru*, in aliis autèm *rakedu*, ob facilem videlicèt literarum *Resch* & *Daleth* in se invicem permutatiónem. Nec video cùr ob id, & alia id genus sexcenta, Judæi potiùs in crimen falsitatis adducantur, quàm Græci, Latini, ceterarúmque nationum Scribæ, qui similiter in describendis suis codicibus labuntur. Hanc literarum similium commutationem in omnibus linguis reperiri necesse est, undè posteà ingens codicum nata est discordia. Quâ de re consulendum est inprimis Scioppii de arte Criticâ opusculum, qui totum istud negotium egregiè illustravit. Leo quoque Allatius, vir in evolvendis codicibus MSS. diù versatus, varia Criticorum, in rei hujusce confirmationem, loca congessit: cujus verba huc referre nòn pigebit, ex illius animadversionibus in Antiquitatum Etruscarum

L Frag-

Leo Allat. in Antiquit. Etrusc. pag. 55.

Fragmenta, quæ ab Inghiramiò edita fuerant. *Prætereà*, inquit, *tot exscriptorum errata, tot literarum, tot nominum in antiquorum monumentis mutationes, si ingenuè agimus, à nullo alio quàm à capitalibus hisce corrivârunt, ob literarum similitudinem quam inter se capitales, nòn autèm minusculæ, servant. Exemplis sed paucissimis ex aliorum animadversionibus agamus, nè ista curiosiùs ipse perquirere, ab inficeto nescio quo, dicar. Josephus Scaliger in Varronem de Re Rusticâ, lib. ii. cap. iii. Mediam non Meliam propter familiarem veteribus τῦ L in D mutationem, ut Melicæ contrà gallinæ dictæ, quæ Medicæ dici debebant; & alibi Librarios imperitos sæpè pro I, L, & contrà scribere. Godeschalcus Steuichius in libro i. Appuleii ait, sæpè in mutuum locum immigrâsse has literas,* D *&* T; *& in libro v. causam depravandi sententiam asserit similitudinem literarum* B *&* P; *nam & has, ut &* R, *nòn semèl ex affinitate commutatas, testes Quintilianum & Plinium adducens, quorum verba & monita de majusculis & Romanis literis accipienda, quòd iis antiquis in libris describendis usi fuissent. Joännes Isacius Pontanus in Glossario prisco Gallico, nòn in dissimili argumento,* B *&* P *mutationem, solennem metastasin vocat. Scioppius de Criticâ tradit, exemplísque ex variis fusè probat,* C *in* G, D *in* L, F *in* E, P *in* B *&* R; *& vice versâ,* L *in* D, E *in* F, R *&* B *in* P, *ob similitudinem commigrâsse.* Habent quoque inter se quamdam similitudinem majusculæ Græcorum literæ. Ità facillima est literarum Græcarum Β, Γ, Ρ, necnòn Γ & Τ, atque Δ & Λ commutatio. Quibus addi posset nòn tantum inter literas etiàm minusculas reperiri discrepantiæ, quin sæpiùs ob earum, quam servant, inter se similitudinem, aliquid cònfusionis oriatur. Quo pacto, ut innumera sileam, quandò apud Græcos legendum sit *ἡμῖν*, quandò *ὑμῖν*, & apud Latinos *orbis* vel *urbis*, sæpè in incerto est. Varias codicum suorum lectiones sibi objiciunt Chronographi, Historici & alii passìm, quorum exempla ubique prostant: exempli causâ; hactenùs, Dagobertum Francorum Regem Nanthildem, puellam elegantis formæ, è Monasterio raptam, totius gentis consilio uxorem duxisse, communitèr receptum fuerat. Verùm ætate nostrâ viri clarissimi, Jacobus Sirmondus, Adrianus Valesius & alii in codices MSS. inciderunt, qui nòn habeant, *Nanthildem, unam ex puellis de Monasterio, in matrimonium accipiens Reginam sublimavit*, utì pravè Fredegardi contextum Aimonius

Aimonius laudaverat; sed, *Nantechildem unam ex puellis de ministerio accipiens*, &c; sicut in MS. Fredegardi codice à se lectum fuisse animadvertit Sirmondus. Ejusmodi allucinationes, quæ nòn solùm ex literarum similitudine, sed & ex innumeris aliis causis nascuntur, reperire est in omnibus manu exaratis, cujuscunque linguæ sint ac conditionis. Undè posteà lectionum monstra orta sunt, quæ Criticorum ingenia valdè contorquent, & gravissima inter Grammaticos dissidia excitant. Ità qui se germanos Ciceronis imitatores jactitant, suam sibi interdùm Ciceronianismi imperitiam exprobrant, nòn aliam sæpè ob causam, quàm quòd diversis, in evolvendis Ciceronis operibus, codicibus usi fuerint, quorum indolem bellè notavit Henricus Stephanus. Henric. Steph. præfat. castigat. in Cicer.

Sed nè ea, quæ ab imperitis duntaxat ignorari possunt, prolixiùs annotem, unam operum Ciceronis editionem in exemplum proferam, quæ ex officinâ Elzeviriorum, anno MDCLXI. accurante Schrevelio, prodiit In quâ editione, diversæ aliarum editionum codicúmque manu exaratorum lectiones, ad oram libri utilissimè relatæ sunt. Si & in Hebraicis exemplaribus idem præstitum fuisset, & ad illorum margines variantes omnes lectiones, quæ ex diversis codicibus cùm MSS. tùm editis, necnòn ex vetustis translationibus sumi poterant, fuissent observatæ, Judæos ob hanc codicum diversitatem, exemplaria sua corrupisse nemo sanus dixerit; sed ex diversis istis lectionibus meliorem quisque seligeret, ut olim Hieronymus, qui Commentariis suis in Prophetas, à Græcâ LXX Interpretum translatione sæpiùs recedit. Ità, Magistrorum suorum lectioni addictissimus, in caput ii. Oseæ, hæc animadvertit, *pro saltu quoque, quod Hebraicè dicitur* jaar, *LXX transtulerunt* testimonium, *Resch & Daleth literarum falsi similitudine: si enim pro Resch, Daleth legatur*, testimonium *dicitur: ità duntaxat ut Jod litera nòn legatur.* Iterùm ad caput v. ejusdem Prophetæ notat LXX Interpretes, quòd pro חדש *mensis*, legerint חסיל *rubigo.* Et ad caput ix. quærens cùr ubi LXX habent, *caro mea ex eis*, ipse verterit *cùm recessero ab eis*, hæc habet; *in eo loco in quo nos diximus, væ eis cùm recessero ab eis, LXX & Theodotio transtulerunt, væ eis caro mea ex eis; quærénsque causam cùr sit tanta varietas, hanc mihi videor reperisse, caro mea linguâ Hebraicâ dicitur* besari. *Rursùm si dicamus, recessio mea, sive declinatio mea, dicitur* besuri. Simili ratione B. Hieron.

one nihil causæ fuit cùr Hieronymus à receptâ illâ LXX Seniorum versione *ποῦ ἡ δίκη σου*, *ubi causa tua*, recederet; quam suâ auctoritate B. Paulus confirmaverat, nisi quòd aliam lectionem præferrent ejus exemplaria, & pro איה *ubi*, per transformationem literarum legeret אהי *ero*. Similem transpositionem longè satius est observare in *dakeru*, *transfixerunt*, & *rakedu*, *insultàrunt* apud Zachariam, quàm Judæos cum Vossio suggillare, quasi mutationem istam in contextum deditâ operâ invexerint. Sed his aliísque ejusdem naturæ diversitatibus contexendis supersedeo, nè prolixiori eorum recensione molestus sim, maximè cùm à Theologis, qui suis explanationibus sacra volumina illustrârunt, diligentèr observentur.

Rectè quidèm Vossius Judæorum codices in multis vitiatos esse scripsit: quorum scilicèt eadem omninò sors fuerit atque Græcorum Latinorúmque librorum; dignúsque est Georgius Hornius qui sibilis omnium excipiatur, cùm doctissimo Vossio opponit sanctiones Regum, Principum ac Magistratuum, quibus volunt ut eæ solùm in Ecclesiis contextûs Biblici versiones legantur, quæ ad exemplaria Hebraica adornatæ fuerint; quasi verò ejusmodi sanctiones Principum codices Judæorum ab omni prorsùs mendâ integros servare potuerint. At in eo castigandus etiàm Vossius, quòd nonnullos ejusmodi errorum à Judæis consultò in sua exemplaria & ex odio Christianæ Religionis invectos fuisse pertinaciùs contendat. Ità ad verba ista Geneseos, *Nòn auferetur sceptrum de Judâ & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est*, hæc animadvertit; *hunc locum nòn tantùm in versione Græcâ, verùm etiàm in omnibus codicibus Hebræis mutilârunt Judæi rescribendo* שילה *pro* שלה *uti observatum compluribus, quorum opinionem confirmat codex Samariticus.* Sed quis nesciat olìm in contextu Hebræo literam *Jod*, ante inventa puncta vocalia, modo *i*, modo *e*, vocalium, locum tenuisse; & hanc nòn solùm, sed & alias vocales, quas vulgò *Ehevi* appellant, pro Scribarum arbitrio neglectas fuisse? Sive igitùr scribatur שילה ut in hodiernis Masoretharum codicibus, sive שלה utì legisse videntur LXX Interpretes, ob id in crimen falsitatis adduci nòn debent Judæi, qui in suis exemplaribus vocalem *Jod* retinuerunt. Fieri etiàm potest ut Græci Interpretes eam in suo exemplari legerint, quandoquidèm idem est omninò dictionis

[Margin: Genes. 49.10.]

[Margin: Voss. de Septuag. Interp. cap. 8.]

nis illius sensus, sive per *Jod*, sive absque *Jod* efferatur, quià litera *Jod* nòn minùs per vocalem *e* quàm per *i* potest pronunciari. At Masorethæ, qui legendum esse *schilo* arbitrati sunt priscam literam *Jod* retinuêre, quâ nòn obstante, etiàm hodiernis temporibus cum Græcis Interpretibus legere possumus *schelo*, utì reverâ legunt nonnulli Judæorum Magistri. Hæc nòn debuit ignorare Vossius, qui totiès Judæos in jus vocat, quíque scribit, eos qui negant hunc locum à Judæis corruptum esse, Prophetias omnes abolere. Eadem omninò codicis Hebræi ratio exstitit ante & post Christi tempora; nihílque prorsùs causæ est, cur depravationes, siquæ fuerint in illo ante Christi adventum, illas tribuat Vossius errori & incuriæ Librariorum; eas verò, quæ in exemplaria Hebraica post Christi adventum intrusæ sunt, vitio animi adscribat. Masorethis etiàm Tiberiensibus plùs æquo detrahit Vossius, dùm illos vocat homines barbaros, & in vernaculâ quam jactant linguâ peregrinos, à quibus nihil aliud quàm vitiosum & ab omni ratione alienum proficisci potuit. Illos quidèm nòn fuisse Prophetas cum Vossio lubens agnosco, eosdem quoque punctorum vocalium & apicum auctores esse nòn diffiteor: at quis indè conficiat eos barbaros fuisse, & linguæ Hebraicæ imperitos, ac demùm Scripturas punctis & apicibus onerari potiùs quàm exornari. Si vera sunt quæ de seipso jactitat Vossius, vidisse plures quàm bis mille codices Hebraicos manu exaratos, artis Masorethicæ eum prorsùs ignarum nòn fuisse credibile est. Hæc opus est Judæorum Tiberiensium, qui codicis Hebraici lectionem, qualis tunc usu publico recepta erat, adhibitis punctis vocalibus, determinârunt. Masoræ nomen illi inditum est, quòd traditionem, seu legendi contextûs Hebraici rationem diuturno usu comprobatam, amplexati fuerint. De illorum Criticâ idem planè judicium ferri debet, ac de Græcis Latinísque libris, qui à viris eruditis castigati & recogniti fuêre. Celeberrimæ apud Judæos Scholæ præfuerunt Magistri illi Tiberienses, qui, conquisitis undique Bibliorum exemplaribus, accuratam illorum editionem publicârunt. Nihil ab illis in hoc negotio præstitum est, quod in crimen verti possit. Et hæc illorum correctio, quantumlibet accurata, aliis nòn obfuit, quin eadem exemplaria adhùc recognoscerent, eadémque etiàm nostrâ ætate, ad Græcam

Voss. de Septuag. Interpr. cap. 30.

De Masorâ judicium.

LXX Interpretum versionem & Latinam Hieronymi recognosci posse existimo, in locis quibus illorum exemplaria à Masorethicis variâsse constabit. Nòn ideò tamen Judæos, cum Vossio, falsitatis accusabimus, quià illorum codices iidem omninò nòn sunt atque illi, quos ad condendam translationem suam adhibuêre Græci Interpretes: sed dicemus diversas lectiones nòn minùs reperiri in Hebræorum exemplaribus, quàm in Græcorum, Latinorum, ceterarúmque gentium libris. Rabbinorum traditionibus solo auditu propagatis nihil solidi subesse putat Vossius; *& quæ solo auditu propagantur traditiones*, inquit, *raro solent ad duo vel tria perstare sæcula.* Sed quid hæc faciunt ad eam, de quâ in præsentiâ agitur, traditionem? De oralibus Judæorum, ut vocantur, traditionibus, quas meritò à prudentioribus explodi agnoscit, nulla est controversia; sed de eâ tantùm quæ Masora appellatur, quámque unicam Judæi Carraitæ, qui plerasque Judæorum traditiones, velut anilia commenta, respuunt, amplexati fuêre. Si hanc rejiciat Vossius, rejiciat quoque necesse est librorum Chaldaicorum, Syriacorum & Hebraicorum, qui nonnihil antiquitatis præ se ferunt, lectionem: iis enim omnibus, simili prorsùs ratione atque Hebraicis, puncta vocalia, quæ certam facerent illorum lectionem, addita sunt. Traditionis itaque hoc loco nomine, nihil aliud intelligimus quàm receptam & longo usu confirmatam codicis Hebraici lectionem. *Sed codex ille*, inquit Vossius, *mutus est, quem nec legere, nedùm intelligere, quisquam sciat, utpote truncus mediâ sui parte, nec aliis quàm quas Christianæ fidei inimici apposuêre instructus vocalibus.* Minúsne truncus erat codex ille LXX Interpretum ætate, cùm nihil omninò punctorum vocalium in eo appareret? Ea est linguæ Hebraicæ, ut & ceterarum Orientis linguarum natura, ut paucissimas vocales repræsentet; adeò ut librorum, qui sermone Hebræo, Chaldaico, Syriaco, & Arabico scripti sunt, lectio nòn parùm ab usu dependeat, quem hîc traditionem, seu Masoram, cum Judæis vocamus. Jàm à quibus usus iste legendi codicis Hebraici sumi potuit quàm à Judæis? *Verùm*, inquit Vossius, *Judæi inimici sunt Christianæ fidei.* An ideò codices suos legere dedidicerunt quià Judæi? Imò nisi Judæi essent, codices Hebræos in Synagogis nòn legerent: nec ab aliis quàm ab istis illorum

Voss. Respons. ad nuper. Critic. Refellitur Vossius.

illorum lectio ad Christianos derivari potuit. Judæi quoque erant LXX Seniores à quibus totus dependet Vossius, iique nòn aliam contextûs Hebraici lectionem sequuti sunt, quàm quæ usu publico ætatis suæ apud Judæos recepta erat. Quapropter id omne quod regerit Vossius in Hebræum codicem, quòd sit liber dimidiatus & mediâ sui parte truncus, affirmari etiàm potest de codice Hebræo, quo usi sunt Græci Interpretes: neque tàm codex accusari debuit quàm linguæ Hebraicæ ingenium, & ob eamdem rationem reliquæ linguæ Orientales accusabuntur, quasi dimidiatæ sint linguæ. Iterùm tamen, & usque ad nauseam, inculcat Vossius mutum esse Hebræum codicem, &, vel ipsis agnoscentibus Rabbinis, truncum mediâ sui parte, utpote veris destitutum vocalibus. Sed quæ sint veræ codicis Hebraici vocales fingit se ignorare, dùm illis eum destitutum tàm fidentèr asseverat. Priscæ siquidèm Hebræorum vocales sunt, ut ipse alibi nòn diffitetur, literæ *Aleph*, *He*, *Vau* & *Jod*, quibus & alias adjungit Hieronymus. Sed quòd populi Orientales raro inter scribendum eas adhiberent, puncta vocalia excogitârunt viri Critici, quò facilior promptiórque esset librorum lectio. Verùm parùm consentaneè loquitur Vossius, nec tàm ex rei veritate quàm ex præconceptâ adversus Judæorum codices opinione.

C A P.

CAP. XI.

De Samaritarum Bibliis & eorum Targumim, seu Paraphrasibus.

DE Samaritarum, qui etiàm à Judæis Cuthæi appellantur, gente, moribus ac Religione, multa habet contextus sacer in libris Regum, Chronicorum & Esdræ, quæ postea fusiùs explicavit Josephus, testis in hàc materiâ locuples, nostrâ autèm ætate Joànnes Morinus in Exercitationibus quas in Pentateuchum Samaritanorum adornavit, Hottingerus in Exercitationibus Antimorinianis, Vualtonus Prolegomeno de Samaritanis, aliique viri eruditissimi res Samaritarum illustrârunt. Quare, his silentio prætermissis, ad illorum codices transeo, quorum etiàm mentionem fecerunt Patrum nonnulli tùm Græci tùm Latini, & Scholia Romanæ ac Francofurtensis LXX Interpretum editionum. Sectam Samaritarum unico Moysis Pentateucho uti, puto notum esse omnibus: quippe eo tempore quo illi à Judæis discesserunt, Lex una apud Hebræos vulgata fuerat, aliis Scripturæ libris vel nondùm compositis, vel siqui essent, nondùm publici juris facti fuerant. Quid autèm de isto Samaritarum codice sentiendum sit, videtur explicatu difficile. Morinus, qui primus illum publicavit, in illius laudem more suo discurrens, eum in majus attollit; quam ob causam apud viros eruditissimos malè audiit, inprimis apud Muisium tunc Hebræarum literarum apud Parisienses Professorem Regium, qui censuris suis Morini sententiam de Pentateucho Samaritanorum castigavit. Suas etiàm posteà Exercitationes de Pentateucho Samaritano Hottingerus Tigurinus Exercitationibus Morini opposuit. Verùm uterque nòn pauca in eo reprehendit quæ nòn videtur asseruisse, laudatis solùm plùs

Samaritanorum codices.

plùs æquo Samaritanorum codicibus, de quibus tunc agebat: quo etiàm modo præfatus in suam Bibliorum Græcorum editionem Hebraica miris modis suggillavit. Omnium autèm moderatissimos se præbuerunt Ludovicus Cappellus & Brianus Vualtonus, qui Pentateuchi Samaritici fidem in plurimis haùd improbârunt. At omnium pessimè de illo sensit Usserius Armachanus, vir alioqui judicii acerrimi, qui codicem Samaritarum à Dositheo quodam Samaritâ Hæretico variis in locis interpolatum & deditâ operâ corruptum fuisse asseverat. Usser. Armach.

Unus itaque & in omnibus, si pauca excipias, idem est codex Samariticus ac Judaicus, idque dudùm ab Eusebio in Chronicis & ab Hieronymo observatum. *Samaritani*, inquit Hieronymus, *etiàm Pentateuchum Moysi totidem literis scriptitant, figuris tantùm & apicibus discrepantes.* Quæ verba Hieronymi Josephus Scaliger nòn videtur intellexisse, cùm asserit, *Samaritanos totidem literis nè una quidem minùs aut ampliùs Pentateuchum legere atque Judæos.* Nam ipsemet Hieronymus notat interdùm utriusque codicis varias lectiones, ubi Quæstionibus Hebraicis in Genesim, & Commentariis in Epistolam ad Galatas. Quare Hieronymus, dùm affirmavit Judaicum & Samariticum Legis Mosaicæ exemplaria similia esse in omnibus, voluit tantùm his verbis codicem Samariticum distinguere à Græcorum Latinorúmque translationibus, quòd ille purus putus esset contextus Hebræus; quod de Bibliis Græcis & Latinis affirmari nòn poterat. Ad eumdem ferè modum etiàm loquitur Eusebius à quo sæpiùs totus dependet Hieronymus. In nonnullis Pentateuchum Samaritarum à Judaico discrepare nòn est ampliùs dubitandi locus, postquàm illorum exemplar editum est in Polyglottis Parisiensibus & Anglicanis. Illud enim exemplar ab ipsismet Samaritis obtinuerat nobilis vir Petrus à Valle, quod deindè Achilles Harlæus Sancius, tunc apud Turcarum Imperatorem Regis Christianissimi Legatus Parisios asportari curavit; & illud in Bibliothecâ Patrum Congregationis Oratorii, prope Luparam, asservatur. Alia ejusdem Pentateuchi exemplaria in aliis Europæ Bibliothecis delitescere fidem faciunt Epistolæ Perescii, Petri à Valle, Comberi & Aleandri ad Joannem Morinum. Hæc scribebat Hieronymus Aleander

Hieron. in Prol. Galeat.

Scalig. de Emendat. Temp.

Hieron. Alc. and. Epist.

anno MDCXXVIII. *Scias velim hic quoque esse in Vaticanâ Bibliothecâ aliud Pentateuchi exemplar iisdem Samaritanis literis scriptum, quod quinque abhinc annis piæ memoriæ Scipio Cardinalis S. Susannæ, tunc Bibliothecarius CCC. aureorum precio comparavit: atque is quidem codex, etsi characteres habet Samaritanos, Hebraicâ tamen linguâ, uti vester, confectus est.* Certum est Samaritas, etsi numero paucissimos ac Judæis longè impares, etiam post eversum illorum Templum, quod erat in Garizim, ritus patrios sempèr retinuisse, & Mosis Pentateuchum legisse in suis Synagogis, quem & hodiè adhùc legunt. Codex ille Samariticus, qui ad nos pervenit, si ad vetustos codices, quorum Fragmenta aliquot in operibus Eusebii, Hieronymi, & aliorum Patrum exstant, recognóscatur, genuinus deprehendetur, idémque qui ipsis illis temporibus legebatur à Samaritis. Hunc tamen ab antiquâ simplicitate ac sinceritate in aliquibus degenerâsse nòn eo inficias; sed hæc est sors librorum omnium, qui nòn ideò tanquàm fœtus adulterini rejiciuntur, quòd nòn in omnibus primigenia exemplaria repræsentent: aliàs dicendum esset nè unum quidèm veterum librorum ad nos usque pervenisse. Homeri versus, qui nùnc in omnium manibus versantur ob similem caussam, tanquàm Homerici, nòn deberent recipi, quia vir κειτικώτατος Aristoteles ex Homero citat nonnulla, quæ in hodiernis exemplaribus minimè apparent. Imo nec recipiendi essent Judaici Bibliorum codices, quibus nunc utimur, quod illos, quibus usi sunt in condendis suis translationibus Græci Interpretes, perfectè nòn exhibeant. Dicendum igitur tùm Samariticum tùm Judaicum Pentateuchi exemplaria genuinos esse codices, licèt aliquid sit varietatis, nòn secùs ac Homerus Aristotelicus idem planè est atque ille Homerus, qui ab Aristarcho recognitus fuit, etsi secum ipsi interdùm nòn concordent.

Homeri Poëma.

Objectiones contra codicis Samaritani integritatem.

Nòn defuêre tamen, præsertìm è Protestantibus, qui Samaritarum codicem rejiciendum esse putaverint, hâc potissimùm ratione ut ità sentirent adducti, quòd verus Dei cultus, Pontificum Doctorúmque successio, apud Hebræos solos remanserit; minimè verò apud Samaritas, adeóque ab illis duntaxat, tanquàm à Dei populo, sumenda esse Legis exemplaria. Demiror sanè Theologos Protestantes, qui Ecclesiæ auctoritatem,

ctoritatem, Pontificúmque & Doctorum successionem vulgò parvi faciunt, ut omnibus compertum est, probationes hujusmodi assumere. Nòn major est hâc in parte Synagogæ quàm Ecclesiæ auctoritas. Quis autèm nesciat hujus auctoritatem codices suos ab omni prorsùs mendâ nòn vindicâsse, cùm Græca LXX Interpretum versio, quâ solâ Ecclesia tùm Orientalis tùm Occidentalis utebatur, jàm à temporibus Origenis integra nòn esset. Haùd invitus tamen concesserim Judæorum exemplaria principem locum obtinere, & Samariticis præferenda: nam à Judæis, nòn verò à Samaritis, Scripturæ sacræ libros mutuati sunt Christiani; verùm sola coetûs cujuscunque auctoritas probatum & ab omni prorsùs errore integrum nòn efficit librum; sed illum duntaxàt authenticum & ab omnibus recipiendum declarat, ità tamen ut alios codices, siqui sint, tanquàm adulterinos nòn rejiciat.

Sunt & alia nonnulla quibus Judaici codicis defensores Samariticum Legis exemplar onerant: primò enim hoc mutilum esse, paucarum dictionum exemplo, conantur ostendere; deindè dictiones quasdam pro aliis substitutas arguunt. Samaritanorum etiàm codicum inter se & cum Judaicis discrepantias objiciunt; similitèr Librariorum incuriam, qui literas *Aleph* & *Ain*, *He* & *Heth*, aliásque ejusdem organi sæpiùs confundunt. Verùm isti suo seipsos gladio jugulant cùm eadem prorsùs adversus codices Judæorum objici possint. In hoc decipiuntur Judaici exemplaris patroni, quòd ex præconceptâ semèl Judæorum quorumdam opinione, putent illud ab omni prorsùs errore liberum; quod de solis autographis potest affirmari. Parùm constantem apud Judæos olìm fuisse scribendi contextûs Hebraici rationem jàm suprà ostendimus, forsánque liberiorem quàm apud Samaritas, qui allegoriarum Judaicarum nugas nunquàm venati sunt. Imò & in hoc Samaritici codices Judaicis præstant, quòd multa in hos superstitiosè invecta, in illis desiderentur; cujus generis sunt literæ quas vocant majusculas, minusculas, suspensas, inversas & similes; deindè dictiones lectæ & nòn scriptæ, & alia quæ prætereo. His omnibus accedit formam scriptionis, quam Samaritarum libri præ se ferunt, vetustatem sapere; contra Judæorum codices variis ætatibus reformatos, tandèm Masorethicorum nomen obtinuisse. Denique

Vindicatur Samaritanorum codex.

nique in multis etiàm Judæorum contextus ex Samaritico potest illustrari; ità Geneseos capite ii. in illo legimus, Deum opus suum complevisse *die septimo*, in hoc verò *die sexto*, quæ lectio videtur commodior. Ejusdem libri capite iv. videtur etiàm in Judæorum exemplari desiderari illa pericope, *transeamus in campum*, quæ exstat in Samaritico, notántque hunc hiatum ad oram codicum suorum Judæi quamplurimi his verbis, *pausa in medio versûs.* Novi quidèm Hieronymum hanc pericopen tanquàm superfluam in Græcis & Samariticis exemplaribus notâsse, Quæstionibus Hebraicis in Genesim; *superfluum est*, inquit, *quod in Samaritanorum & nostro volumine reperitur, Transeamus in campum.* Verùm constat Hieronymum in hisce Quæstionibus, ubi Judaici contextûs assertorem se profitetur, nòn tàm ex suâ quàm ex Judæorum sententiâ loquutum fuisse. Exodi capite xvii. ubi in Judaicis codicibus legimus, filios Israel in Ægypto per spatium CCCCXXX. annorum commoratos fuisse, comprehendit Samariticum exemplar cum filiis Israel eorum Patres, sive Patriarcharum in eâdem Ægypto commorationem. Quæ lectio cum veritate consentit; nòn autem Judaica. Fieri tamen potest ut ista omnia in suis codicibus suppleverint, síntque glossemata ad contextûs Hebræi, qui sæpè obscurior est, explicationem adjecta. Quare suspiciones tantùm esse possunt de Judæorum exemplari his locis truncato.

Nævi codicis Samaritani. Ex aliâ autem parte complura exstant in Pentateucho Samaritarum liberiùs scripta, quæ à Doctoribus Samaritis ex aliis ejusdem Pentateuchi locis majoris perspicuitatis causâ adjecta fuisse videntur. Quæ supplementa haùd dubiè codicem vitiosum arguunt. Similitèr Samaritas erga suos codices minùs religiosos fuisse demonstrat vox *Garizim*, Deuter. xvii. quam loco *Ebal*, quæ antiqua erat lectio, reposuêre. Ex quibus manifestè evincitur, neutrum exemplar, sive Samariticum, sive Judaicum ab omni prorsùs labe immune esse, adeóque recipiendum utrumque tanquàm ejusdem libri apographa, quæ sibi invicem auxilio esse possint; ità tamen ut Judaicum, etsi nævos quoque suos habeat, Samaritico præferatur, nòn ob id solùm quod à Judæis tùm Religio tùm libri sacri ad Christianos pervenerint, verùm etiàm quià Judæorum exemplaria minùs videntur erroribus

ribus obnoxia. Illud tamen impedimento eſſe nòn debet, quo minùs hæc Samariticorum ope caſtigentur iis locis ubi error manifeſtus conſtabit, & anteponatur lectio Samaritica Judaicæ, ſi illa veritati ſit propior. Videtur quidèm modus legendi contextûs Hebraici apud Samaritas liberior quàm apud Judæos, quia illorum exemplaria nihil omninò exhibent punctorum vocalium; quæ legendi contextûs rationem limitant in codice Judaico. Verùm conſtat puncta illa recens eſſe Judæorum inventum, nec etiàm iſta addi voluminibus quæ publico Synagogarum uſui inſerviunt. Quare laudandos potiùs in hoc Samaritas arbitror, qui priſcam librorum formam retinuerint, quàm vituperio dignos. Habent autèm legendi ſacri codicis traditionem, ſicut & olìm Judæi ante puncta à Criticis Tiberienſibus inventa. In hoc denique Samaritæ etiàm præſtant Judæis, quòd illi antiquos linguæ Hebraicæ characteres, ſive Moſaicos, retinuerint; Judæi verò poſt ſuum è Babylone egreſſum Babylonios, ſive Chaldaicos, quibus aſſueti erant, domeſticos & familiares ſibi fecerunt: undè poſteà factum fuit ut Samaritani Judæos, atque inprimis Eſdram, tanquàm Scripturæ ſacræ contextûs corruptorem, traduxerint. Verùm, omiſſis ejuſmodi querelis, quid de primis Hebræorum literis ſentiendum ſit, juvat paucioribus verbis aperire.

Præſtantia codicis Samaritici.

Pro Samaritarum characteribus pugnant ſaniores Critici & antiqua gentis Samariticæ Numiſmata, adeò ut Joſephus Scaliger aſinos vocare illos nòn dubitaverit, qui nòn amplectuntur Hieronymi ſententiam ſcribentis; *certum eſſe Eſdram Scribam Legíſque Doctorem poſt captam Hieroſolymam & inſtaurationem Templi ſub Zorobabel alias literas reperiſſe, quibus nùnc utimur, cùm ad illud uſque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuiſſent.* Hanc B. Hieronymi de Samaritanorum literis ſententiam nòn ità pridèm renovârunt Guilelmus Poſtellus, Blancuccius, Villalpandus, Morinus, Cappellus, Mayerus, Pereſcius, & inter Judæos R. Azarias & alii nòn pauci. Poſtellus, qui longâ Judæorum conſuetudine uſus fuerat, mutationis illius cauſam refert ad odium quo Judæi Samaritanos, tanquàm Schiſmaticos, proſequuti ſunt. *Pars illa*, inquit, *quæ cum ſacris literis colebat Idola, Hæretica & indigna cum quâ converſarentur, vel communitate characterum, à viro probo merito judicata eſt, ſtatimque*

Hieron. Prolog. Galeat.

Literarum Samaritanorum antiquitas.

Guilel. Poſtel. in Alphab. 12. linguarum, cap. de Samar.

quæ post captivitatem animum diversis characteribus reperiendis apposuit. Et paulò post hæc subjungit; *cùm autem has meas conjecturas ipsis Judæis aperirem, dicebant esse verissimas & à multis Doctorum suorum scriptas.* Longè tamen probabilius videtur, Judæos civitati suæ restitutos servâsse Chaldæorum literas, quibus in exilio assuefacti erant, priorum jàm obliti. Deindè Numismatum argenteorum meminit idem Postellus, quæ magnam præ se ferrent antiquitatem, quorúmque nòn pauca se apud Judæos vidisse testatur, qui illa tanti facerent, *ut unum,* inquit, *quod alioqui quincuncem nòn æstimet, nòn potuerim mihi duobus nummis aureis redimere, asserúntque esse à temporibus Solomonis.* Demùm hæc addit, quæ præsens argumentum nòn parùm illustrant; *asserunt etiàm indies Hierosolymis, quæ hodiè Chus aut Chassem bariç dicuntur, in maceriis & ruderibus profundissimis, hæc crebrò ab effossoribus reperiri, esséque antiquitatis certissimum argumentum, quòd illic scribitur, Hierusalem Sancta, quam Samaritani ipsi à temporibus Solomonis nòn sunt ingressi, nec Sanctæ nomine dignati sunt, ut qui adorarent extra Hierusalem & colerent Idola, Semi-Gentiles & Semi-Judæi, undè longè abest ut voluerint urbem, quam habebant adversariam & odiosissimam, suis characteribus celebrare.* Verùm de Siclis Samaritanorum longè plura habentur apud Villalpandum, Morinum & alios. Peresćius plura Samaritanorum Numismata habuit, Hieronymúsque Aleander se nòn pauca Romæ offendisse testatur.

Villalp. Appar. in Ezech. Morin. Exercit. in Pentat. Samarit. Aleand. in Epist. ad Morin.

His tamen nòn obstantibus Joännes Buxtorfius, hodierni contextûs Judæorum assertor obstinatissimus, literarum Hebraicarum perennitatem permultis, quæ ex Rabbinorum libris sumpta sunt, tuetur. Buxtorfio quoque convenit Lightfootus, etsi Talmudicos Doctores sibi contrarios agnoscat. Similia quoque habet Schickardus, linguæ Hebraicæ in Academiâ Tubingensi Professor, & alii nonnulli Hebraistæ. Sed hanc sententiam Vualtonus deseruit, quam ex Rabbinologiâ potiùs quàm ex saniori Theologiâ profectam deprehenderat: quam ob causam malè audiit vir ille clarissimus apud nonnullos Rabbinistas, inprimis apud Matthiam Vasmut Rostochiensem, qui multa in eum debacchatus, auctor est, *in Ecclesiâ reformatâ tolerari nòn debere Vualtonum citantem Pontificios auctores adversus sacrarum literarum Divinam originem.* Neque paritèr in illo cœtu, qui reformati

Buxtorf. Dissert. de lit. Hebr. Lightf. Hor. Hebr. ad c. 5. Matth. Schickard. in Jure Reg. Hebr. sub finem. Vasm. in vindic. S. Hæbr. Script.

formati nomen ambit, tolerari debuêre Drusius, Scaliger, Casaubonus, Vossius, Amama, Bochartus, & alii complures è numero Protestantium, qui eadem planè cum Ludovico Cappello & Vualtono de literis Samaritarum sentiunt. Prætereà Buxtorfius nòn æquo animo, sed quasi invitus, in hanc sententiam de literarum Hebraicarum perennitate descendisse videtur, ut refelleret librum cui Ludovicus Cappellus, *Arcani punctationis revelati*, nomen fecerat, in eóque literarum Hebraicarum novitatem comprobaverat, ex Samaritarum antiquitate. Permultos quidèm ad sententiam suam perduxit Buxtorfius; sed hi sunt ex eorum classe, quos *assectas* vocat Isaacus Vossius *togâ cinctos Professoriâ*, quibus cùm nihil ferè sit artis & ingenii, ex unius Buxtorfii libris docti, Rabbinos, quos nè quidèm à limine salutaverunt, ubique crepant. Verùm nihil causæ est cùr de primis Hebræorum characteribus tàm anxiè disputent Critici: nam si paulò attentiùs considerentur Samaritica Hebraicáque elementa & inter se conferantur, nòn ità secum diffident, quin una eadémque illorum origo agnoscatur: undè etiàm Græcorum Latinorúmque literæ, quas majusculas, seu capitales, appellant, deductæ fuerunt. Sed illæ quià consuetudini serviunt, pro variis locis & temporibus aliquid mutationis recepêre. Quo pacto, ut ceteras linguas omittam, alitèr characteres suos pingunt Judæi qui regiones Orientis incolunt, alitèr qui Occidentis terras habitant. Deindè in his etiàm inter se variant Judæi Hispani, Galli, Itali ac Germani. & ab his omnibus iterùm Mauri discrepant. Neque minùs etiàm discriminis est inter varias characterum Samaritanorum formas, qui nupèr in Europâ prodière, ut cuilibet erit obvium, si diligentèr annotaverit disparilitatem elementorum quam exhibent literarum Samariticarum Alphabeta, quæ in lucem emiserunt Guilelmus Postellus, R. Azarias, Blancuccius, Villalpandus, Kircherus, Morinus, Hottingerus, & alii. Qui in Bibliis Parisiensibus & Anglicanis exarati fuêre characteres ex uno codice exscripti sunt atque formati: his autèm suppositis mirum videri nòn debet, literam *Tau*, quàm Hieronymus crucis figuram præferre olim annotaverat, nùnc eamdem in vulgatis Linguæ Samariticæ Alphabetis nòn repræsentare, quià scilicèt litera illa successu temporum mutata est. Magister tamen Azarias in suo

Isaac. Voss.

Postell. in Alphab. 12. ling. R. Azar. Imre Bin. cap. 56. Blanc. in Gramm. Villalp. Appar. in Ezech. Kirch. Oedip. Ægypt. par. 2. Morin. Exercit. in Pentat. Samarit. Hotting. in Exercit. Anti-Morin.

suo Alphabeto Samaritico duplicem hujus literæ figuram profert, quarum una crucis etiàm formam imitatur. Hieronymus quoque Aleander Morino scribens de Siclis gentis illius, quos Romæ viderat, de quodam Numismate hæc habet; *perspicies in utrâque nummi facie literam Tau in similitudinem crucis effictam, & mirum sanè videri potest, quòd cùm antiquitùs hoc modo scriberetur X, posterioribus temporibus in eam ✗ degeneraverit.* Eadem etiàm scripsit Morino Perescius. Quare unus idémque character eodem tempore diversis in locis diversas formas induit, quid hâc in re mirabile est, quòd ille, qui omnium antiquissimus est, post multorum sæculorum decursus à primâ figurâ, præsertìm apud gentes diversas paululùm degeneraverit. Quis ignorat Romanorum literas post Gothorum in Italiam irruptionem à priori & antiquâ formâ recessisse, nec easdem esse cum Romanis, quæ Longobardicæ appellantur? Verùm de his fusiùs disputatum est. Nùnc ad Samaritarum Targumim, seu Paraphrases, veniendum.

Aleand. in Epist. ad Morin.

Quià, secundum B. Pauli monitum, *quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt*, priscis temporibus tùm vetus tùm novum Instrumentum, nòn alio sermone quàm materno conditum est, ut libri sacri etiàm à plebeiis hominibus legi possent. Repertus est tamen nostrâ ætate Theologus Parisiensis, qui affirmare nòn dubitavit libros Legis Mosaicæ linguâ quæ tunc Hebræis nòn esset vernacula videri compositos; quódque vix credibile est, ornatissimus ille Doctor opinionum monstra de linguâ Hebraicâ, de illius characteribus & de Grammaticâ, cujus primus auctor Moses exstiterit, commentus est. Verùm sacri contextûs versiones, seu paraphrases, quas patrio sermone concinnârunt Judæi ac Samaritæ, statìm atque sermo Hebræus desiit esse vernaculus, manifestè ostendunt Scripturam sacram sermone ab omnibus intellecto primò conditam fuisse. Hinc orta est apud Samaritas versio illa scripta sermone Syro-Chaldaïco haud impuro, qui ejus antiquitatem denotat. Hæc edita habetur in Polyglottis Parisiensibus & Anglicanis, videtúrque à Doctoribus Samaritanis composita, ut in Scholis legeretur & ab omnibus Mosaicæ legis verba intelligerentur, postquàm linguæ Hebrææ usus penes doctos tantùm servatus est. Samaritanus Interpres ferè ad verbum exprimit contextum Hebræo-Samaritanum,

Libri Scripturæ sacræ scripti primùm linguâ ab omnibus intellectâ.

D. Mallet.

Origo versionum Scripturæ apud Samaritas & Judæos

Versiones Samariticæ.

Samaritanum, à quo in paucissimis discedit, maximè in fluviorum, urbium, regionúmque nominibus; quæ interdùm ad sua tempora accommodat. Nòn videtur etiàm ab omni anteceptâ opinione liber, quâ ratione multis in locis nomen *Elohim*, *Deus*, *Angelos* interpretatur. Itâ ubi in Vulgatâ editione legimus hominem ad similitudinem Dei creatum fuisse, ille vertit, *ad similitudinem Angelorum :* & paulò anteà, pro hisce verbis in Latino Interprete, *eritis sicut Dii*, ut etiàm exstat in Hebræo, habet, *eritis sicut Angeli*. Interdùm etiàm voces Hebraicas ad mentis suæ sensum, pro more omnium Interpretum, restringit: quomodo pro istis quæ sunt in Latinâ editione, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, reposuit, *flabat super aquas*. Versionis autèm illius Samariticæ Latinus Interpres nòn videtur in omnibus accuratus, iis præsertìm locis quibus nòn consentit cum contextu Hebræo-Samaritico, qui etiàm in aliquibus castigandus. Gen. 5. 1. Gen. 1. 2.

Fuit quoque Samaritis versio Græca, in usum Samaritarum, quibus lingua Græca erat vernacula composita. Prisci Ecclesiæ Patres versionis illius in suis operibus haud infrequentèr meminerunt, ità ut Morinus hanc ab illis conditam fuisse affirmet: sed hâc in re gravissimè allucinatur, cum alios auctores quàm Samaritas ipsos nòn possit agnoscere. Errat similitèr Isaacus Vossius, qui negat ullum unquàm fuisse Samaritis Græcam Pentateuchi versionem; verùm ea omnia, quæ à Patribus sub nomine Samaritani codicis laudantur, sumpta fuisse ex Origenis Hexaplis, quæ Scholiis illustrabantur, ubi diversæ lectiones etiàm exemplarium Samariticorum exhiberentur. Nòn eo quidèm inficias, ad oram Hexaplorum Scholia quædam retulisse Origenem; sed Patres, qui de lectione codicis Samaritici mentionem fecerunt, citant Pentateuchi translationem, quæ à Samaritis, quibus lingua Græca vernacula erat, legeretur. Imò alitèr fieri nòn potuisse credibile est, sicùt & iidem Samaritæ, qui Arabicè loquuntur, Arabicam habent contextûs Hebræo-Samaritani versionem. Suspicatur tamen Masius nòn aliam fuisse Samaritanis qui Græcè noverant Pentateuchi Interpretationem quàm Græcam Septuaginta Seniorum; sed longè probabilius est Samaritas istos exemplo Judæorum Hellenistarum novam finxisse sibi versionem quæ in Scholis & domi legeretur, Joän. Morin. Exercit. in Pentat. Samar. Voss. de Sept. Interpr. Andr. Masius in Jos.

 servato

servato semper in usum Synagogarum contextu Hebræo-Samaritano, quem etiàm hódiè retinent. Quibus accedit eam, quam sub nomine Samaritarum laudant Patres, versionem in nonnullis à Græcâ LXX Interpretum discrepare, ut ex Eusebii Chronico manifestum est. Prætereà auctor est idem Masius Symmachum, qui anteà sectâ Samaritanus ad Ebionitarum partes transierat, nòn aliundè adductum fuisse ut novam sacri codicis versionem Græco sermone cuderet, quàm ex odio Samaritarum, à quibus discesserat. Græca hæc Samaritarum versio concordat in aliquibus cum priori translatione Samariticâ, ubi differt à contextu Hebræo-Samaritano, quasi Græca ab hâc desumpta fuerit. Sed quià sæpe etiam inter se discordant, nihil certi eâ de re affirmari potest. In nonnullis etiàm Græca ista Samaritanorum versio cum LXX Interpretibus consentit. Quæ omnia exemplis illustrare nòn erit difficile. Geneseos capite
Gen. 49. 23. xlix. ubi Latinus Interpres verba tàm contextûs Hebræi quàm Hebræo-Samaritani ritè expressit, *habentes jacula*, Græcæ Samaritarum versionis auctor eadem interpretatus est, *κάτοχοι μερίδων*, & id perfectè consentit cum translatione Samariticâ & Chaldaïcâ Onkelosi Paraphrasi. Ibidèm paulò post, ubi in contextu Hebræo legimus, tàm Judaïco quàm Samaritico, *be-*
Gen. 49. 24. *ethan*, & in Latinâ editione, *in forti*; in Græcâ verò LXX Interpretum, *cum fortitudine*, Samaritæ versionis utriusque Interpretes transtulerunt, *in profunditate*. Quæ interpretatio Grammaticalem, ut vocant, sensum nòn exprimit, potéstque fieri ut sensus ille communitèr à Samaritis reciperetur. Gene-
Gen. 5. 19. seos capite v. in Samaritanâ versione, sicut in utroque contextu Hebræo, legimus *loco Dei*, sive *pro Deo*; at Samaritarum Interpres Græcus habet *timeo Deum*, quasi diverso ab hodiernis
R. Saad. exemplaribus codice usus sit: sed R. Saadias Gaon eamdem omninò in suâ Paraphrasi Arabicâ interpretationem exhibet,
Exod. 8. 22. qui non alia tamen habuit exemplaria quàm hodierna. In Exodo pro voce *muscarum*, quæ legitur in editione Latinâ, exstat in Græcâ versione Samaritarum nomen *corvi*, quià legit in contextu Hebræo-Samaritano Interpres Samarita *oreb* pro *erob*, quod *muscam*, sive similium animalculorum confusam multitudinem, significat: qui error in Interpretem refundi debet, ob diversum legendi modum ex punctorum vocalium absentiâ à codice Hebræo-Samaritano.

Arabi-

Arabicam quoque Pentateuchi versionem habent Samaritæ, quæ in illorum usum cessit, quibus sermo Arabicus vernaculus est. Licèt enim Samaritæ nòn secùs ac Judæi Hebræum duntaxàt Legis Mosaicæ codicem in Synagogis suis legant, habent tamen diversas pro diversis regionibus illius translationes. Tritapla habuit, verùm mutila, clarissimus Perescius à Samaritis, quæ versionem istam Arabicam charactere Samaritico descriptam, repræsentarent; etsi nòn desint illius exemplaria literis etiàm Arabicis exarata. Hottingerus caput iv. Geneseos ex quodam translationis illius Arabicæ Fragmento, libro tertio Bibliothecæ suæ Orientalis, Arabicè & Latinè inseruit. Ejusdem etiàm meminit doctissimus Vualtonus, quam ei Usserius Armachanus communicaverat. Habent & alios Samaritæ libros Arabicè scriptos, charactere autèm Samaritico exaratos. Ità Josephus Scaliger meminit Chronici cujusdam Samaritani, cujus Epitomen Latinè reddidit Hottingerus, cum hâc Inscriptione, *Epitome capitum libri Josuæ.* Quià ab excessu Mosis & ducatu Josuæ incipit atque extenditur, ut à Scaligero animadversum fuit, usque ad tempora Antoninorum Augustorum. Nòn deest itaque etiàm Samaritis Josuæ Historia, quæ tamen in omnibus cum libro Josuæ nòn consentit, sed eam inter libros sacros minimè recensent, quià Legem duntaxàt Mosis tanquàm Divinam recipiunt. Hic nòn moror Lexica, quæ sunt in usum Samaritarum, quorum unum penes se habuisse testatur Perescius, in Epistolâ quam scripsit Morino. Similitèr Guilelmus Postellus eorum Grammatices alicubi meminit. Quæ Samaritarum scripta, si edita fuissent, linguæ Samariticæ nòn parùm lucis afferrent, & quâ ratione Samaritæ linguam Hebræam pronuncient, quósve significatus dent vocibus quibusdam difficilioribus nobis innotesceret.

Hotting.

Scalig. de Emendat. Temp.

Hotting.

Peresc. in Epist. ad Morin.

CAP. XII.

De Bibliis Saducæorum & Karræorum.

NObiliſſimam fuiſſe Chriſti temporibus ſectam Saducæorum, principémque locum in rerum adminiſtratione apud Judæos obtinuiſſe, manifeſtum eſt. Verùm everſis Hieroſolymis diſperſiſque in varias mundi partes Judæis penitùs exſtincta fuit celebris illa Saducæorum ſecta; ità ut nulla illius veſtigia ſuperſint.

De Bibliis Saducæorum.

Sola remanſit Phariſæorum ſecta, in quorum locum ſuffecti ſunt Judæi illi quos Rabbaniſtas, ſeu Talmudiſtas, vulgò nominamus. Hi enim iidem ſunt atque Phariſæi quorum traditiones Judæi avidiùs amplexati, illas tanquàm ex ore Dei profectas venerantur. A Phariſæis itaque, nòn verò à Saducæis, ad Chriſtianos libri veteris Teſtamenti pervenerunt. In hoc autèm Iſaacus Voſſius & alii plurimi allucinati videntur, præeunte illis B. Hieronymo, dùm Saducæos exemplo & imitatione Samaritarum quinque duntaxat libros Moyſis recepiſſe affirmant.

Voſſ. de Septuag. Interpr. cap. 17.

Quid enim cauſæ erat cùr Saducæi, quorum Hæreſis ſerò apud Judæos obtinuit, & poſt confirmata uſu publico Prophetarum volumina, ſoli Moyſi crederent? Samaritarum atque Saducæorum longè diſpar eſt ratio. Illi ſiquidèm nòn alias quàm Pentateuchum Scripturas agnoverunt, quòd eorum Schiſmatis tempore Lex ſola apud Judæos vigeret. Sed cùm orta eſt Saducæorum ſecta jàm librorum ſacrorum Canon à Judæis confectus fuerat. Dubitandum igitùr nòn eſt Saducæos univerſos ſacri contextûs libros, ſeu πάντα τὰ γεγραμμένα, omnem Scripturam recepiſſe, rejectis ſolùm Phariſæorum traditionibus, quæ illis videbantur otioſorum hominum commenta. Graviùs adhùc errant qui Karræos in hoc etiàm negotio Samaritanis conveniſſe exiſtimant: &, quod fidem omnem ſuperare videtur, Iſaacus Voſſius, vir alioqui doctus, Karræos inter Ebionitas, Naziræos

&

& alias Judæorum sectas quæ, servatis Legis Mosaicæ ritibus, credebant Evangelio, collocat. Quare paucis exponendum nobis est, quæ fuerit illa Karræorum secta, quæve fuerit illorum de sacris codicibus sententia.

Elias in Tisbi.

Dictio *Karrai*, undè Karræi nomen suum sortiti sunt, significat, teste Eliâ Levitâ, hominem in Scripturarum lectione exercitatum: sed nomen illud, quod primò fuit honorificum, cœpit deindè exosum esse, post obortam Karræorum sectam, sub initium, ut videtur, sæculi decimi. Illi nòn secùs ac Rabbanistæ XXIV. libros Scripturæ, cum punctis vocalibus aliísque Masoræ notis, amplexantur. In exponendis sacris codicibus lectionem Masorethicam ubique secuti, eam nòn minoris faciunt quàm Aben Esra, Kimchius & alii Judæorum Grammatici: & horum etiàm exemplo Grammaticas subtilitates acutè venantur. Quare gravissimè allucinatus est Buxtorfius ubi scribit; *de Karræis, qui omnibus traditionibus rejectis, soli textui adhærebant, legimus illos olim nòn solùm in intellectu & explicatione rerum, sed etiàm in lectione Scripturæ multimodè inter se dissentisse, quòd punctationem, ceu Legis oralis & traditionum speciem, respuerent; seu ut Muscatus scribit, quòd indifferentèr rejicerent tam traditiones de modo legendi Scripturam, quàm traditiones explicationis rerum.* Longè aliud de Karræis sensisset Buxtorfius, si incidisset in eorum libros, quibus destitutum se fuisse testatur. Hi siquidèm Talmud & Judæorum traditiones nòn omninò rejiciunt, sed illas sacris codicibus nòn audent æquiparare, utì Rabbanistæ. Ideóque his relictis, germanum, qui ipsis videtur Scripturæ sensum, Criticorum more, qui ab omni anteceptâ opinione sunt liberi, & ex loci unius cum alio simili collatione eliciunt, Talmudicarum expositionum, quæ sæpiùs extra rem ipsam de quâ agitur excurrunt, parùm soliciti. Itaque si Karræi interdùm apud Judæos Rabbanistas malè audiant tanquàm contextûs Biblici corruptores, id ex odio & invidiâ, necnòn ex contentionis æstu proficiscitur. Hæc omnia ex ipsis Karræorum libris faciliùs cognoscentur.

Karræorum Biblia.

Buxtorf. de punctorum antiquit.

Aaron Karræus.

Aaron filius Josephi è sectâ Karræorum, qui scripsit commentaria in Legem, anno MCCXCIV. ab exordio libri sui miserrimum Judæorum statum, illorúmque in terras gentium dispersionem paucis complectitur, & asserit obsignatam illis fuisse.

fuisse *visionem atque Prophetiam*, &c, *eos ferè oblitos esse linguæ Hebraicæ*; verùm *surrexêre Doctores*, inquit, *quidam apud Israëlitas in singulis civitatibus qui perscrutati sunt Scripturam, quæ apud nos XXIV. libros comprehendit*. Nòn igitùr hâc in parte Samaritis consentiunt Karræi, uti nonnullis visum est, sed universum Scripturæ Canonem cum Rabbanistis, velut authenticum, recipiunt: Eúmque haùd infrequentèr Prophetiam appellant, ut hoc pacto distinguatur à traditionibus illis, quas ceteri Judæi pro Divinis obtrudere nòn reformidant. Eodem loco Doctores Cabbalicos notat, qui pro Scripturâ sæpiùs cerebelli sui commenta & mendacia proponunt, &, ut loquitur, *innituntur Cabbalæ & mendacia effutiunt, dicúntque Cabbalam, seu traditionem, Scripturâ superiorem esse*. Karræos tamen nòn omnem prorsùs traditionem respuere; sed incertam parúmque constantem ab eâ quæ vera est, secernere, idem Scriptor Karræus apertè declarat his verbis; *nèque verò quis nobis objiciat nos etiàm inniti Scripturæ, rationi & traditæ à majoribus doctrinæ: hæc siquidèm, quâ utimur, traditio nòn fuit deperdita, consignatáque est in Scripturâ verâ, nec posita est in varietate: sed de illâ Israëlitæ per omnia consentiunt*. Hujusmodi est traditio illa,quæ effecit ut codicem Masorethicum ab omnibus Judæis receptum, cum punctis vocalibus & accentuum notis, illi quoque suâ auctoritate comprobarent. Ista longè meliùs patefient ex ipso quem mòx laudavimus Scriptoris Karræi commentario.

Mirum est quantum Karræus ille scriptionis hodiernæ rerúmque Grammaticarum, quotiès aliquid ad contextûs explicationem conferunt, studiosus fuerit. Celeberrimos Judæorum Rabbanistarum Magistros interdùm appellat, quorum testimoniis sententiam suam confirmet; eos quoque interdùm refellit, inprimis Doctores allegoricos & Cabbalicos. Sæpiùs tamen ad Grammaticæ analogiam recurrit, quàm ad aliorum testimonia. Itâ statìm ab initio explanationis suæ in librum Geneseos hæc habet; bereschith *ejusdem est formæ atque* scherith, *nisi, quòd quiescat Aleph: notum est autèm dictionem*, reschith, *nomen esse quod tempus indicat, & quòd etiàm notet id quod prius est*; (sicut Exodi capite XXIII.) *primitiæ frugum terræ tuæ*. Addit hoc loco; reschith *nomen esse temporis*: deindè censurâ suâ castigat Magistrum quemdam *Jesuam*, qui putat indè jàm ab initio exsti-

exſtitiſſe Angelos, eíque opponit *Doctorum Miſnicorum ſententiam, qui dixêre Angelos primâ die creatos nòn fuiſſe*, verbíſque Scripturæ ipſius conficit, tùnc nondùm quidpiam conditum fuiſſe, & hanc eſſe communem Interpretum ſententiam. Ad vocem והארץ *& terra*, obſervat *Vau*, quod huic dictioni præfigitur, ſumi debere ſicut *Phe* raphatum in linguâ Arabicâ, quod nòn eſt ſervile, ſed initium ſermonis. Nomen *Elohim*, aìt eſſe Judicibus proprium, & mòx hæc ſubdit; *poſtquam repertum eſt* Eloah, *inde cognovimus* Elohim *nomen eſſe plurale*, addítque eſſe לשון תפארת *dictionem quæ honorem denotet*. Explicat proprietates germanámque ſignificationem vocabulorum *tohu*, *bohu*, *choſchech*, eáſque aliis Scripturæ locis illuſtrat, refellítque Anonymum quemdam, qui ſentit hîc nomen *choſchech* ſignificare ignem elementarem. Dicit *merachepheth* eſſe ex conjugatione Dageſchatâ, ſeu Piel. Vim hujus ſententiæ explicat ad literam & varias difficultates, tùm ex contextu, tùm ex Interpretum expoſitionibus obortas, ſolvit. De vocabulo לילה hæc animadvertit; *litera He dictionis* laielah *eſt adjectitia, eadémque ratio eſt vocum omnium deſinentium in He, earúmque accentus eſt Mileel.* Ubi legimus in Latino Interprete, *faciamus hominem, &c.* & in Hebræo contextu נעשה reprehendit quoſdam interprêtes, qui putabant exponendum eſſe *faciam*, quaſi ſcriptum eſſet אעשה *quià nonnullis in locis in ſe invicem permutantur literæ* Ethan, id eſt, *Aleph, Jod, Tau & Nun.* Hanc quidèm regulam nòn improbat auctor ille Karræus, verùm hîc locum habere pernegat. Ad vocem מחלבֵהן quæ ſcribitur cùm puncto *Tſere* ſub *Beth*, hæc annotat; *dictio iſta notatur puncto Tſere ſub Beth, quià eſt in plurali, ut ſit quid diſcriminis à ſingulari & חלבן quod eſt cum Scheva: venit autèm abſque literâ Jod, quod eſt indicium pluralis, ſicùt בכל פעלך & alia ejuſdem rationis plurima.* Capite iii. Geneſeos obſervat, dictionem איכה legi cum puncto *Dageſch* intra literam *Caph* ornatûs & euphoniæ causâ.

Jam puto neminem eſſe, qui, ex hactenùs allàtis, nòn conficiat Karræos hodiernam contextûs Hebraici lectionem ſequi, ac totos à codicibus Maſorethicis dependere, ſervatis perquàm accuratè punctorum vocalium & accentuum minutiis. Sæpiùs in illo Scriptore Karræo leguntur hæc vocabula, *Pathach magnum*,

num, Pathach parvum, Scheva, Hateph-Camets, Cholem, Scheruc, (sic enim scribit, nòn *Schurec*) & alia id genus complura, quæ sunt Judæorum Grammaticorum inventa. Neque minùs in rebus Philosophicis & Theologicis exercitatum se ostendit, quàm in præceptionibus Grammaticis. Verùm ista prætereo, quià sunt extra propositi nostri rationem, pauca solùm attingam ex eorum Theologiâ, nè sint in posterum qui Karræos confundant cum Samaritis, quasi utrique animæ nostræ immortalitatem nòn agnoverint. Karræus itaque jàm sæpiùs laudatus ad hæc verba, *faciamus hominem ad imaginem nostram*, animadvertit, *animam hominis ex superioribus esse; corpus verò ex inferiorum formâ*: & hanc posteà rationem subjungit, *quià anima ejus nòn aliter subsistit quàm Angeli.* Ac demùm addit, *propter animam est mundus futurus.* Ista jàm annotaverat Judæus ille, qui editioni Constantinopolitanæ libri Juchasin præfuit: nam in libri illius Inscriptione, seu primâ paginâ, hæc leguntur; *hinc constat Saducæos nòn esse Karræos ætatis nostræ: hi enim agnoscunt mercedem & pœnam atque resurrectionem.*

Karræorum Theologia.

Denique Karræus ille, eruditi Scripturarum interpretis partes exsequutus, Doctorum Cabbalicorum methodum, qui meras allegoriarum nugas sectantur, valdè improbat. Ità eos reprehendit acerrimè qui illa omnia, quæ in initio Geneseos de ligno vitæ referuntur, explanant, &, ut loquitur, *quisque pro arbitratu suo illud omne argumentum sumpsit parabolicè: sed scito,* inquit, *id omne quod scribitur revera ità esse.* Et mòx in exemplum ejusmodi allegoriarum profert quæ Doctores isti Cabbalici vulgò de serpente referunt. *Dicunt,* inquit, *serpentem fuisse magnum sicut camelus, & Samaelem ipsi inequitâsse; Deum quoque ludentem cum camelo eidem inequitâsse. Prætereà dicunt, nè legeris tunicas* עור *pellis, sed tunicas* אור *lucis.* Quas expositiones derididiculas ità suggillat; *isti innituntur majoribus suis seu patribus in plerisque ejusmodi expositionum & aliis similibus.* Ac demùm malè sanis interpretibus, qui otio suo abutuntur, dira imprecatus hæc addit; *væ illi qui impudens id aggredi audeat.* Diversas etiam lectiones, quas Doctores isti ex suopte ingenio in Scripturâ ineptè comminiscuntur, refellit. Sic notat quosdam interpretes, qui in primis Geneseos verbis pro בראש scripto per *Resch*, legunt בדאש per *Daleth*: *nonnulli sunt,* inquit, *qui*

mutant

mutant Resch in Daleth; sed id cerebelli est commentum. Simili ratione eos perstringit qui dictionem בוהו in duas dictiones separant, quasi in contextu legeretur בו הוא. Hactenùs de Karræorum sectâ satis supérque dictum est; nùnc ad Judæos Rabanistas, undè nostra divertit oratio, redeundum.

CAP. XIII.

De Judæorum Targumim, seu Scripturæ sacræ translationibus, ac primùm de Paraphrasibus Chaldaicis.

SErmo Hebræus tamdiù Judæis remansit integer & ipsis vernaculus, quamdiù Hierosolymis remansêre Prophetæ, qui etiàm conciones suas ad populum linguâ Hebræâ, quæ ab omnibus intelligebatur, habuerunt. Verùm Babylonem deportati, linguæ suæ penitus obliti sunt, saltèm illi qui erant è plebe. Quapropter post annos aliquot Hierosolyma reversi, Legem Mosis intelligere nòn potuerunt, nisi præeuntibus sibi Doctoribus, qui Babylonicè, seu Chaldaicè, illam interpretarentur. Quo sensu legimus apud Nehemiam, suggestum sibi fecisse Esdram ex quo concionaretur ad populum, & unà *cum Levitis legisse in libro Legis Dei distinctè & apertè ad intelligendum*: & post nonnulla, *dixit autem Nehemias & Esdras Sacerdos & Scriba & Levitæ interpretantes* universo populo, linguâ, ut verisimile est, Chaldaicâ. Quæ consuetudo à Judæis, in toto terrarum orbe dispersis, nostrâ etiàm ætate retinetur. Ità Judæi Hispani, Germani, Turcæ, Græci, Persæ & alii, Legis contextûs Hispanicas, Germanicas, Turcicas, Græcas & Persicas interpretationes subjungunt. Et ex eodem fonte exortas fuisse existimo, quotquot hodiè reperiuntur apud Judæos Bibliorum conversiones ac Paraphrases. Neque aliam Græcæ translationis,

Origo Paraphraseon Chaldaicarum apud Judæos.

stationis, quæ sub nomine LXX Interpretum circumfertur, originem esse credibile est. Judæi enim Alexandrini, qui Græcè loquebantur, versionem sibi Græcam fecêre, quæ à Judæis posteà ad Christianos pervenit. Hierosolymis aliisque terris vicinioribus, ubi tùnc Chaldæorum lingua vigebat, natæ sunt Paraphrases Chaldaicæ, undè in alias deindè regiones transmissæ fuerunt. Paraphrases istas Chaldaicas etiàm hodiernis temporibus plurimi faciunt Judæi, illas maximè quæ Onkeloso & Jonathani vulgò tribuuntur. De auctoritate tamen & antiquitate ejusmodi Paraphraseon nòn consentiunt inter se viri docti; & quià nemo est qui argumentum istud majori eruditione tractaverit quàm Elias Levita, vir in linguâ Chaldaicâ & in Scriptoribus Chaldæis diù multúmque volutatus, hujus verba, quæ multum lucis præsenti negotio afferent, hûc transferre nòn pigebit, ex præfatione quam suo Methurgeman, sive Lexico Chaldaico præmisit.

Elias præfat. in Methurg. *Cùm è terrâ suâ exsules Judæi*, inquit Elias, *Babylonem deportati sunt, obliti fuère omninò linguæ suæ, ut perhibet liber Nehemiæ. Imò Doctorum Legísque peritorum scientia præcipua fuit in linguâ Babylonicâ. In eâ etiàm compositum est Talmud Babylonicum. Prætereà sub Templo secundo lingua eorum partem maximam fuit Babylonica. Quare cùm hoc deprehendisset Jonathan filius Uzzielis Chaldaicam Paraphrasim in octo Prophetas, in illorum usum conscripsit. Similitèr Onkelos in Legem: verum Hagiographa translata nòn fuère, nisi multo post tempore, in linguâ Talmudis Hierosolymitani, sicut posteà exponam. Nunc nonnulla de iis quæ Paraphrastas istos respiciunt, quærenda. Cùr expositum habeatur in Gemarâ Jonathanem exstitisse longè ante Onkelosum: quomodò Jonathan fuerit ex discipulis Hillelis, qui floruit annos circiter centum ante destructum Templum; Onkelos verò filius Titi qui evertit Templum: & si ità sit, cùr Jonathan primò interpretatus fuerit Prophetas, nòn verò à Lege sit exorsus. Patres nostri felicis memoriæ dicunt quidem, voluisse explanare Hagiographa, sed ad eum advenisse vocem è cœlo dicentem, nòn satis est quòd aperueris mysteria Prophetarum? vis adhùc aperire mysteria Spiritûs Sancti*, (id est, librorum Hagiographorum)? *Nòn igitùr Hagiographa, ob hanc causam, Paraphrasticè exposuit; sed jam altera se offert difficultas, nimirùm, cùr Legem nòn exposuerit, maximè eo quod Doctor Cabbalicus Ribbi Menahem Rekanatensis*

fis scripserit in sectione מצורע *eum quoque eodem modo Legem transtulisse, sicùt habet ad hæc verba*, & misit avem vivam: *sic enim loquitur; inveni in Targum Jonathanis filii Uzzielis, felicis memoriæ*, & dimisit avem vivam, &c. *neque aliter scribit pluribus aliis locis. Si hoc verum sit, mirum est profectò, quomodo intra breve illud tempus interciderit, neque quidquam ex eâ translatione residuum sit. Quærendum quoque est, cùr nòn transtulerit Onkelos Hagiographa, remanserintque absque interpretatione usque ad tempora Hierosolymitani cujusdam, qui ea Paraphrasticè explanavit. Compertum autèm nòn habetur quis ille fuerit, quódve nomen illius, & quo tempore vixerit. Ità quoque interpres Hierosolymitanus, qui Legem transtulit, nobis exstat incognitus, utrùm scilicèt idem sit atque is qui interpretatus fuit Hagiographa; an verò sint duo interpretes, qui diversis temporibus floruerint. Sunt qui dicant Aquilam Proselytam utriusque Paraphraseos auctorem esse. Sunt quoque qui dicant Josephum Cæcum utramque condidisse: & reverà inveni in Bereschith Rabba versus plures ex Hagiographis necnòn ex Prophetis translatos nomine Aquilæ, sicuti versum illum*, mors & vita in potestate linguæ, &c. *Vide in radice* מצמר *pariter ad hæc verba Ezechielis*, sponsæ adulteriorum, *habet Targum Aquila* פלויאה פורנא *(id est, παλαιαν πόρνην, seu vetustam meretricem); vide in radice* בלאה. *Sic quoque nonnullas vestium, quarum meminit Isaias, interpretatur Aquila. Verum Paraphraseos Rabbi Josephi nulla est mentio in Bereschith Rabba: nondùm enim vivebat. Tamen illius est mentio in Gemarâ ad quosdam versus Prophetarum & Hagiographorum, qui nullatenus reperiuntur in versibus Legis. Scito autèm in nihilo discrepare linguam Paraphraseos Onkelosi à linguâ Paraphraseos Jonathanis, quia utraque lingua Babylonica est, pariter tanquam Danielis & Esdræ: sed hujus lingua longè purior est ac nitidior quàm ceterorum Targumim, ut mox exponam. Valde autèm Targum Hierosolymitanum differt à Babylonico, idque quià illud conflatur ex pluribus linguis, Babylonicâ videlicet, Græcâ, Romanâ & Persicâ. Eo quòd autèm multa ejusmodi linguarum deprehendantur, videtur mihi cœpisse hæc commixtio ab eo tempore, quo regnorum istorum dominatio fuit in Hierusalem; idcircò vocata est lingua illa Targum Hierosolymitanorum: & in eâdem compilavit Ribbi Johanan Talmud Hierosolymitanum, annis circiter CCC. pòst eversa Hierosolyma. Neminem verò latet his temporibus gentes istas imperâsse Hierosolymis, unam pòst*

Proverb. 12.

 alte-

alteram, ut habetur in libro Josephi Gorionidæ. Verùm tempus quò conditum est Targum Hierosolymitanum in Legem & Hagiographa, nobis est incognitum; utrùm scilicèt fuerit ante vel post Talmudis Hierosolymitani compositionem. Adducor ut credam Targum Hierosolymitanum nòn exstare nisi in Jobum, Proverbia & Psalmos, nòn verò in Quinque Volumina: quià nòn idem est orationis character, licèt in his multæ sint voces ex Targum Hierosolymitano.

Hactenùs Elias Levita, qui demùm sententiam suam de diversitate Targum Jobi, Proverbiorum & Psalmorum, quod Hierosolymitanum vocat, à Targum Quinque Voluminum, confirmat exemplo duplicis Targum, quod reperitur in Volumen Estheris; secundum verò Hierosolymitani nomen habet: idque iterùm confirmat auctoritate R. Solomonis, & post nonnulla demùm concludit nòn minùs ignorari auctorem Targum Quinque Voluminum, quàm Targum Jobi, Proverbiorum & Psalmorum. Jàm ex his cognoscere est, quàm parùm certa sint eà, quæ de Scriptoribus Targumim afferunt Judæi. Primò enim qui fuerint Onkelos & Jonathàn, quâve ætate vixerint, compertum nòn habetur. De illorum antiquitate etiàm disputant Christiani, dùm alii, ducti potissimùm Judæorum testimoniis, illorum Paraphrases circa tempora Christi confectas fuisse existimant; alii verò has Origene atque Hieronymo posteriores esse affirmant, quòd illarum nusquàm meminerint. Fieri tamen potest, ut jàm indè ab illis temporibus Judæis Babylonensibus fuerint cognitæ, apud quos natæ esse videntur; sed nondùm, in unum veluti corpus Paraphraseos redactæ, in vulgus abierant: quomodo etiàm incidi in exemplaria quædam Pentateuchi, quibus Gallica contextûs Hebræi expositio ad singulas ferè voces adjungebatur: Gallica tamen Legis Mosaicæ Paraphrasis à nemine Judæorum hactenùs laudata fuit. Verisimile est itaque Doctores quosdam Scholarum Babylonensium in usum gentis suæ dictiones Hebraicas Chaldaicè exposuisse; ex quibus, longo post tempore, integra demùm Paraphrasis composita fuerit. Et ut ità sentiam, facit Chaldæus sermo purus & nòn inquinatus, quo scripta sunt. Quæ quidèm intelligenda sunt de Paraphrasi duntaxàt, quæ sub nomine Onkelosi exstat in Legem Mosis, & de alterâ in omnes cùm priores tùm posteriores Prophetas,

ut

ut loquar cum Judæis, quæ Jonathani tribuitur. Ille enim Jonathan, vel alius quilibet auctor Paraphraseos in Prophetas, aliam, quæ sub Jonathanis nomine à Judæis quibusdam vulgata est, minimè composuit; adeò diversa est utriúsque loquela. Miror id nòn animadversum fuisse D. Huetio aliísque viris Criticis, qui Pseudo-Jonathanem illum cum vero & antiquo Jonathane confundunt, quasi unus idémque Scriptor fuerit Paraphraseos in Pentateuchum & Prophetas. Quæ verò fingunt Talmudici Doctores de voce quâdam cœlo delapsâ, quæ Jonathanem ab explanatione librorum, quos vocant Hagiographos, deterruerit, pura puta sunt somniantium Judæorum commenta, quæ nemo sanus agnoverit. Notanda autèm inprimis sunt quæ de dialectorum, Babylonicæ & Hierosolymitanæ, diversitate observavit idem Elias, qui reliquas Paraphrases, quæ exstant in libros Hagiographos, nòn multi fecisse videtur, quòd ab hominibus nullius nominis scriptæ fuerint. Quibus accedit illarum auctores sæpiùs à contextûs Hebræi verbis recessisse, substitutis in ejus locum Talmudicis fabellis, aliísque id genus commentis.

Onkelos & Jonathan Scripturæ verbis longè pressiùs adhærent, de quâ tamen exprimendâ ad literam interdùm minùs curant, teste eodem Eliâ Levitâ. *Paraphrastæ verò*, inquit, *interdùm nòn servant Grammaticam: reddunt enim præteritum per futurum, sicut & futurum per præteritum: pariter aliquandò participium per præteritum aut futurum. Infinitivum quoque cum literis servilibus* בכלם *quæ ei præfiguntur, reddunt ut plurimum per præteritum, interdùm etiàm per futurum. Præterea aliquandò interpretantur versum, uti convenientiùs esse judicant in linguam Targumicam, contextui Biblico nòn addicti.* His subjungit Elias R. Solomonis Isaaki, quem malè nostri Jarchi appellant, testimonium, qui observat Onkelosum de Scripturæ Grammaticâ minimè solicitum, mentis suæ sensum haùd infrequentèr sectatum fuisse. Voces etiàm aliquot isti Paraphrastæ imò & versus integros omiserunt; nec desunt loca, quæ in sensum trahant planè contrarium. Commune scilicèt est illud Paraphrastarum omnium fatum, qui libros ex unâ linguâ in aliàm transferunt, ut nimis liberam convertendi rationem sectentur. Quare siqua occurrat ex interpretatione varietas, ea statim ad causam

Elias Lev. Præf. in Methurg. sub finem.

causam suam & originem referenda est, ac diligenter inquirendum, quid ex diversis codicum lectionibus proficisci potuerit, quídve pro interpretis arbitrio mutatum fuerit. Sed illud inprimis animadversione dignum est, quòd perturbata olìm fuerit & admodùm confusa Paraphraseon Chaldaicarum scriptio. Nulla enim servabatur orthographiæ analogia, literæ *Vau* & *Jod* absque ullâ Lege plerisque dictionibus adscribebantur. Simili ratione punctationis Chaldaicæ auctor nullam planè methodum, in apponendis contextui Chaldaico apicibus, servaverat: utì palàm testatur Elias Levita, qui primus linguam Chaldaicam excoluit. Quàm verò difficile fuerit Grammaticam Chaldæam condere, malim ejusdem Eliæ verbis, quàm meis explicare. *Plurimi*, inquit Elias, *rogârunt me, an condi posset Grammatica in hac Targumim, respondi uti sentiebam, nimirùm, me nòn posse, eo quòd exemplaria inter se variarent, tam in dictionibus quàm in literis, & omninò in punctis, quæ admodùm variant. Et id profectò inde oritur, quòd Paraphrastæ scripserint suas Paraphrases absque punctis, quippe quæ nondùm inventa fuerant, ut rectè demonstravi in præfatione libri Masoreth hammasoreth. His accedit, quòd vetustissima exemplaria omnia sint absque punctis, quià nòn ea punctârunt auctores Masoræ, uti punctârunt universam Scripturam: sed multo post tempore ab uno vel plurimis, iisdémque nullius nominis punctata fuêre, prout ipsis visum fuit. Quare nulla in ipsis servatur analogia, neque ex illis duci potest ratio aliqua unde conficitur Grammatica. Et nisi res ità se habeat, quis putet ab eo tempore quo condita sunt Targumim, neminem adhùc apud Judæos exstitisse, qui sat eruditionis habuerit ad construendam Grammaticam, sicuti fecit Ribbi Juda * primus Grammaticus felicis memoriæ: quandoquidem ante illum nulla fuit Grammatica Hebræa. Quià autem invenit Scripturæ sacræ libros punctis & accentibus notatos, necnòn Masorâ instructos à Masoræ conditoribus, ipse cœpit adjuvare Israëlitas, exsulúmque Judæorum oculos Grammaticâ suâ illustrare. Hunc sequutus est Ribbi Jona, & hunc iterùm excepit R. Saadias Gaon: deinde innumeri posteà fuêre Grammatici. At nemo fuit qui ad Targum animadverteret, & castigaret quod erat depravatum. Omnes illud parvi fecerunt, ac prodiit perversum: quod tamen unicum servatur. Idcircò cogitavi de ratione, quâ quisque facere posset Grammaticam Targumicam*

Elias Lev.

* In hoc errat Elias, quòd primum Grammaticorum apud Judæos recenseat R. Judam: cùm prior illo fuerit R. Saadias, quem posteà nominat.

micam hoc modo, ut fundamentum suum sumeret ex iis quæ in Daniele & Esdrâ habentur Chaldaicè concepta, & hinc duntaxàt confirmat ædificium suum, nòn verò ex Targumim; indéque ducat regulas Grammatices, si nòn omninò, saltèm ex parte, quià illud exiguum est.

Iterùm post nonnulla hæc subjicit, in eâdem præfatione, Elias. *Seculis præteritis, priusquàm ars typographiæ inventa fuisset, nòn repertum est Targum Prophetarum & Hagiographorum, præter unum in urbe & duo in climate. Idcircò nemo fuit, qui ea attenderet; at multa sempèr Targum Onkelosi exemplaria reperta sunt: quià, nimirùm, tenebamur legere singulis hebdomadibus Sectiones duas Scripturæ, & unam Targum. Exstitère aliqui homines qui animum illi applicarent, ac quidpiam in illud scriberent, in quibus nòn multum profectûs deprehendi. Facta quoque est in eum Masora quam hactenùs videre nòn licuit. Verùm in Prophetas & Hagiographa nemo fuit, qui os aperiret ac mussitaret. Non fuit qui quæreret vel postularet; sed omnes dicebant, opus illud relinquamus donec veniat Elias.* Ubi autèm semèl inventa fuit Grammatica illa Chaldaica, quam conditu difficillimam Elias judicaverat, statim Munsterus, Mercerus, aliique viri docti reformando contextui Chaldaico omne studium suum contulêre: præ ceteris verò Joànnes Buxtorfius, qui ausu improbo immensum Paraphraseon opus nuperæ Grammatices methodo conformatum edi curavit. *Textum Chaldæum,* inquit Buxtorfius, *qui Targum vulgò dicitur, & illustrissimus est textûs Hebraici commentarius, in Mose & Prophetis ad antiquam, veram & perpetuam linguæ priscæ Chaldaicæ analogiam libris Esræ & Danielis pulcherrimè præmonstratam redegimus, & ab ineptâ & insignitèr deformi punctatione, quam editiones Venetæ continent, vindicavimus.* Verùm, ut optimè à Ludovico de Dieu annotatum fuit, nonnulla adhùc post Buxtorfii castigationem supersunt in melius reformanda. Inter evolvendum codices quosdam sacri contextûs manu exaratos, fortè incidi in Pentateuchum chartâ maximâ in Pergameno prægrandioribus literis descriptum, qui Onkelosi Paraphrasim hoc modo exhibebat ut quemlibet contextûs Hebraici versum comma similitèr Paraphraseos exciperet. In eo autèm exemplari punctatio Chaldaica à quâlibet aliâ, quam hactenùs deprehendere licuerit, tàm in

Buxtorf. præfat. in Bibl. Basil.

in editis, quàm in manuscriptis codicibus, mirè discrepat. Hæc enim analogiam punctationis librorum Esdræ & Danielis longè meliùs quàm Buxtorfiana editio repræsentat. Vulgò tamen tribuuntur Complutensibus castigationis punctationis Chaldaicæ exordia, quæ deindè ab Aria Montano exculta, demùm à Buxtorfio in Bibliis Basileensibus perfecta fuerit. Sed hæc longè adhùc perfectior apparet in exemplari manuscripto, quod modo descripsimus. Quare existimaverim etiàm ante Eliæ Levitæ tempora nòn defuisse apud Judæos, qui, in Paraphrasibus Chaldaicis exercitati, linguæ Chaldææ periti essent; sed talia exemplaria ad manus Eliæ nunquàm venerant, demirórque Judæos, qui diversis Onkelosi Paraphraseos editionibus præfuerunt, melioribus usos nòn fuisse codicibus. Auctor tamen nòn fuerim, ut hodiernæ Targumim punctationi quantumlibet à Buxtorfio reformatæ in omnibus credatur, nisi ubi sensum videtur ferre commodiorem. Sed ad antiquam potiùs recurrendum est contextûs Chaldaici formam, dùm ab illo prorsùs aberant puncta vocalia, quæ nuperrimè à Magistris inventa, Paraphrasibus sine ullâ arte adjecta sunt. Punctationis Chaldaicæ eadem nòn est auctoritas atque Hebraicæ. Hæc siquidèm doctissimos censores, Magistros scilicèt Tiberienses, nacta, quorum auctoritas nòn minus, quàm Scholæ Tiberiensis, nomen apud omnes obtinuerat; illa verò paucissimis cognita, etiàm hodiè à plerisque Judæis ignoratur.

CAP.

CAP. XIV.

Appendix, de reliquis Bibliorum versionibus quibus utuntur Judæi.

PRæter allatas contextûs Hebræi Paraphrases, quas modò recensuimus, alias superesse, quæ nondùm editæ sint, nullus dubito; maximè cùm inter legendum Rabbinorum libros aliquas laudari deprehenderim, quæ nondùm juris publici factæ sunt. Sed hæ dudùm Judæis neglectui fuêre, quià linguam Chaldaicam ignorabant. Quapropter cùm lingua etiàm Hebræa Judæis paucissimis probè cognita esset, necesse fuit ut Judæorum Magistri sacros codices in vernaculum sermonem converterent. Undè innumeræ apud Judæos Scripturæ sacræ versiones prodierunt. Jam à nongentis & ampliùs annis R. Saadias cognomento Gaon, seu Excellens, Scripturam universam Arabico sermone donavit; licèt unicus duntaxàt Mosis Pentateuchus ad nos usque pervenerit, quem Judæi Constantinopolitani literis Hebraicis edi curârunt. Eumdem posteà Angli charactere Arabico editum in elegantibus illis Polyglottis nobis communicârunt. Hæc Saadiæ interpretatio Paraphraseos, potiùs quàm versionis simplicis nomine insigniri debet, quià contextûs sui verbis nòn ità presse adhæret interpres. Mutat etiàm interdùm nomina propria, & ut ab omni anteceptâ opinione liber nòn erat, mentis suæ sensa potiùs quàm ipsúmmet contextum haùd infrequentèr exprimit. Præterea cùm ars Grammatica nondùm benè à Judæis exculta fuisset, quandò Saadias translationi suæ animum applicuit, mirum videri nòn debet, si nævi aliquot in eâ occurrant. Dictio illius, etsi ad Hebraismos minùs accedat, quià Paraphrastica est, nòn ità tamen Arabica est, quìn linguæ Hebraicæ ingenio sæpiùs inserviat, ità ut ex eâ hominem Judæum

Versio Arabica R. Saadiæ.

Judæum facilè agnoscas. Idque in causâ fuit, ut versionis illius Arabicæ Latinus interpres locis aliquot turpitèr allucinatus fuerit, quià linguæ Hebraicæ nòn peritus unum sermonem Arabicum intuitus est.

Alia Judæorum versio Arabica.

Versionem aliam Pentateuchi Arabicè scriptam publicavit Erpenius, quæ Judæum Africanum auctorem habet, quæque à verbis contextûs minùs quàm Saadiana recedit, adeóque frequentiores in eâ Hebraismi apparent. Nòn ità tamen à contextu suo dependet interpres ille, quìn aliquandò gentis suæ opiniones sectetur. Persicam Jacobi cognomento Tauasi, ex urbe Taus, quâ erat oriundus, Pentateuchi versionem huic adjungere possumus, quòd ejusdem planè sit naturæ, idémque in illâ agnoscatur ingenium Judaicum. Hæc quæ primùm Constantinopoli à Judæis charactere Hebraico unà cum Saadiæ Paraphrasi edita fuerat, secundò in Polyglottis Anglicanis charactere Persico edita est.

Versio Sermone Græco vulgari.

Habent quoque Judæi contextûs Biblici versionem Græco sermone vulgari Constantinopoli editam, quam pluris faciunt Carraitæ, illi præsertìm qui regiones incolunt ubi sermo ille Græcus vulgaris vernaculus est. Pentateuchus versionis illius editus est Constantinopoli, charactere Hebraico cum punctis vocalibus, à Judæis quos vulgò Rabbanistas, seu Talmudistas, appellamus. Legi quoque in eâdem linguâ Græcâ vulgari librum Jobi ibidem editum duabúsque distinctum columnis, quarum una Hebraicè, altera verò sermone Græco vulgari exhibet Græcum hàc Inscriptione איוב בלשון הקדש ובלשון רומאניקי id est, *Jobus in linguâ sanctâ & in linguâ Romanicâ*, seu Græcâ vulgari: R. Moses filius R. Eliæ Phobian interpretationis illius auctor, in præfatione quam operi suo præmisit, testatur se in eamdem quoque linguam Solomonis Proverbia convertisse, & ad hanc elucubrationem gentis suæ potissimùm inscitiâ, quæ linguam Hebraicam ignoraret, adductum se fuisse Huic translationi aliam in Pentateuchum adjunxêre iidem Judæi Constantinopolitani sermone Hispanico

Versio Hispanica.

& literis Hebraicis unà cum punctis vocalibus editam, quæ hàud dubiè auctores habet Judæos Hispanos qui nùnc degunt Constantinopoli, Thessalonicæ, Adrianopoli, aliisque locis vicinis, quò recesserunt postquàm Hispaniâ pulsi sunt. In his autèm versio-

versionibus sermonem Græcum vulgarem & Hispanicum agnoscere difficile est, adeò frequentes occurrunt in illis Hebraismi.

Celeberrima etiàm est apud Judæos qui Hispaniæ & Italiæ terras incolunt totius Scripturæ versio Hispanica, quæ in usum Judæorum primùm Ferraræ edita est, anno MDLIII. Hæc contextûs Hebræi verba ità pressè sequitur, ut ab eo tantillùm discedere interpreti religio fuerit, qui ob hanc causam voces interdùm obsoletas & in Synagogis Hispaniæ natas adhibet, quæ huic translationi multum obscuritatis afferunt. Si iis, quæ in præfatione operis illius exstant, fides adhibeatur, versio illa partem maximam ex Pagnini translatione sumpta est: sed in condendâ versione illâ Judæi Kimchii potiùs, Aben Esræ, & aliorum Magistrorum, quos consuluerat Pagninus, æstimatores fuêre, quàm ipsius Pagnini, cui adhæsisse palàm testantur, ut omnem à se invidiam amoverent. Verisimile est Abrahamum Usque Judæum è Lusitaniâ in adornandâ hâc translatione Hispanâ sibi prævios habuisse Doctores Hispanos, qui ante illius tempora Biblia in Synagogis Hebraicè & Hispanicè prælegerant; adeò ut plerasque illorum voces usurpaverit. Illud autèm in hâc Ferrariensi editione animadversione dignum videtur, quòd interpres argumenti quod tractabat difficultate deterritus, nihilque in re tàm arduâ definire ausus, stellulas seu asteriscos locis Scripturæ quam pluribus apposuerit, quorum admodùm incerta sibi videbatur expositio. Hæc enim in præfatione leguntur, *y es de notar que en los lugares donde se viere esta estrella *, es senal que ayduda en la declaracion del vocablo y alguna vez diversos pareceres.* Judæi tamen qui secundam versionis istius editionem accurârunt anno MDCXXX. plerosque ejusmodi asteriscorum à novâ illâ editione sustulêre, cùm augeri potiùs debuerit illorum numerus quàm minui. Quid verò commodi ex istâ translatione, quam vix Judæi intelligunt, referre possunt Christiani, nòn liquet: & ut olìm Aquilæ contentiosi interpretis damnata est *κακοζηλία*, ità nemo sanus laudaverit Ferrariensem istam versionem, quæ nimis affectata est, dúmque Grammaticam unam respicit interpres, vix sensum exprimit. Hunc in eo castigat Cassiodorus de Reynà, quòd verba illa capitis ix. Isaiæ exponens, *vocabitur nomen ejus admirabi-*

Alia versio Hispanica.

Cassiod. de Reynà. Isa. 9. 6.

mirabilis, *consiliarius*, *Deus fortis*, *pater futuri sæculi*, *princeps pacis*, ut habentur in editione Vulgatâ, in alium planè sensum traxerit, quasi hæc tantùm, *princeps pacis*, in Messiam cadant; cetera autèm Deo attribui debeant. Verùm hâc in re, ut & alibi passim, interpres Hispanus gentis suæ placitis obtemperat. In eo tamen veniâ dignus nòn est, quòd contra artis Grammaticæ regulas, quam profitetur, articulum *el* præposuerit *marravilloso*, *consejero*, & ceteris, cùm in Hebræo præfixum *ha*, cui respondet articulus *el*, apud Hispanos, notatum nòn fuerit. Similiter & aliis in locis peccat contra easdem regulas, sicuti cùm ab initio Psalmorum verba contextûs Hebræi ità vertit, *bien avanturado el varon*, cùm verti debuissent juxta artis suæ leges, *bien avanturanças de el varon*, ut ad verbum sonant Hebraica. Sed nòn est cùr ejusmodi subtilitatibus diutiùs immoremur.

Psalm. 1. v. 1.

CAP. XV.

De Bibliorum versionibus quæ apud Christianos aliquid auctoritatis obtinent, ac primùm de Græcâ Septuaginta Interpretum.

Diversæ de Græcâ Bibliorum translatione sententiæ.

ETsi Græca, quæ sub nomine Septuaginta Seniorum circumfertur, versio, Judæos auctores habeat & à Judæis publicè lecta fuerit in Synagogis & Scholis, visum tamen est illam inter eas versiones collocare, quæ in usum Christianorum cesserunt: quià dudùm illa à Judæis ad Christianos transiit, & nostrâ adhùc ætate in plerisque Ecclesiis retinetur. Mirum autèm est quantum hactenùs tàm de auctoritate Græcæ illius translationis, quàm de auctoribus disputatum fuerit, & nùnc etiàm sub judice lis est. Alii siquidèm omnem prorsùs auctoritatem illis Interpretibus negant; alii contrà illorum decretis in omnibus standum esse existimant, eósque ut Prophetas Spiritu Divino afflatos suspiciunt; alii denique velut inter hos & illos medii vetustam illam ac venerandam

ſacri codicis verſionem meritis ornant laudibus, ità tamen ut in aliquibus illius etiàm fidem accuſent. Hiſtoriam illorum Interpretum, qualis à Philone, Joſepho & à pleriſque Patrum cùm Græcorum tùm Latinorum deſcribitur, lubens prætereo: hanc puto latere nemini. Id tantùm ab omnibus obſervatum velim, id omne quod in Patrum ſcriptis exſtat de Septuaginta Interpretibus, ſi pauca excipias quæ magnam partem à Judæis poſteà conficta ſunt, ex Ariſteæ libello, *De Legis Divinæ ex Hebraicâ linguâ in Græcam tranſlatione per LXX Interpretes*, deſumptum fuiſſe. Libellum autèm hunc partum eſſe ſuppoſititium judicârunt viri docti, quibus eſt aliqua rei Criticæ cognitio. Licèt etiàm ſuppoſititius nòn eſſet libellus ille qui ſub Ariſteæ nomine circumfertur, illos, qui indè veritatem Hiſtoriæ peti poſſe autumant, nòn magìs ſapere crediderim, quàm ſiquis in Xenophontis Cyropædiâ veram Cyri Hiſtoriam quærat. Ut enim ex ſolâ libri illius inſpectione acutiſſimè Tullius, *Cyrum à Xenophonte nòn ad Hiſtoriæ fidem ſcriptum fuiſſe, ſed ad effigiem juſti imperii, deprehendit*; ità & inter legendum Ariſteæ libellum, hunc ad ſermonem commentitium, quales ſunt quos hodiè *Romanos* appellamus, quàm ad genuinam rei geſtæ Hiſtoriam magìs accedere, nemo eſt qui ſtatim nòn agnoſcat. Univerſa ſiquidèm libri illius oratio ità compoſita eſt, ut à Judæo quodam Helleniſtâ gentis ſuæ amantiſſimo inſtructa fuiſſe videatur. Hiſtoriæ illius Scriptor, pro innatâ genti ſuæ conſuetudine, grandia ubique loquitur, neque etiàm parcit miraculis. Regi enim Ptolemæo roganti cùr nemo Scriptorum τῶν ἔξω, ſive externorum, egregii illius operis mentionem feciſſet, Demetrium his verbis ſic reſpondentem inducit. *Quià iſta Lex eſt ſacroſancta & divinitùs lata, tùm quià nonnulli id aggreſſi Divinâ plagâ territi ab inſtituto deſtiterunt. Nam audivi Theopompum, cùm vellet quædam ex iſtâ* Lege, *tùm nòn ità commode verſa, in ſuam Hiſtoriam inſerere, animo fuiſſe turbatum ultra dies triginta, & in morbi intermiſſione cùm exoràſſet Deum votis ut ſibi declararet quam ob cauſam hoc ſibi accidiſſet, in ſomno ei fuiſſe indicatum, ideò accidiſſe quià Divina ſtudio ſuo evulgare conaretur, & referre ad multos homines: hinc cùm inſtitutum intermiſiſſet, dicitur fuiſſe liberatus à morbo. Accepi etiàm de Theodecte Tragico Poëtâ, quòd cùm voluiſſet aliquid,*

De libello Ariſteæ judicium.

aliquid, quod scriptum esset hoc libro, transferre in quamdam fabulam suam, fuisse visum ei ablatum donec perpendisset hoc sibi evenisse propter hoc suum factum, & per multos dies reconciliâsset sibi Deum votis suis.

Hæc sanè minùs absunt à fabulâ quàm ab Historiâ, ingeniúmque Judaicum planè redolent, quod confingendis miraculis sempèr idoneum fuit. Similia ferè commenti sunt de voce cœlo delapsâ, quæ Chaldaicæ Paraphraseos Scriptorem deterruerit ab interpretatione librorum Hagiographorum. Deindè contraria videtur hîc asserere Pseudo-Aristeas: nam cùm scribit de Theopompo, indicat Legem Mosis jàm anteà Græco sermone donatam fuisse. Sed si res ità erat, cùr alia interpretatio tàm enixè conquisita est? Quapropter rectè Baronius aliique viri doctissimi, hâc potissimum ratione ducti, rejectâ Clementis Alexandrini auctoritate, conficiunt Scripturam anteà in Græcum sermonem conversam nòn fuisse; sed eam quæ LXX Senioribus tribuitur interpretationem omnium primam esse. Neque dixeris illam priorem minùs elegantem & inconditam fuisse: quantumlibet enim imperfecta supponatur, in Bibliothecâ Regiâ cum innumeris aliis libris asservata fuisset, neque Regi prorsùs incognitâ. Alia prætereo, quæ à viris eruditissimis, præsertìm à Josepho Scaligero, de supposititio Aristeæ libello annotata sunt, quæque teste in hâc materiâ locupletissimo, Gerardo Vossio, *levia non sunt*. His omnibus accedit Aristeam ad historiæ illius scriptionem adductum inprimis videri, ut pii benéque morati principis ideam exprimeret, neque alio nomine Historia illa commendari debet. Quare fabulæ istius concinnator, causæ suæ veluti diffidens, eámque judicans minùs probabilem, hæc subjungit; *existimo autem fore ut iis omnibus, qui hæc sunt lecturi, videantur ea supra fidem esse: sed profectò nòn licet aliquid narrare falsi de illis quæ excepta & annotata sunt; nefas etiam est præterire aliquid in hujusmodi rebus, sed ut hæc sunt acta, ità ea exposui, ut vitarem omnem errorem.* Demùm hæc addit; *proptereà studui sermonis illius veritatem ab illis accipere, qui singula quæ fiunt in Regiis negotiis & conviviis solent excipere & annotare.* Nimirùm, metuens nè ea quæ profert ab omnibus tanquàm parùm credibilia respuerentur, conatur illa undecunque corroborare.

Joseph. Scalig. animadv. in Chron. Euseb. Ger. Voss. lib. 1. de Histor. Græc.

Verùm his obstare videtur Patrum omnium & aliorum nòn inferio-

inferioris notæ Scriptorum auctoritas, qui Aristeæ Historiam, tanquàm veram narrationem, operibus suis inseruerunt, adeóque contraria sententia vix defendi poterit sine temeritatis notâ. Sed nòn tàm quid à Patribus hâc in re dictum fuerit considerandum videtur, quàm rationes quibus ad hanc sententiam adducti sunt, expendendæ. In rebus Criticis nòn numerantur suffragia, sed ponderantur rationum momenta. Constat illos unius Aristeæ, sive Philonis ac Josephi, qui ex Aristeâ sua hauserant, auctoritate permotos fuisse. Utrùm autem vera esset necne illa Aristeæ Historia; nòn erat cùr κριτικῶς inquirerent. Quandoquidèm Græca LXX Seniorum versio, quâ tùnc Ecclesia utebatur adversùs Judæos, qui contextum Hebræum inter disputandum Christianis passìm opponebant, illius fidem egregiè tuebatur. Malè rebus suis consuluissent Patres, nisi versionem illam amplexati fuissent, quam Judæi penitùs rejicere nòn poterant. Hieronymus, quia erat omni disciplinarum genere instructus, hasce Criticæ leges apprimè novit: ideò, contra communem Patrum sententiam, ea, quæ in omnium ore vulgò habebantur de LXX Interpretum cellulis, evertere nòn dubitavit. *Nescio*, inquit, *quis primus auctor septuaginta cellulas mendacio suo exstruxerit.* Justinum deindè cellularum testem oculatum deridet, ut virum simpliciorem, qui Judæorum fabulas arripuerit. Similitèr nec veritus est in eodem argumento à reliquis Patribus discedere, dùm Aristeæ ipsius & Josephi auctoritate communitus LXX Interpretes *contulisse*, nòn verò *prophetâsse*, asserit; *aliud est enim*, inquit, *vatem, aliud est esse interpretem: ibi spiritus ventura prædicit, hic eruditio & verborum copia ea quæ intelligit, transfert.* Imò nec eos pluris fecit quàm Tullium, qui œconomiam Xenophontis & Platonis Protagoram, & Demosthenis pro Ctesiphonte orationem Rhetorico spiritu, nòn Prophetico, transtulerat. Neque unquàm aliud sensisse de illis videtur Hieronymus, licèt interdùm scribat eos fuisse afflatos Spiritu sancto: sed quod tùnc οἰκονομικῶς sentiendum esse judicavit vir ille prudentissimus, plerisque illud affirmare visus est. Quâ similitèr ratione, quamvis Hieronymi animus post Aristeam, Josephum, aliósque ætatis suæ Judæos eò inclinarit, ut LXX Seniores Græcæ tantùm versionis, quæ exstat in libros Legis, auctores fuerint, tamen Commenta-

Hieron.

mentariis quæ ad reliquos Scripturæ ſacræ libros adornavit, haùd alitèr de iiſdem LXX loquitur ac ſi illos horum quoque verſionis conditores credidiſſet, quià nimirùm diſcedere à receptâ opinione videri noluit, quam tamen minùs probabilem cenſebat.

Quæ ſit origo libelli ſub nomine Ariſteæ ſuppoſiti.

Sed, inquiet aliquis, ſi quæ habetur apud Ariſteam de LXX Interpretibus narratio inter fabulas recenſeri mereatur, quodnam eſt fabulæ iſtius fundamentum? Eam enim illius architectum ſine aliquâ ratione confinxiſſe vix credibile eſt, cùm nè Poëtarum fabulæ omni prorsùs veritate careant. Exiſtimavit Heinſius hanc de LXX Interpretibus fabellam deductam fuiſſe ex capite xxiv. Exodi, ubi legimus Moyſem, Aäronem & LXX Seniores aſcendiſſe ad Deum, & quià pro his verbis quæ habentur in Latino Interprete, *nec ſuper eos qui procùl receſſerant de filiis Iſraël miſit manum ſuam*, Helleniſtæ in Græcâ verſione legerunt, *& electorum Iſraël neque unus diſſenſit*; indè ſuſpicatur Heinſius numerum Interpretum, & quæ de illorum mirâ conſenſione narrantur, ſuam originem ducere. Sed quicquid ſit de illâ Heinſii conjecturâ, vix dubitari poſſe arbitror quin opus illud quod LXX Senioribus tribuitur à Judæis quibuſdam Alexandrinis potiùs quàm Hieroſolymitanis confectum fuiſſe; nonnullas ſiquidèm voces Ægyptias adhùc retinet, quales ſunt *Ábrec*, *Remphan*, & aliæ. Quià verò res erat magni momenti, illud Synedrii magni auctoritate ſuſceptum ac comprobatum fuiſſe veriſimile eſt, undè poſteà factum eſt ut tranſlatio illa nomen LXXII Seniorum, ſeu Synedrii magni Senatorum, tulerit: ſæpiùs enim qui vulgò putantur illius architecti זקנים ſenes, quaſi dixeris Senatores, appellantur. Quâ ratione locus Talmudis alioqui explicatu difficilis, in quo Græca tranſlatio opus duntaxàt quinque Seniorum appellatur, facili negotio cum vulgatâ de LXXII Interpretibus ſententiâ conciliabitur. Ex eâdem Synagogæ magnæ Aſſeſſorum auctoritate huic verſioni acceſſit authentia apud Judæos omnes, præſertim Helleniſtas, eodem modo quo in Eccleſiâ Occidentali Patres Synodi Tridentinæ conſtitutione ſuâ Latinum Interpretem fecère authenticum. Sicut enim inter Chriſtianos linguæ Græcæ imperitia effecit ut in alias linguas Græca illa verſio transferretur, ac diuturnus poſteà Eccleſiæ cujuſlibet uſus ſingulis verſionibus

Heinſ. in Ariſtarch. ſac.

Exod. 24. 11.

-sionibus auctoritatem addidit: ità & apud Judæos linguæ Hebrææ ignoratio in causâ fuit, cùr Judæi Alexandrini sacros codices Græcè in usum suum verterint, quæ deindè Bibliorum conversio in Synagogis & Scholis prælecta est, & quià, ut verisimile, est Synedrii Hierosolymitani, à quo tunc adhùc universa Judæorum natio dependebat, auctoritate comprobata fuit, illius nomine maximè commendata est.

Tamen crediderim necesse nòn esse ad Synedrii illius magni Senatores recurrere, quo numerus LXXII Interpretum, quibus illa translatio vulgò tribuitur, explicetur commodiùs: sed ratio duntaxàt habenda est formulæ loquendi Judæis admodùm familiaris, quâ res omnes quæ alicujus momenti esse ipsis videntur LXX illis Senatoribus tribuant, ut plus ejusmodi rebus accedat auctoritatis. Ità puncta vocalia, accentus & alia ejusmodi plurima viris Synagogæ, quam vocant magnam, adscribunt, nòn tàm ex rei veritate, quàm ex illâ loquendi formulâ: ità ut vix judicari possit quandonam seriò loquantur, & quandò allegoricè. Istud loquutionum genus viros complures eosdémque eruditos in varios errores perduxit, dùm in evolvendis Judæorum libris, potiùs quid loquantur Judæi, quàm quomodo & quibus de causis ità loquantur, considerant. Hìc in exemplum afferri possunt ea omnia quæ in Magistrorum libris de sacri contextûs apicibus, de *Keri* & *Cetib*, plenis ac deficientibus, superfluis, & aliis ejusdem naturæ sexcentis, pasim occurrunt. Hæc siquidèm omnia vel ad Mosem in monte Sinai, vel ad Synagogam illam, seu Senatum, cui præfuit Esdras, Judæi plerique tribuunt: quæ tamen nisi allegoricè, & על דרך הקבלה *per modum Cabbalæ*, ut ipsimet loquuntur, exponas, manifestò falsa sunt. Simili ratione si nòn tàm ad verba quàm ad scribendi formam, quæ gentis Judaicæ propria est, attendamus, LXXII Interpretum historia ex eodem fonte haùd improbabilitèr duci videbitur, sive illa reâpse Synedrii magni auctoritate comprobata fuerit, sive illo consentiente in Synagogis lecta publicè, ex longo posteà usu sibi fecerit auctoritatem, quæ sanè vero propiora esse videntur, quàm ea quæ habet Pseudo-Aristeas de Græcæ translationis comprobatione his verbis; *absolutâ autem interpretatione Demetrius illam Judæis omnibus congregatis in locum illum, ubi erat* Arist. de Septuag. Interp. sub fin.

Q *perfecta,*

perfecta, prælegit, præsentibus etiàm ipsis Interpretibus, qui etiàm, ut auctores magnorum bonorum, magnâ laude & approbatione accepti ab ipsâ Judæorum multitudine. Similitèr & Demetrium prosequuti sunt suâ laude, rogârúntque ut istam Legem descriptam suis etiàm Principibus dare vellet. Ut autèm perlecta sunt ista volumina Legis adstantes & sacerdotes & interpretes seniores gubernatorésque civitatis, & ipsi Principes multitudinis ità dixerunt, quoniàm rectè, sanctè & per omnia accuratè perfecta est ista interpretatio, par est ut per omnia sic ista permaneant, nec ulla fiat immutatio. Verùm si tùnc Alexandriæ viri erant linguæ Græcæ quàm Hebraicæ adeò periti, ut ex solâ Græcæ translationis lectione de ejus bonitate ejúsque perfectâ cum Hebræo contextu consensione judicare potuerint, cùr Rex eorum nòn usus operâ aliorum industriam solicitè requirit? Deindè quis credat Judæos Hellenistas in rebus Hebraicis mediocritèr versatos rectam de interpretatione sententiam ex solâ illius lectione ferre potuisse; cùm hodiernis temporibus vel ii qui sunt in utrâque linguâ exercitatissimi illud polliceri nòn ausint. Quare ea omnia quæ vulgò proferri solent ex Josephi, Philonis, aliorúmque libris, ut versionis illius sinceritas commendetur, magni facienda esse nòn duxerim, neque illa trahi posse in fontium Hebraicorum eversionem, quià nihil in istis Scriptoribus de Græcâ LXX Interpretum versione reperitur, nisi quod ex supposititio Aristeæ libello haustum ad ceteros promanavit.

De Græcâ translatione judicium.

Etsi autèm quæ circumfertur de LXX Interpretibus historiam sub Aristeæ nomine, tanquàm commentum à Judæis Hellenistis confictum rejiciam; nòn is tamèn sum qui illi translationi, quæ diù in Synagogâ & Ecclesiâ fidem obtinuit, detrahi velim. Novi enim quanti hæc interpretatio facta sit veteribus, postquàm ab Apostolis laudata, fidésque Christiana per universum orbem nòn alio instrumento propagata est. Eam pleræque adhùc retinent Ecclesiæ, neque etiàm ætate nostrâ aliam fortè retineret orbis Catholicus, nisi novam Hieronymus ex Hebræis fontibus translationem concinnâsset. Hæc quidèm aliáque ejusdem rationis plurima, quæ in hanc rem proferre nòn esset arduum, versionem hanc permagni esse momenti manifestò declarant, sed nòn indè sequitur, ut visum est Isaaco Vossio & aliis perpaucis, eam solam esse veram ac germanam

Scrip-

Scripturam, quæque Hebraicis codicibus præferri debeat. Usu quidèm communi apud veteres Ecclesiæ Patres receptum fuerat, ut nihil sanum in Scripturis haberetur, nisi quod LXX transtulissent, quià cum illorum translatione nata fuerat Ecclesia, cujus etiàm progressus huic soli debebatur. A tritâ illâ viâ nòn ausus est discedere Origenes, licèt maximam inter Græcos & Hebræos codices agnovisset discrepantiam, &, uti de seipso testatur, in omnibus Bibliorum editionibus & earum differentiis ingenii sui vires exercuisset. *Quid opus est*, inquit, *ut dicam de Exodo ubi quæ pertinent ad Tabernaculum & ejus atrium & arcam & quæ ad indumenta Pontificis & sacerdotum, valdè sunt mutata; adeò ut nè videatur quidem esse sensus similis. Vide ergò nè imprudentes & inscientes abrogemus exemplaria quæ habentur passim in Ecclesiis.* Ibi LXX Interpretibus se magìs addictum ostendit, nè videlicèt quid falsi & adulterini in Ecclesias inducere videatur, licèt aliundè constet eum inter eruditos pluris fecisse veritatem Hebraicam. Neque profectò aliud sentire de suis codicibus potuit ac debuit vetus Ecclesia, cui suspectæ erant Judæorum fraudes. Sed B. Hieronymi gravissimorúmque ætatis nostræ judicium Patrum sententiæ præferendum videtur. Illi quippe linguæ Græcæ, aut Latinæ, duntaxàt periti, de rebus sibi incognitis quidquam certi definire nòn poterant. At ætate nostrâ Judæos codices cum Græcis conferre liberámque de utrisque sententiam proferre possumus. Neque his obstat Apostolorum auctoritas, qui nòn ad Hebræa sed ad Græca exemplaria recurrerunt. Quid enim profuisset Apostolis per orbem universum Evangelii fundamenta jacientibus codices Hebraicos, Judæis paucissimis tùnc cognitos, in usum adhibere? contrà vero lingua Græca plerisque gentibus, Cicerone teste, erat vernacula. Apostoli igitùr, relictis codicibus Hebræis, nòn ideò Græcos sumpsêre, quòd hi illis meliores essent, sed per œconomiam tantùm & accommodatè ad illorum ingenium, qui Scripturarum scientiâ imbuendi erant. Nihil indè auctoritatis advenit Græcæ LXX Seniorum versioni, nisi extrinsecùs; nec illa tùnc ob hanc causam prodiit emendatior quòd ab Apostolis in novo Instrumento laudata fuerit, si jàm anteà erat depravata. Similitèr nihil de auctoritate contextûs Hebraici de-

Origen. in Epist. ad African.

Cicer. pro Arch. Poëtâ.

tractum est, quòd is Apostolis primísque Ecclesiæ Patribus minùs familiaris exstiterit; sed sicuti Patres Tridentini constitutione suâ, quâ vetus editio Latina authentica pronunciata fuit, Hebraicos Græcósque codices intactos reliquerant; ità & longævus Græcæ translationis usus in Ecclesiâ fidem & integritatem Hebraicorum exemplarium nòn minuit. Suos habuit nævos indè jàm à primis Ecclesiæ temporibus, quorum plures feliciter notavit Hieronymus. Hîc autèm de iis nòn loquor, quæ Hieronymus genio suo ac temperamento plus æquo indulgens, interdùm minùs benè castigat. Censuræ Hieronymi patronam se præbuit Ecclesia Romana, dùm relictâ LXX Interpretum versione, quæ per tot annos universum orbem Catholicum sola occupaverat, Hieronymianam recèns cusam ad Judæorum codices amplexata est.

Nec sanè levissimis rationibus Hieronymum ad novam ex fontibus Hebraicis conversionem adductum fuisse necesse est, quæ nòn immeritò posteà in Ecclesiæ usum cessit. Nam, ut ipse testatur, errores qui jàm plurimi ejus ætate Græca exemplaria occupabant soli in causâ nòn fuère, cùr id operis quod plerorumque hominum tùnc maledicta in ejus caput convertit, aggressus fuerit; verùm etiàm, ut erat utriusque linguæ callentissimus, Græcos Interpretes nòn rectè interdùm contextûs Hebræi verba exprimere deprehenderat, quos ob hanc causam sæpè notat in suis Commentariis. His autèm recensendis LXX Seniorum allucinationibus, nè molestus esse videar, supersedeo, quarum jàm plurimæ ab explanatoribus sacrorum voluminum annotatæ sunt: &, ut habeatur amplior earum series, Græca illorum versio, in locis præsertìm quæ habent aliquid obscuritatis, cum Hebraico contextu conferri debent. Nam in his potissimùm sensum germanæ lectionis nòn assequuti in varias & admodùm liberas expositiones abeunt. Laudo quidèm industriam simùl & eruditionem Isaäci Vossii, qui Græcam illam translationem, quam Divinam putat, in omnibus vindicare conatus est, sed longè meliùs de illâ interpretatione sensisse videtur Masius, vir acutissimi ingenii judiciíque acerrimi, quíque multotiès Hebræos, Græcos, Syrósque codices versavit, nullo partium studio abreptus. Quare quid de LXX Interpretibus sentiendum sit ex eo potiùs quàm ex Vossio discendum.

dum esse existimaverim. Hanc autem de illis tulit sententiam vir doctus; *præter Legem Mosis si reliquos libros spectes, usque adeò perversa est ea interpretatio, quæ LXXII tribuitur, ut verisimile videri nequeat, viros LXXII primarios, quales misisse Ptolemæo Pontificem est proditum, tàm ineptos fuisse, támque imperitos & ab interpretandi munere imparatos atque omninò absurdos, ut sic allucinarentur: neque enim in verbis solùm maximi errores, tanquàm ex paragrammate, nati apparent, dùm alia sæpè pro aliis interpretantur; verùm etiàm non raro in bene longis verborum circumscriptionibus.* Tuetur his verbis vir ille doctissimus D. Hieronymi sententiam, qui nòn eosdem esse Pentateuchi ac ceterorum Scripturæ sacræ librorum Interpretes, ex formâ & ratione translationum conficit. Post nonnulla idem Masius mentem suam de eodem argumento apertiùs explicans hæc subjungit, quæ observatu digna sunt. *Neque verò ego jàm quos dico errores de eâ Scripturâ judico, quæ nùnc est in Hebraicis codicibus, nè mihi aut novos Librariorum interductus, aut mendas, aut denique Judæorum interpunctiones atque vocalium accentuúmque, ut vocantur, appositiones, quas* בעלי המסורה *fecisse dicuntur, aut etiàm, quod quidam facere nòn dubitant, quibus ego sanè nondùm assentior, istorum sceleratam perfidiam opponas, quasi de industriâ ipsi mutârint multa in librorum Hebraicorum scripturâ. Ipsæ illæ quæ tractantur res, sæpè verborum atque orationum, quibus illi Interpretes usi dicuntur, absurdam discrepantiam satis planam faciunt. Imò ea nòn raro etiàm dilucidè vestigia apparent, quæ secuti illi in errores sunt delati.* Et mox rem totam hàc ratione definit; *verùm enimverò, utut ista sunt, quid ego sentiam siquis me roget, nòn dissimulabo mihi interpretationem istam, cùm eam lego, multis in locis ineptissimam, & tantis viris planè indignissimam, videri: & in nonnullis rursùs Divinam: & à vatibus, potiùs quàm Interpretibus, dictatam: & quià hisce difficultatibus nòn solùm in ceteris libris, quanquàm fatendum est multo plùres in iis esse errores atque etiàm turbulentiores confusioréſque, verùm etiàm in Mosis Pentateucho, ut vocamus, afficior, neque potest de nihilo esse nata quæ de Ptolemæo déque illis Interpretibus ab omnibus refertur Historia, propensiorem ad veritatis similitudinem esse, eorum existimare opinionem, qui dicunt nòn solùm Mosis Legem, sed reliquos etiàm Historicos & sacrorum vatum libros rogatu Ptolemæi ab Hebræis illis esse conversos.* Hactenùs Masius, cujus verba

Masius præfat. in Josu.

Hieron. præfat. in Trad. Hebr.

Id. Masius.

ba prolixiùs recensui, quià præsens argumentum nòn parùm illustrant. Primò itaque vir ille doctus, & in Judæorum, Chaldæorum, Syrorum, Græcorúmque libris diù multúmque volutatus, nòn ausus est Græcam translationem, si Pentateuchum excipias, LXX Senioribus tribuere, adeò fœdis erroribus ipsi videbatur referta,& quià plures mendas etiàm in Pentateucho animadvertit, communem de LXX Interpretibus sententiam, subdubitans tamen, amplexus est: neque viros illos quos ex præconceptâ opinione inter Judæorum ætatis illius primores agnoscit, ineptos, absurdos, atque imperitos veretur appellare, & ut ità loqueretur rei ipsius veritate, necnon auctoritate Hieronymi adductus fuisse videtur. Deindè veluti seipsum castigans, nonnulla in eâdem versione *Divina & à Prophetis potiùs quàm ab Interpretibus dictata*, agnoscit; & quod apprimè notatu dignum est, testatur se Græcorum codices nòn reprehendisse ex hodiernis Judæorum exemplaribus, quæ constat a primævâ formâ in aliquibus degenerâsse. Denique Theologorum vulgus irridet, qui de præsenti materiâ, quam ignorant, superciliosè judicant, invehúntque in Ecclesiam portenta opinionum, quæ posteà suis sibilis excipiunt Heterodoxi, qualia sunt ea quæ à nonnullis asseruntur de contextu Hebraico à Judæis deditâ operâ corrupto, de Græcis exemplaribus Hebraicæ veritati anteferendis, aliísque nòn paucis ejusdem naturæ, quæ ex eorum Scholâ, qui zelum quidèm habent sed nòn secundum scientiam, solent proficisci. Si adhùc ætate nostrâ superstes esset vir ille præstantissimus miraretur etiàm inter Heterodoxos reperiri, qui eadem omninò atque Theologi illi, quos perstringit, de Græcis Hebræísque codicibus sentiunt, præeunte ipsis Isaaco Vossio.

Masium in omnibus consentientem haberemus, si in construendâ Aristeæ Historiâ, quam nube testium confirmatam viderat, minùs se religiosum ostendisset, potiúsque rationes expendisset, quàm numerâsset decreta. Neque alitèr profectò de Græcâ versione judicabit, qui eam minutatìm expensam retulerit ad codices Hebræorum, & ità censent omnes qui in explanandâ Scripturâ suam industriam collocârunt. Si enim aliquandò ad majorem contextûs explicationem, Hebraicam Græcámque lectionem produxerint, interdùm quidèm ex

Græcâ Hebraicam nòn reformidant castigare, sed longè sæpiùs Græcæ Hebraicam præferunt. Ità, ut ceteros taceam, Augustinus Eugubinus in suâ veteris Testamenti ad Hebraicam veritatem recognitione, collatis inter se variis editionibus, Græcos Interpretes aliquandò imperitiæ palàm arguit. *Hæc*, inquit, nimirùm Græca translatio, *sive Græcarum literarum cognitionem absolutam nòn tenerent LXX illi Seniores, sive aliis exemplaribus uterentur, quàm nùnc aut Hieronymi tempestate haberentur, sive studio quodam deditâ operâ ità vellent transferre plurimum ab Hebraicâ veritate invenitur dissentire. Quædam etiàm apertissimam præ se ferunt Græci sermonis imperitiam, in aliis maxima linguæ Hebraicæ ignoratio deprehenditur.* In nonnullis tamen castigandus est ipse Augustinus Eugubinus, qui LXX Interpretes sempèr nòn est assequutus, sicuti cùm illos reprehendit quòd, capite xix Geneseos, pro voce *convivii*, *locum* reposuerint. Neque enim animadvertit malè in Græco exemplari Venetiis edito legi *τόπον* pro *πότον*, ut reverâ legitur in editione Romanâ. Similitèr ineptum se ostendit idem Eugubinus, cùm animadversionibus in caput xxv Geneseos Græcos Interpretes damnat, quòd verbum Hebræum *naphal* per Latinum *manere* expresserint, cùm per *cadere* verti debeat, statimque Latinum Interpretem, qui hoc loco *obiit* interpretatus est, acerrimè tuetur. Sed omnium optima est Græca LXX Seniorum versio; imò nec alitèr verba Hebræa debent transferri quàm ipsi transtulerunt, si ad sensum attendatur. Nam de morte Ismaëlis ibi nòn agitur, sed de illius mansione ac terrâ quam incoluit, ut ex his, quæ antecedunt manifestum est. Quare nòn in omnibus audiendus est Eugubinus, dùm Græcos Interpretes accusat, licèt plurimos eorum errores nòn malè notaverit.

Augustin. Eugub. Gen. 19. 3. Gen. 25. 18.

CAP.

CAP. XVI.

Iterùm ac speciàliùs expenditur Græca Septuaginta Interpretum versio.

Philo lib. 2. de Vitâ Mosis.

Græcam Septuaginta Seniorum interpretationem maximo cum gaudio priscis temporibus à Judæis omnibus exceptam fuisse probant verba illa Philonis, qui eos Prophetarum albo adscripsit; *singulis annis solennis celebritas agitur in Pharo insulâ, ad quam nòn Judæi solùm, sed & plurimi alii trajiciunt, locum veneraturi in quo primùm hæc translatio apparuit, & pro veteri beneficio semper se renovante, gratias acturi Deo. Post precationes autem & gratiarum actiones, alii tentoriis fixis in litore, alii in ipsâ arenâ sub dio discumbentes cum domesticis & amicis epulantur, túncque præferunt littus regiis palatiis.* Constat versionem hanc à plerisque Judæis in Synagogis ac Scholis lectam, & illius beneficio plures ad fidem Christianam conversos: sed ubi Judæis cum Christianis res esse cœpit, contigit occasione disputationum, quæ inter hos & illos de Scripturis exponendis fuêre, ut illi codicum Hebræorum longè magìs quàm anteà studiosi fuerint. Eversis siquidèm Hierosolymis, ac gente Judaicâ à Romanis deletâ, ferè tota concidit Synedrii magni auctoritas: sed nòn defuêre Magistri qui linguam Hebræam in Scholis præsertim excolerent. Tùnc igitur primùm, ex odio Christianæ Religionis, Septuaginta Seniorum interpretationi detraxêre ii præsertim qui degebant in Palæstinâ, quorum aliquid adhùc in reliquos Judæos erat auctoritas. Hujus rei fidem faciunt veterum Patrum testimonia, atque inprimis Justini Martyris, quæ plena sunt ejusmodi querelarum, quòd scilicèt Græca translatio passìm a Judæis respueretur. Quapropter illi nihil nòn moliti sunt ut eam interpretationem, quæ omnes Christianorum Ecclesias occupabat,

Quando Judæi cœperint Græcam translationem rejicere.

pabat, convellerent. Neque aliundè profectum fuisse arbitror, quòd illorum Magistri de jejunio indicto & tenebris super terram factis tribus diebus, eo quòd Lex Græcè translata fuerit, commenti sunt. Hàc enim fabulâ simpliciorum animos à legendâ LXX Interpretum versione avertere voluerunt; cùm ægrè ferrent illam in plerisque, Hellenistarum maximè, Synagogis legi. Ex eo potissimùm tempore Græca translatio à Judæis videtur neglecta, imò contemptui habita, &, nisi ab Ecclesiâ, ad quam à Synagogâ jàm transierat, benè exculta fuisset, de illâ actum fuisset penitùs. Verùm quià sermo Græcus quo versio illa scripta fuit nòn ità purus est, frequentioribúsque Hebraismis & Syriasmis, si ità loqui fas est, abundat, hinc factum puto ut illa in integritate suâ vix conservari potuerit, dùm quisque castigare veritus nòn est quod minùs intelligebat. De linguâ Hellenisticâ, quâ vulgò creditur conscripta illa translatio, in præsentiâ nòn disputo, mirórque viros eruditissimos de hoc argumento diù multúmque inter se concertâsse, utrùm scilicèt reverâ sit aliqua lingua Hellenistica quæ à Græcâ distinguatur. Lingua enim quæ vocatur Hellenistica nòn alia est quàm Græca quæ in ore Judæorum aliquid linguæ Hebraicæ & Syriacæ retinuit. Et id nòn solùm in linguâ Græcâ reperire est, sed & in aliis omnibus linguis, quas Judæi in Scripturæ sacræ conversione adhibuerunt. Ità versiones Arabicæ, Hispanicæ, Persicæ, vix ab Arabibus, ab Hispanis & à Persis intelligi possint nisi linguam Hebraicam calleant. Sermonem istum Judæorum meritò appellabimus Synagogæ sermonem, quià in Synagogis natus est & earum usui servit. Idémque planè est Græcus novi Testamenti sermo, quòd ex Græcâ LXX Interpretum versione sumptus fuerit. Græca itaque sunt verba omnia tàm veteris quàm novi Testamenti, si perpauca excipias; sed illorum significatus Judæi pro diverso conceptu modò extendunt modò restringunt, secundùm linguæ suæ proprietatem: ob quam rationem vetus Interpres Latinus, qui Græcam translationem in usum Ecclesiæ Latinæ indè jàm ab illius exordio Latino sermone donavit, sæpissimè allucinatur, dùm linguam LXX Seniorum minimè assequitur. Ità Geneseos capite xlix. ubi in

Sermo quo concepta est Græca translatio.

Gen. 49. 19.

in Græco legimus Γὰδ, πειρατήριον πειρατεύσει αὐτὸν, Interpres ille convertit, *tentatio tentabit eum.* At longè meliùs Hieronymus, qui ad fontes Hebræos recurrit, interpretatus est, *Gad, latrunculus latrocinabitur eum.* Multa ejusmodi in antiquâ illâ versione eruditè castigavit Hieronymus, sed longè plurima adhùc supersunt corrigenda, ad quæ nòn videtur attendisse.

Græca translatio mendis referta.

Græca illa translatio adeò corrupta erat Hieronymi temporibus, ut novam doctissimus ille Pater cudere maluerit ad fontes Hebræos, quàm veterem repurgare, quæ tàm in Græcis quàm in Latinis codicibus erat vitiosissima. Nòn desunt etiàm hodiè, qui nihil omninò priscæ illius editionis remanere existiment. Sed eam ad nos usque pervenisse, imperfectam tamen & mutilam, probant cùm Græcorum tùm Latinorum Patrum opera, in quibus partem maximam eodem planè modo reperitur atque in Græcis exemplaribus, quæ sub nomine LXX Interpretum habemus. De eâ quoque malè judicant qui nòn aliam linguæ Hebraicæ cognitionem habent quàm eam quam ex nuperis Grammaticorum præceptionibus ac Lexicis hauserunt. Ut enim in pluribus erràsse illos Interpretes cum B. Hieronymo lubens agnosco, ità & ab eodem Hieronymo & à recentioribus Interpretibus sæpissimè immeritò reprehendi nullus dubito. Quàm frequentèr in suis animadversionibus aberrârit Hieronymus egregiè ostendit Piersonius, Præfatione Parænetica quam præmisit editioni Græcæ LXX Interpretum, quæ prodiit Cantabrigiæ in minori formâ anno MDCLXV. Addam & alia in eamdem rem exempla, quibus constabit recentiores etiàm Interpretes malè in multis Græcam illam versionem castigâsse. Versus iv. Psalmi cix. à Græcis Interpretibus ità redditur, Σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ· *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec*: eósque sequutus est Hieronymus in Latinâ Psalterii ex Græcis fontibus conversione. At plerique recentiorum hanc sententiam à veteribus minùs benè redditam fuisse putant; inter quos Hugo Grotius hæc annotavit, *noster textus habet, secundùm meam constitutionem ô Rex mi juste*; quâ in re à Grotio & aliis gravitèr peccatum est, qui levissimâ de causâ ab auctore Epistolæ ad Hebræos dissentire audeant. Existimârunt Græcos Interpretes

De auctoribus Græcæ translationis judicium.

Grot. Comm. in Psalm. 109.

tes.

tes nòn legisse in suis exemplaribus *divrathi* cum *Iod*, ut in hodiernis, sed simplicitèr *divrath* absque *Iod*. Sed nòn erat cùr ad lectionum diversitatem recurrerent, cùm etiàm beneficio Paragoges Grammaticorum, quam in aliis locis tenentur agnoscere, Græca interpretatio defendi poterat. Sed valere jussâ istâ Grammaticorum Paragoge, dicendum est literam *Iod*, quæ claudit vocabulum illud, exprimere vocalem *e* antiquam, seu hodiernum *Scheva*, quod in fine dictionis cujuslibet necessariò pronunciatur, utì nunc etiàm sub ultimis Imperativorum *fac*, *dic*, & similium apud Latinos littera *e* inter pronunciandum auditur, quam Ennius, Plautus, aliique vetusti Scriptores, expresserunt.

Iterùm Septuaginta Interpretes libri ii Reg. cap. ix. ubi, secundùm lectionem hodiernam codicis Hebræi, habent recentiores, *quis mecum?* Septuaginta Interpretes verterunt τίς εἶ σύ; *quis es tu?* propter eamdem causam, quià scilicèt *Iod* finale, quod est in Hebræo, minimè curârunt, & pro *itthi* hodierno legerunt quasi esset *atth*. Illud autem quod in præsentiâ de literâ *Iod* annotamus, debet similitèr observari de literis *Aleph* & *Vau*, quæ olim erant loco vocalium, quæque pro Scribarum arbitrio modò in exemplaribus exhibentur & modò ab illis absunt. Ità, ut innumera exempla taceam, literam *Aleph* in dictione *lacen*, Geneseos cap. iv. legerunt Græci Interpretes, quasi esset *locen*, id est, *non sic*: recentiores autèm, quià legunt *lacen* absque *Aleph* vertunt, *quapropter*. Simili ratione Geneseos cap. xxx. Septuaginta legerunt *ba Gad*, per duas dictiones cum *Aleph*, secùs codex Masorethicus, in quo est *bagad*, unâ dictione & absque *Aleph*. Libri i. Samuelis capite xv. in codice Hebræo nùnc legimus *jareu* absque *Aleph*, LXX verò haùd dubiè legerunt cum *Aleph*, & interpretati sunt ἐνήδρευσεν, *insidiatus est*, quam translationem suâ quoque expositione confirmant RR. David Kimchi & Aben Melech. Ad hæc & ad alia ejusdem naturæ plurima quià animum nòn advertunt recentiores Interpretes, totiès in jus vocant LXX Seniores, quotiès cum nuperâ codicis Hebræi lectione nòn consentiunt. Nec in hoc etiàm interdùm excusandus videtur B. Hieronymus qui eos quoque damnat haùd infrequentèr, quandò

Gen. 4. 15.
Gen. 30. 11.
1 Sam. 15. 5.

dò cum lectione Magistrorum suorum nòn concordant. His omnibus accedit hodiè nimis curtam esse cognitionis linguæ Hebraicæ supellectilem, nec posse ex eâ solum de Græcâ interpretatione ferri judicium. Sed ut hæc omnia magis pateſant, Psalmum xxii. juxta Græcos Interpretes & recentiores, qui hodiernis codicibus Hebræis addicti sunt, examinabimus.

Psalmi qui apud Hebræos numeratur xxii. ea est Inscriptio in editione Græcâ εἰς τὸ τέλος ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως, &c. pro quibus hæc habentur in Hebræo למנצח על אילת & eodem quoque modo legisse Hieronymum constat ex illius versione. Jàm licet suspicari LXX Interpretes nòn habuisse in suis exemplaribus אילת sed עזרת adeóque mirum nòn est si vocem Hebraicam quam reddidit Hieronymus *cervum*, ipsi verterint ἀντίληψιν, *auxilium*, & infrà v. xx. eamdem vocem similitèr exposuerint, nimirum, εἰς τὴν ἀντίληψίν μου, *in auxilium meum.* Jàm si commodioris sensûs habeatur ratio, haud dubiè LXX Interpretum versio Hieronymianæ aliísque recentioribus prævalebit, adeóque istæ obscuræ sunt & à vero sensu alienæ. Tamen ut illæ immutentur auctor nòn fuerim, quià codicem Hebræum exprimunt qui à Masorethis reformatus fuit, & Psalmorum Inscriptiones plerasque explicatu difficillimas esse & Magistris ipsis incognitas nemo nescit. Deindè initio Psalmi pro Hebraicis אלי אלי in Græcis paulò fusiùs exstat ὁ θεὸς ὁ θεός μου πρόσχες μοι· quæ lectio vetus est, jámque ab Eusebio observatum est πρόσχες μοι nòn legi in Hebræo codice. Sed duæ earundem dictionum versiones in unum conjectæ fuerant. Quod verò pronomen μου bis nòn legatur in Græco sicut in Hebræo, id nullius est momenti, potuítque proficisci à Græco Amanuensi, cui inutilis visa est illa repetitio. Mox pro Hebraico שאגתי videntur LXX legisse per metathesim שגאתי vel שגגתי seu potiùs literæ *Aleph*, ut & alibi passim, nullatenùs soliciti, vocem שאגתי verterunt παραπτώματα, quasi *Aleph* hoc loco adventitia fuerit, quomodò vocem מלאכים & *Angelos* & *Reges* interpretari possis, nòn habitâ ratione literæ *Aleph*, sicuti de interpretatione dictionis מלכת Hieremiæ

Hierem. 7. 8. vii. inter se nòn consentiunt etiàm Judæi, alii enim contendunt literam *Aleph* ibi deficere, & vertendum esse quasi legere-

tur

tur מלאכת *opus*; alii verò putant *Aleph* nòn deficere & interpretantur cum Hieronymo *Regina.*

Verſu iii. ejuſdem Pſalmi longè meliùs ac dilucidiùs dictio Hebraica דומיה vertitur *ſilentium* ab Hieronymo & recentioribus interpretibus quàm à LXX *ἄνοια, inſipientia:* hæc enim interpretatio vix ſenſum patitur. Verſu ix. optimè & juxta ſenſum גל Græcè redditur *ἤλπισεν, ſperavit,* quaſi dixeris, ſe *totum retulit.* Alia ſimilitèr quæ ſequuntur apprimè quadrant cum textu Hebræo. Verùm longè meliùs ac dilucidiùs verſu xvii. Græci Interpretes legerunt כרו *ὤρυξαν, foderunt,* quàm ut hodierna præferunt exemplaria כארי & in verſione quæ falsò nomen Vatabli præfert redditur, *ſicut leo.* Verſu xxv. pro ממנו legerunt מִמֶּנִּי *à me.* Verſu xxvii. עֲנָוִים verterunt *πτωχοὶ, pauperes,* quaſi ſcriptum fuerit עֲנִיִּים. Sed hæc literarum *Vau* & *Jod* frequentiſſima eſt in Scripturâ commutatio. Quam ob cauſam verſu xxx. pro נפשו *anima ejus,* ut in Hebræo codice nùnc legitur, ipſi verterunt *ἡ ψυχή μου, anima mea,* quaſi in ſuis codicibus legerint נפשי. De pari lectione Pſalmo xxiv. v. iv. inter Magiſtros maxima eſt contentio, dùm alii legunt נפשו alii verò נַפְשִׁי utì reverâ legendum eſſe Maſora parva indicat. Sed illius diverſitatis Maſora magna nullatenùs meminit: & idcircò ad oram codicis in Veneto & Baſileenſi exemplaribus hæc verba Hebraicè relata ſunt, *mirum eſt hanc vocem recenſitam nòn fuiſſe in Maſorâ magnâ inter dictiones illas quæ ſcribuntur per Vau in fine & leguntur per Jod*; quaſi verò omnes lectionum diſcrepantias annotaverint Judæi Tiberienſes. R R. Aben Eſra, R. Solomon Iſaaki, Joſeph Hajon, David Kimchi, Obadias Siphorno, & alii nòn pauci, qui lectionem quæ eſt ad marginem contextui præferunt, legerunt נפשי at Græci Interpretes & Hieronymus נפשו. Codices MSS. quatuor melioris notæ conſului, quorum tres repræſentabant נפשי unus verò נפשו abſque ullâ Maſoræ parvæ notatione. Quamnam lectionem in tantâ codicum Interpretúmque diverſitate ſequemur?

Prætereà eodem verſu dictio quæ vocem נפשי conſequitur, in oppoſitas plane tranſlationes variis in locis Interpretes perduxit: fecit enim ut quod ab his aſſeritur, ab illis negetur.

Puta

Putà una dictiuncula *lo*, quià legi potest לא *nòn* & לו *ei*, sæpè fit ut in eâ reddendâ nòn conveniant inter se Interpretes, sicut in præsenti loco LXX Seniores legerunt לו *αὐτῷ*, *ei*, utì etiàm Aquila, sed Hieronymus in suis codicibus habuit לא ut in hodiernis exprimitur. Pervetusta est illa scribendi varietas & Hieronymo haùd incognita, de quà hæc habet ad hæc Isaiæ verba,
Isai. 49.] *& Israël nòn congregabitur*; pro quibus exstat in LXX versione, *ut congregarem Jacob ad eum*; *satísque miror*, inquit, *quomodo Vulgata editio* (Latinam intelligit, quæ ex Græca LXX Seniorum desumpta fuerat, & tunc pro Vulgatâ habebatur) *fortissimum contra Judæorum perfidiam testimonium aliâ interpretatione subvertetit — cùm Theodotio & Symmachus nostræ interpretationi congruant. De Aquilâ autèm nòn miror quòd homo eruditissimus linguæ Hebraicæ, & verbum de verbo exprimens in hoc loco aut simulàrit imperitiam, aut Pharisæorum perversâ expositione deceptus sit, qui interpretari voluit*, & Israel ei congregabitur, *hoc est*, Deo, *cùm verbum Hebraicum* lo *in hoc loco nòn scribatur per* ל *&* ו *quod si esset, significaret* ei, *vel* illi; *sed per* ל & *Aleph quod propriè* nòn *sonat.* Quantum mutationis afferat hæc scribendi varietas, cùm res ipsa, tùm Hieronymi verba apertè demonstrant : qui tamen LXX Interpretibus infensiorem se ostendit, dùm nimis codicum suorum lectionem urget : quandoquidem ipsemet Commentariorum in eumdem Prophetam capite lxiii. miram esse hâc in parte exemplarium Hebraicorum diversitatem agnovit, nòn hanc potiùs quàm illam lectionem asserens. *Quod Hebraicè*, inquit, *dicitur*, בכל צרתם לא צר *est adverbium negantis, & pro* לא non *legi* לו ei *potest.* Mox eodem versu pro Hebraico זרע *semen* habetur in Græco LXX *σπέρμά μου*, *semen meum*, quod Pronomen vel ab Interpretibus, vel à Librariis, facilè addi potuit. Conjicio tamen primitùs in contextu exstitisse, sed quià duo *Jodin* se invicem consequebantur hoc modo זרעי יעבדנו unum *Jod* excidit. Demùm LXX Interpretes hæc verba לדור יבאו quæ in hodiernis codicibus Hebræis ità distinguuntur ut לדור comma claudat, & יבאו alterum incipiat, in unam sententiam conciliarunt hâc ratione, *γενεὰ ἡ ἐρχομένη*, *generatio ventura* : nimirùm, subintelligitur Pronomen *ascher*, *quæ*. Distinctionum autèm hodiernarum legibus teneri

neri nòn poterant Græci Interpretes, quià nondùm inventæ. Tunc enim universus Scripturæ sacræ contextus erat velut אחד פסוק *unus versus*.

Jàm ex his facili negotio colligi potest quid LXX Interpretes ad diversam à recentioribus translationem adduxerit: quippe parùm certa est contextûs Hebraici lectio. Quare nòn video quomodò ad ista exempla & alia innumera, quibus supersedeo, respondere possint ætatis nostræ Interpretes, qui volunt nos in omnibus stare Masoretharum decretis; cùm illorum codex aliquandò deficiat & in quibusdam sit mutilus. Ità quis neget in hodierno codice Hebræo integrum desiderari versum xiii. Psalmi cxlv? Cùm enim Psalmi hujusce versus ordine Alphabetico omnes disponantur, nulla subest ratio cùr ille, qui per literam *Nun* debuit notari, solus desideretur. At illum repræsentant LXX Interpretes hoc modo, *πιστὸς κύριος ἐν τοῖς λόγοις αὐτοῦ καὶ ὅσιος ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτοῦ*, & in Latino Interprete, *fidelis Dominus in omnibus verbis suis & sanctus in operibus suis.* Cavendum tamen est nè quotiès plura exhibent Græci Interpretes quàm contextus Hebræus, totiès hîc mutilus censeatur. Nam illi Paraphrastarum potiùs quàm Interpretum aliquandò munus obeunt, &, quod inprimis animadversione dignum est, translatio illa nòn integra ad nos usque pervenit, sed admodùm confusa & permixta. Ità hæc duo verba Hebraica אלי אלי quæ optimè juxta codicis Hebræi lectionem vertit Hieronymus, *Deus meus, Deus meus,* Psalm. 21.
LXX transtulêre: *θεός μου, ὁ θεός μου πρόσχες μοι, Deus meus, Deus meus, respice in me.* Scilicèt Hebraicum אלי verti potest *Deus meus* si legatur *eli*, & *ad me*, si legatur *elai.* Contigit verò versionem posteà utramque probatam fuisse à viris qui Græca cum Hebraicis conferre nòn potuerunt & in unam coäluisse, quià sensus hâc ratione videbatur completior. Nec dubito quin antiquitùs voces illæ *πρόσχες μοι* à germanâ LXX Seniorum editione abfuerint, vel saltèm *θεὸς* semèl tantùm appositum fuit. Simili ferè ratione initio capitis iii. Prophetæ Habacuc, liquet duas simùl translationes congestas in eâdem translatione repræsentari, ità enim habetur in codice Hebræo,

bræo, בקרב שנים חייהו בקרב שנים תודיע quæ hâc ratione ab Hieronymo Latinè versa sunt, *In medio annorum vivifica illud, in medio annorum notum facies*, & rectè Hebraica exprimunt. Græca autèm LXX hoc modo concèpta habentur, *ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ, ἐν τῷ ἐγγίζειν τὰ ἔτη ἐπιγνωσθήσῃ, ἐν τῷ παρεῖναι τὸν καιρὸν ἀναδειχθήσῃ·* quæ ità redduntur; *in medio duorum animalium cognosceris, cùm appropinquaverint anni cognosceris, cùm advenerit tempus demonstraberis.* Bis tantùm legitur in contextu בקרב שנים at Græca translatio hæc verba ter exprimit, verbum quoque Hebræum תודיע quod semèl tantùm reperitur in eodem contextu, ter etiam in Græcâ versione redditur. Taceo maximam quæ hîc interest Græcos inter & Hieronymum alióſque ætatis nostræ Interpretes differentiam, quorum versio hoc loco Græcæ anteponenda est, ut & sæpè fit quotiès in Hebræo aliquid est obscuritatis. Quare etsi plurimi faciendam esse Græcorum Interpretum versionem & in nonnullis etiàm Hieronymianæ & recentioribus quibuslibet præferendam esse existimem, nòn possum tamen nòn improbare Isaaci Vossii sententiam, qui putavit LXX Seniores in locis Scripturæ obscurioribus longè meliùs illius sensum expressisse quàm Hieronymum alióſque ætatis nostræ Interpretes.

CAP.

CAP. XVI.

Examinatur Isaaci Vossii de Septuaginta Interpretibus sententia. B. Hieronymi vindiciæ.

IN rebus Criticis nòn tàm quid ab aliis dictum fuerit, quàm quid perspectis omnibus dicendum sit, animum debemus advertere, de hoc potissimùm soliciti, ut nòn modò quid quisque loquatur, sed etiàm quid quisque sentiat, & quâ etiàm de causâ quisque sentiat exactiùs inquiramus: plerique enim dùm ex aliorum auctoritate mentem suam confirmant, Scriptores sæpiùs ex singulis vocibus, quàm ex sententiæ perpetuitate & constantiâ spectant. Ità quàm fœdè in hâc parte erraverit Isaacus Vossius, dùm Justini Martyris aliorúmque Patrum testimonia in opus suum de LXX Interpretibus transtulit, suprà ostendimus, simúlque illum tàm in Judæos quàm in illorum codices plùs æquo injuriosum esse demonstratum est. Nimirùm, ut optimè aliàs à B. Hilario annotatum, *Immoderata est omnis susceptarum voluntatum pertinacia, & inde flexo motu adversandi studium persistit ubi nòn rationi voluntas subjicitur, nec studium doctrinæ impenditur, sed iis quæ volumus rationem conquirimus, & iis quæ studemus doctrinam comparamus.* Similibus ferè rationibus adductus fuisse videtur doctissimus Vossius ut Hebræos Judæorum codices elevaret & Græca LXX Seniorum exemplaria assereret. Contendit igitùr hos Interpretes Spiritu sancto afflatos fuisse, quâ in re sibi consentientes habet Patres omnes priscæ ætatis, si unum exceperis Hieronymum, quem tàm de Judæis Bibliorum corruptoribus quàm de Prophetiâ & afflatu LXX Seniorum sibi contrarium sentit. Beatus quidèm Hieronymus omnium ferè ætatis suæ Doctorum maledicta in se convertit, quòd viam communem & longo Eccle-

Hilar. lib. 10. de Trin.

Isaac. Vossii de Septuaginta Interpretibus sententia.

ſiarum uſu approbatam deſerens, ad Judæorum caſtra videretur ſe recipere, parúmque abſuit quin ab Eccleſiâ tanquàm novator ejiceretur: imò & ætate noſtrâ illius verſionem damnat Voſſius, eámque appellat Rabbinicam: ſed doctiſſimus ille Pater reprehenſoribus iſtis occurrens, qui damnare poſſunt, docere nòn poſſunt, artem Criticam exercuit, & iis à quibus reclamatum eſt, ſuis libris abunde ſatisfecit. Nec mirum profectò ſi in nonnullis attentior & copioſâ linguarum ſupellectili inſtructior Hieronymus à veteribus recedere nòn dubitaverit: manifeſtos quippe errores æquitas minimè defendit. Novi quidèm in rebus fidei aliquid divini præ ſe ferre Doctorum Eccleſiæ conſenſum; at ille cordatus nòn eſt nec religioſus, qui in iis rebus quæ nòn ſunt fidei à Patrum ſententiâ diſcedere reformidat, mavúltque aliorum ſcriptis quàm oculis ſuis & experientiæ credere. De ſeipſo longè aliud olim ſentiebat Auguſtinus, qui optat ut alii de ſuis operibus judicent. *Neminem*, inquit, *velim ſic amplecti omnia mea ut me ſequatur, niſi in iis in quibus me nòn errare perſpexerit.*

August. lib. de dono perſev. cap. 21.

Nòn eſt igitùr cùr Voſſio hâc in parte aſſentiamur, qui contrà B. Hieronymum LXX Interpretes velit divino numine afflatos fuiſſe, & ab omni prorſus errore, etiàm leviſſimo, liberos. Imò quaſi eum puduerit Interpretes illos Prophetarum nomine donâſſe, ſeipſum poſteà veluti caſtigans affirmat Prophetam vetuſtis Scriptoribus idem eſſe quod Interpres, illóſque Prophetas eſſe teſte Apoſtolo, qui Scripturas rectè interpretati ſunt. Sed cùr latebras hîc quærit Voſſius & ad profanam, ut ità loquar, eruditionem recurrit, ut demonſtret in eo errare Hieronymum cùm ſcribit aliud eſſe Prophetam, aliud Interpretem; quaſi ipſe contradixerit Apoſtolo, qui pluribus in locis προφητεύειν ſumpſit pro interpretari? Verùm hîc nòn errat Hieronymus, qui vocis illius proprietatem optimè noverat, quandoquidèm animadvertit Poëtam Græcum à Paulo Prophetam vocatum fuiſſe. Sed in Reſponſione ſuâ ad objectiones Nuperæ Criticæ ſacræ cuneos captans Voſſius ubique tergiverſatur. Ità quid illi cauſæ fuit, ut nòn modò Apoſtolorum & Evangeliſtarum, ſed & Philonis, Feſti, Platonis & aliorum proferret teſtimonia, ut evincat eos nòn tantùm qui futura prædicerent dictos fuiſſe Prophetas, ſed & qui præterita

Hieron. comment. in Ezech.

Voſſ. Reſp. ad Obj. Crit. pag. 6.

terita & præsentia explicarent. Quandoquidèm eâ de re inter illum & Scriptorem Criticæ sacræ nihil erat controversiæ. Dùm negavit Hieronymus LXX Seniores Prophetas esse, eosdémque Interpretes duntaxàt fuisse asseverat, Prophetam eo loco idem esse arbitratus est atque hominem spiritu sancto afflatum, quo nimirum sensu Patres omnes Græcos illos Interpretes appellaverant Prophetas, nec aliâ ratione nomen illud Prophetæ usurpavit ipse Vossius, qui tàm confidentèr illorum θεοπνευστίαν, sive afflatum, divinum asseruerit. *Non sum nescius*, inquit, *multorum me incursurum, nòn reprehensionem tantùm, sed & odium, quòd tàm magnificè de hàc versione sentiam, & adeò quidem ut vix dubitem eam divinitùs inspiratam appellare: sed quænam rogo possit excogitari ratio quamobrem nòn id ipsum credam quod jam ab Apostolorum temporibus omnes credidère Christiani, exceptis duntaxàt paucis nimio plus faventibus sequiorum temporum Judæis?* Inter hos haùd dubiè B. Hieronymum collocabit. Deindè probat fusiùs eorumdem Interpretum θεοπνευστίαν, argumenta eorum infringens qui dicunt hos nòn potuisse afflari spiritu sancto aut Prophetico, quià Judæi testantur tempore Templi secundi defuisse donum spiritûs sancti & Prophetiæ. *Illud*, inquit, *omninò est Rabbinicum & nugatorium.* Sed nòn minùs nugatoria sunt quæ ille affert adversùs Hieronymum his verbis; *cùm itaque tàm latè Prophetarum & Prophetiæ, etiàm apud Hebræos, patuerit appellatio, nòn admittendi sunt illi qui LXX Interpretes Prophetas fuisse negant, utpotè præcipuos populi Judaici sacerdotes, & nòn præteritarum tantùm sed & futurarum rerum interpretes.* Quasi verò illud in quæstionem venisset utrùm LXX Senibus Prophetarum nomen competeret, quatenùs nomen illud *Propheta* idem sonat atque Interpres; cùm ipse tàm multis probare conatus fuerit eos Prophetas fuisse, qui à spiritu sancto ac Prophetico afflati fuère: imò existimat injurios illos esse Hieronymo qui testimoniis ejus abutuntur ad evertendam LXX Interpretum auctoritatem, cùm ille ætate provectior eorum errores nòn ipsis Interpretibus, qui afflatu spiritûs sancti sacros libros verterunt, sed Librariis imputandos censuerit. Verùm suprà fusiùs ostensum est, quæ fuerit de præsenti negotio B. Hieronymi sententia, quæ Vossio latuit. Jàm enim provectæ erat ætatis, cùm Prophetarum libros

Voss. de Septuag. Interp. cap. 25.

Ibid. cap. 26.

In Resp. ad Critic. sacr.

bros Commentariis suis illustravit. At quàm sæpè in illis nòn modò Librarios, sed ipsos Interpretes castiget, nemo nescit.

Auctores Græcæ versionis.

Etsi supposititium esse foetum, quæ sub nomine Aristeæ circumfertur, Historiam jàm anteà dixerim; lubens tamèn agnosco hanc quæ LXX Senibus tribuitur interpretationem sub Ptolemæo Philadelpho conditam fuisse à Judæis Alexandrinis, & ex Hebræo codice Chaldaicis, sivè Babylonicis, literis exarato, quià nòn alias adhibuêre literas in describendis suis exemplaribus Judæi, post suum è Babylone reditum, quàm Assyriacas. Sed versio altera Græca, quam ex eodem codice Hebræo Samariticis literis satis negligentèr descripto factam putat Vossius ab homine neque Hebraicè forsàn, neque Græcè docto, merum est figmentum ex Pseudo-Aristobulo desumptum; qui tamèn de Samariticis literis, quibus hunc exaratum fuisse contendit Vossius, nè verbum quidèm protulit, & de illis præter Vossium nemo cogitavit; adeò illud ab omni veri specie alienum videtur. Errant quidèm, ut benè à Vossio animadversum fuit, qui putant Græcam versionem ex aliquâ Paraphrasi Chaldaicâ aut Syriacâ derivatam fuisse, cùm nulla tùnc esset ejusmodi, & constet Philonem linguam Hebraicam & Chaldaicam pro eâdem ubique accipere. Suspicari tamèn licet, Græcos illos Interpretes sermonem Chaldaicum, qui Judæis plerisque, post reditum è Babylone, vernaculus fuerat, respexisse. Nulla quidèm erat tùnc temporis Chaldaica aut Syriaca Paraphrasis, tamèn longè ante illa tempora Magistri, tàm in Scholis, quàm in Synagogis, contextum Biblicum Chaldaicè nòn minùs quàm Hebraicè legebant, undè forsàn contigit ut plures in Græcâ translatione voces ad genium linguæ Chaldaicæ aut Syriacæ conversæ sint, quàm secundùm linguæ Hebraicæ proprietatem. Commentum quoque aliud finxit idem Vossius, qui asserit usque ad tempora Aquilæ nullam aliam lectam fuisse in Synagogis Judæorum Scripturam præter illam LXX Interpretum, quià perierat intellectus linguæ Hebrææ, quam nè ipsi quidèm callerent Judæorum Rabbini: LXX verò Interpretes, ut auctor est idem Vossius, vixerunt florente & superstite etiamnùm Hebrææ linguâ. Verùm lingua Hebræa nòn magìs florebat tempore LXX Interpretum, siqui fuerint illius nominis, quàm tempore Aquilæ; quippe

Voss. de Sibyll. Orac.

Vossii errores.

illa post deportatos Babylonem Judæos penitùs abolita est, & post illorum indè reditum ipsis nòn fuit ampliùs domestica & familiaris. Remansit apud solos Magistros, qui eam publicè in Synagogis, seu Scholis, docuerint, si verum est usque ad Aquilæ tempora nòn aliam in omnibus Judæorum Synagogis lectam fuisse Scripturam quàm Græcam LXX Seniorum interpretationem, quâ ratione fieri potuit, ut Flavius Josephus Legem Moysis in Synagogâ Hebraicè interpretatus sit, ut affirmat Vossius, qui similitèr asserit eumdem Josephum, omnium sui sæculi Hebræorum longè eruditissimum, Historiam belli Judaici antequàm Græcè scriberet, linguâ Hebræâ edidisse? tamen si credamus Vossio, lingua Hebræa penitùs deperdita fuerat: si res ità sit, cùr hanc appellat linguam patriam Josephi? *Conveniet nulli qui secum diffidet ipse.* Manifestum est etiàm ex ejusdem Josephi libris Judæos Palæstinæ regionúmque vicinarum tùnc temporis linguam Hebræam excoluisse, quam usu,ut nostrâ etiàm ætate, discerent absque ullis præceptionibus, Grammaticis quæ nòn à sexcentis tantùm, ut contendit Vossius, sed à nongentis & ampliùs annis inventæ sunt. Quo sensu idem Josephus ait, etiàm referente Vossio, excelluisse se in disciplinis patriis præ ceteris Hebræis: Græcam verò linguam nòn nisi per Grammaticam didicisse. Patrias vocat disciplinas studium linguæ Hebrææ ac Legis Mosaicæ, quam Judæi Hierosolymitani in Synagogis Hebraicè legebant. Si tamèn audiamus Vossium, qui sæpiùs à seipso dissentit, Christus & Apostoli in Judæâ Græcè loquebantur; *ubicunque*, inquit, *jàm ab Alexandri Magni temporibus, Græci fuêre domini, ibi etiàm Græca prævaluit lingua, & absurdum est unam excipere Judæam:* & paulo post; *ut in Ægypto, Asiâ & reliquâ Syriâ, ità quoque in Judæâ nulla præter Græcam audiebatur lingua, in urbibus præsertim oppidisque.* Imò præter linguam Græcam in Ægypto audiebatur lingua Coptica, in Syriâ Syriaca, & in Judæâ Judaica, seu Chaldæo-Syriaca. Ex libro Evangeliorum discere potuit Vossius, sermonem Judæorum qui Hierosolyma incolebant, quæ inter urbes & oppida reponi debet, Chaldæum, sive Syriacum fuisse, nec Christum Judæos urbis ullius Græcè sed Syriacè alloquutum fuisse. Hanc etiàm posteà Judæi, qui regionem istam incoluère, licèt corruptam, retinuerunt, uti probari potest

Voss. ad Cast. Horn. cap. 2.

Voss. de Sibyll. Oracul.

test exemplo Talmudis, qui vulgò ab ipsis Hierosolymitanus appellatur, & lingua quâ conceptus est liber ille vocatur quoque Hierosolymitana. Judæis etiàm Babyloniensibus tùnc temporis, ut & longè anteà, domesticus fuit sermo Chaldaicus, qui suum pariter Talmudem habent eâdem linguâ conscriptum. Plerique etiàm vetustiores libri Judæorum, exceptis paucissimis, nòn alio sermone conscripti sunt quàm Chaldæo impuro. Sed nòn est cùr refellendis Vossii assertionibus, quæ nihil omninò probabilitatis præ se ferunt, diutiùs immoremur, qualia sunt quæ affirmat de libris Deuterosέon, seu Traditionum Judaicarum, quas omnes ante Justiniani tempora sermone duntaxàt Græco concinnatas fuisse contendit, & de libro Misnâ qui è Græco in Hebræum sermonem circa illud tempus conversus fuerit: quià cautum fuerat edicto Justiniani, nè Judæi Deuteroses, seu librum Traditionum, in Synagogis legerent. *Illi*, inquit Vossius, *ut edictum eluderent scriptum hoc in Hebræum converterunt sermonem*. Risum teneatis amici!

Voss. de Sibyll. Orac.

Etiam in Synagogis Hellenistarum legebatur contextus Hebræus.

Justin. Novell. vel Constit. 146.

Verùm si ad Justiniani edictum animum advertisset vir doctus, facilè deprehendisset nòn modò Hierosolymis, sed etiàm in eorum Synagogis, qui vulgò Hellenistæ appellantur, contextum Hebræum lectum fuisse. Id enim apertè significant verba illa Constitutionis Justiniani; *Didicimus quosdam solam habentes vocem Hebræam etiàm ipsâ uti velle in sacrorum librorum lectione, alii verò Græcam quoque editionem assumendam esse arbitrantur, & jamdudùm hâc de re inter se disputant. Nos igitùr his auditis meliores judicavimus eos esse qui Græcam quoque versionem ad librorum sacrorum lectionem volunt assumere, & quamcunque linguam simpliciter quam locus commodiorem & aptiorem audientibus facit.* Duplicis generis Judæos supponit illa Justiniani Constitutio, quorum alii linguæ Hebrææ penitùs addicti Scripturam sacram in Synagogis sermone duntaxàt Hebræo legerent; alii verò, quià Græcas literas callebant, lectioni Hebraicæ Græcam adjunxêre. Justiniani autèm edicto permittitur ut nòn solùm Græcè, sed in aliâ quâlibet linguâ codex sacer legeretur. Judæi igitùr omnes Hellenistæ, ut decreto Mosis obtemperarent, nòn alio unquàm sermone quàm Hebræo Legis contextum in Synagogis suis legerunt, cui deindè lectioni alia mox succedebat sermone vernaculo. Neque his obstant

priscorum

priſcorum Judæorum Patrúmque teſtimonia ex quibus manifeſtò liquet Judæos Alexandrinos & alios omnes quibus lingua Græca fuit vernacula, Græcam LXX Interpretum verſionem in Synagogis ſuis legiſſe. Similitèr conſtat etiàm Hieroſolymis quaſdam exſtitiſſe Synagogas in quibus Lex Moſis & Prophetæ Græco ſermone legerentur. Sed hæc & alia ejuſdem rationis benè multa quæ hûc congeri poſſent, probant tantùm lectioni contextûs Hebraici additam fuiſſe explicationis causâ Græcæ interpretationis lectionem, ſicùt & in noſtrâ etiàm ætate Judæi ex antiquo more ſingulis Sabbatis legunt aliquid Scripturæ ſacræ Hebraicè & Chaldaicè, quià ſcilicèt antiquitùs erant in Synagogis & Lectores & Interpretes, quod etiàm Interpretis ſeu Prophetæ munus à Synagogâ ad primos Chriſtianorum cœtus tranſiiſſe clarè demonſtrant verba Apoſtoli in Epiſtolâ primâ ad Corinthios. Hinc forsàn ortum eſt ut Græca illa LXX interpretatio quibuſdam in locis minùs accuratè verba contextûs Hebraici exprimant, quià ſcilicèt illius concinnatores Paraphraſtarum potiùs quàm Interpretum, locis præſertìm obſcurioribus, munus obierunt. Sed ea omnia, quæ pro tuendâ LXX Senum tranſlatione & elevandis Judæorum exemplaribus contra omnem probabilitatis ſpeciem fuſiùs retulit Voſſius, in præſentiâ refellere nec tempus eſt mihi nec animus: longè ſatius erit Hieronymi verſionem cum Græcâ locis aliquot conferre, ut indè pateſiat quàm verè dixerit Voſſius Hieronymum nuſquàm rectè ab antiquis receſſiſſe Interpretibus, eúmque primum fuiſſe Chriſtianorum qui Rabbinicam condiderit verſionem, quíque alios àd idem audendum ſignifer præceſſerit. Longè aliud de verſione Hieronymi, quæ nunc in Eccleſiâ Occidentali legitur, judicium tulit Auguſtinus Eugubinus his verbis; *Hanc ſi cum editione LXX contuleris auſim hac uti ſimilitudine ut lucem ac tenebras à te collatas aſſeram. Id quod nos toto hoc opere oſtendemus. Inveniemus certè hanc adeò fuiſſe Eccleſiis neceſſariam, ut, niſi hanc operam Divinus Hieronymus nobis præſtitiſſet, verſari adhùc nos in multis erroribus certè neceſſe fuerit.*

Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 4

Voſſ. Reſp. ad Critic.

Auguſt. Eugub. Præfat. in lib. de Vulg. Edit.

Sumam itaque exempla collationis iſtius ex libris Prophetarum, quos ex Hebræo vertit Hieronymus, ac Commentariis ſuis illuſtravit & utraque adhùc extat, cùm vetus tùm recens,

Confertur Græca verſio cum Latinâ Hieronymi.

cens, illorum translatio in ejusdem operibus. In omnibus autem Hieronymum vindicare etiàm à levissimis erroribus, sicuti LXX Interpretes vindicare enixè contendit Vossius, mihi nullatenùs propositum est : quippe nòn pauca Hieronymo quantumlibet erudito exciderunt, dùm Judæis ætatis suæ nimiùm addictus Græcos Interpretes severiùs interdùm castigat. Sed doctissimum illum Patrem totiès allucinatum fuisse quotiès illos deserit, ut existimat Vossius, pernego. Capite secundo Commentariorum in Isaiam ad hæc verba, *quiescite ab homine cujus spiritus in naribus ejus, quià excelsus reputatus est ipse*, miratur LXX Interpretes tàm perspicuam, ut ipsi videtur, de Christo Prophetiam in Græcum noluisse vertere, damnátque Judæos, qui verbum, quod in Hebræo est ambiguum, in deteriorem partem interpretati sint. Judæorum autèm nomine ibi Aquilam notat aliósque Interpretes qui diversam à LXX Seniorum versione translationem de industriâ condiderant, ad quas Judæi, relictis vetustis interpretibus, recurrebant. Jàm utrùm hæc omissio Librariis an ipsis LXX Senibus tribui debeat nùnc nòn inquiro, quam constat à Græcis exemplaribus ante Origenis tempora abfuisse, cùm verba illa sub asteriscis de editione Aquilæ addita fuerint : nec dispùto similitèr de bonitate versionis Hieronymi, utrùm præferenda sit Aquilæ translationi, quæ cùm hodiernis Judæorum codicibus hìc consentit ; verùm indè conficio versionem Hieronymi malè à Vossio Rabbinicam vocari, quasi jàm senex Hieronymus solis Judæis in condendâ suâ contextûs Biblici interpretatione crediderit. Ejusdem Prophetæ capite v. ubi juxta vocum Hebraicarum proprietatem vertit Hieronymus, *& pascentur agni juxta ordinem suum*, LXX Interpretes arguit, quòd nescio quid volentes, utì loquitur, transtulerint, *pascentur direpti quasi tauri*, pro *agnis tauros* intelligentes, & pro *advenis* interpretantes *agnos*. Hebraica tamen hoc loco implicata nòn sunt & sensus apertus. Reprehendit etiàm Græcos Interpretes Hieronymus, quòd pro his verbis, *quis ibit nobis*, ut habent omnes Interpretes, quià in Hebræo legitur *lanu*, ipsi posuerint, *quis ibit ad populum istum*, quod penitùs, inquit, in Hebræo nòn habetur. Sed forsàn pro *lanu* legerunt *laam*, vel eadem verba quæ mòx sequuntur, majoris explicationis causâ, hìc addita sunt. Quià Pronomen *nobis* nihil ibi, ut & alibi passìm, significat. Verùm

Isai. 2. v. 22.

Isai. 5. 17.

Isai. 6. 8.

Verùm longè magis animadversione digna sunt quæ refert idem Hieronymus ad hæc verba quæ juxta codicis sui Hebræi lectionem transtulerat, *excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava:* cùm longè benignior videatur Græca interpretatio in quâ legitur, *incrassatum est cor populi hujus.* Sed nôrunt linguæ Hebrææ periti hanc diversitatem ex variâ punctorum vocalium notatione ortam fuisse: sequuti sunt LXX ætatis suæ lectionem quæ diversa erat ab eâ quæ Hieronymi ætate obtinebat, & hæc eadem in exemplari Masorethico repræsentatur. Utraque lectio traditione confirmatur; sed Græca videtur in eo Hieronymianæ præferenda quòd illam sequutus fuerit Apostolus in Actibus Apostolorum: ad hæc tamen respondet Hieronymus, lectionem hanc tribuendam potiùs esse Evangelistæ Lucæ quàm Apostolo. *Evangelistam Lucam,* inquit, *tradunt veteres Ecclesiæ tractatores medicinæ artis fuisse scientissimum, & magis Græcas literas scisse quàm Hebræas. Unde & sermo ejus, tàm in Evangelio quàm in Actibus Apostolorum, comptior est & sæcularem redolet eloquentiam, magísque testimoniis Græcis utitur quàm Hebræis.* Itaque in eâ videtur fuisse sententiâ Hieronymus ut crediderit B. Paulum cum Hebræis disputantem nòn juxta LXX loquutum fuisse, sed juxta Hebraicum; Lucam verò Evangelistam, qui Græcas literas apprimè callebat legebátque Græcos codices, Græcis testimoniis usum fuisse. Similia ferè his affert Hieronymus Quæstionibus Hebraicis in Genesim, ubi expendens diversitatem quæ Græca inter & Hebræa exemplaria intererat in recensendis filiis Jacobi qui cum ipso Ægyptum ingressi sunt, quærénsque ibidèm cùr LXX potiùs versioni Stephanus in Actibus Apostolorum adhæserit quàm Hebræo contextui, ità loquitur; *nòn debuit Sanctus Lucas, qui ipsius Historiæ scriptor est, in Gentes Actuum Apostolorum volumen emittens, contrarium aliquid scribere adversus eam Scripturam quæ jàm fuerat Gentibus divulgata.* Et mox; *hoc autèm generaliter observandum, quòd ubicunque Sancti Apostoli aut Apostolici viri loquuntur ad Populos his plerumque testimoniis abutuntur, quæ jàm fuerant in Gentibus divulgata.* Nimirùm nòn ideò Apostoli versionem Græcam in suis libris adhibuêre, quòd auctores illius Divino, seu Prophetico, spiritu afflati fuerint, vel quòd nòn alia Scriptura in Judæorum Synagogis legeretur quàm Græca illa,

Hieron. Comment. in cap. 6. Isai.

Hieron. Quæst. Hebr. in Gen.

Cùr Græcâ versione usi fuerint Apostoli.

illa, ut perperàm existimavit Vossius, sed quià vulgò erat recepta, &, ut auctor est B. Hieronymus, *dum loquuti sunt ad Populos Apostoli iis usi sunt testimoniis quæ jàm fuerant in Gentibus divulgata*; secùs verò dùm homines gentis suæ, qui callebant linguam Hebraicam, alloquuti sunt. Sed *mentitum fuisse Lucam necesse est*, inquit Vossius, *si alios Stephanus in concione suâ, quàm ille posuit, sensus expresserit*: quasi verò illum mentiri necesse sit qui eadam diverso tantùm sermone referat paucis, quæ nullius erant momenti, immutatis. Neque mentis Scriptoris Criticæ Sacræ assequutus fuisse videtur vir doctus, cùm de eo ità loquitur quasi crediderit Stephanum nòn Græco aut plebeio Syriaco, sed Hebraico sermone ultimam suam concionem absolvisse. *An plebs*, inquit Vossius, *tempore Apostolorum gnara veteris linguæ Hebrææ? An mentitus Evangelista? Quid demùm integrum in Evangeliis supererit si istiusmodi admittamus commenta?* Sed potiùs monstra sibi fingit quæ posteà debellet. Syriacè concionatus est Stephanus, quià sermo Syriacus tùnc Judæis Hierosolymitanis erat vernaculus, at quæ profert veteris Testamenti testimonia ea nòn alio sermone proferre potuit quàm Hebraico, quià Judæi Hierosolymitani Legem Mosis Hebraicè in Synagogis suis legebant, nòn verò Græcè; & siqua subjungebatur interpretatio, illa Syriaco paritèr sermone qui plebeius erat, ut hìc liberè fatetur Vossius, nòn verò Græco, quo in Hellenistarum duntaxàt Synagogis ac Scholis utebantur.

Voss. Resp. ad Critic. Sacr.

Syriacè nòn vero Græcè concionatus est B. Stephanus.

In hoc tamen corrigendum esse Hieronymum nòn diffiteor, quòd dicat Matthæum & Johannem de Hebraico veteris Testamenti testimonia sumpsisse, oblitus regulæ illius quam Traditionibus Hebràicis in Genesim produxerat, nimirùm, Apostolos & viros Apostolicos nòn aliam ob causam Græcis exemplaribus usos fuisse, quàm quià jam hæc in Gentibus divulgata fuerant: Hebraica verò in Synagogis duntaxàt Judæorum asservabantur, & inter hos paucissimi reperiebantur, qui ea intelligerent: contrà autem lingua Græca tùnc plerisque Gentibus erat vernacula. Observandum autem est Apostolos, etsi Græcis codicibus adhæserint, nòn ita tamen ab iis dependisse, quin haud infrequentèr ad sensum potiùs quàm ad verba attenderint. Quare Hieronymus explicans hunc locum Michææ Prophetæ, *& tu Bethlehem Ephratha*, ista annotat; *sunt qui asserant*

Hieron. Comment. in cap. 6. Isai.

Castigatur B. Hieronymus.

Mich. 5 v. 2.

rant in omnibus penè testimoniis quæ de veteri Testamento sumuntur istiusmodi esse errorem, ut aut ordo mutetur, aut verba, & interdùm quoque sensus ipse diversus sit, vel Apostolis vel Evangelistis nòn ex libro carpentibus testimonia, sed memoriæ credentibus, quæ nonnunquàm fallitur. Hæc quidèm paulò duriora videntur, nec ea protuli ut iis fidem adhibeat Vossius. Intereà vix fidem suam abnuere poterit Joànni Calvino, qui eumdem Michææ locum illustrans, hæc animadvertit; *quid opus est torquere Prophetæ verba, cùm Evangelistæ propositum nòn fuerit referre quod apud Prophetam legitur, sed notare locum duntaxàt.* Similitèr idem Hieronymus nòn ex aliorum sed ex suâ loquutus sententiâ de hisce omnibus testimoniis, quæ ex veteri Testamento in novum translata sunt, hæc in genere observat. *In multis testimoniis quæ Evangelistæ vel Apostoli de libris veteribus assumpserunt, curiosiùs attendendum est, nòn eos verborum ordinem sequutos esse, sed sensum.* Sed nùnc ad id quod est nostri instituti revertamur.

Calvin. Comment. in cap. 5. Mich.

Hieron. Comment. in cap. 7. Isai.

Prima verba capitis noni ejusdem Prophetæ vix intelligi possunt in Græcâ versione, cùm omnia aperta sint in translatione Hieronymi: utramque duabus columnis distinctam hàc ratione produxit Hieronymus; *primo tempore alleviata est terra Zabulon & terra Naphthalim, &c.* En Hieronymiana translatio! Græca verò ità habet; *hoc primùm bibe, velocitèr fac regio Zabulon & terra Naphthalim.* Aliundè assumptam fuisse crediderim dictionem *bibe*, quæ mutat sensum. Paulo post eodem capite notat Hieronymus LXX Interpretes, quòd pro verbis istis; *vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis,* illi majestate nominum perterriti de puero nòn ausi sint dicere, quòd Deus sit appellandus, sed pro his sex nominibus posuerint quod in Hebraico nòn habetur. Iterùm manifesti erroris Græcos Interpretes arguit Hieronymus, quòd ad lectionem suorum codicum minùs attenti, pro *verbum* transtulerint *mortem*, dicendo, *mortem misit Dominus in Jacob*, cùm dicendum esset, *verbum misit*, &c. ut Hieronymus interpretatus est, qui statim addidit erroris illius originem his verbis; *apud Hebræos* דבר *quod per tres literas scribitur consonantes pro locorum qualitate, si legatur* dabar, *verbum significat, si,* deber, *mortem & pestilentiam.* Nòn longè ab initio capitis x. ejusdem Prophetæ ad hæc verba, *væ Assur*, eosdem Inter-

Isai. 9.

Isai. 10. v. 5.

pretes accusat Hieronymus quòd Hebraica minùs accuratè expresserint. Iterùm sub finem ejusdem capitis ad verba ista, *veniet in Aiath, &c.* quantum illi ab Hebræo discrepent fusè ostendit, simúlque eos falsitatis arguit quòd verterint; *Rama civitatem Saul, quod perspicuè falsum est,* inquit, *civitas enim Saul appellatur Gabaa, ut in Hebraico continetur.* Præterea Hieronymus longè diversa sentit de linguâ LXX Interpretum quam Vossius, qui existimat in eâ nihil esse nisi Græcum, frustráque eam appellari linguam natam in Synagogâ. Ità enim loquitur libro sexto Commentariorum; *pro advenâ, id est,* προσηλύτῳ, *LXX* γηώραν *interpretati sunt qui Hebraicè* ger *dicitur—ergò* georas *nòn est Græcum verbum sed Hebraicum Græcâ consuetudine declinatum; licet quidam, Hebræi sermonis ignarus, Græcam in eo Etymologiam exprimere conetur, ab eo quod terrenæ rei curam habeat,* γῆ *enim, inquit, terra appellatur &* ὤρα, φροντὶς, *id est, solicitudo.* Quantum à germano Scripturæ sensu deflexerint Græci Interpretes, capite xxiv. ejusdem Prophetæ, ubi in Latinâ editione legimus, *erubescet luna & confundetur sol,* rectè animadvertit Hieronymus his verbis; *pro eo quod nos interpretati sumus, & erubescet luna & confundetur sol, LXX transtulerunt, liquefieri laterem & cadere murum:* & mox erroris causam detegit, quià scilicèt pro Hebraico *levana,* quod *lunam* significat, legerunt *lebena;* & pro *hamma,* id est, *calore,* quo *Sol* denotatur, legerunt etiàm *homa,* quod *murum* significat. Sed frustrà his diutiùs detineor, quippe ab omnibus legi possunt Hieronymi Commentaria in Isaiam, ubi passim Græcos Interpretes erroris arguit, quòd ambiguitate vocum, vel aliâ ratione, decepti fuerint: aliquandò tamen illis parcit, sicuti capite xxx. postquàm eorum in interpretando inconstantiam damnavit, mox velutì seipsum castigans, hæc subjicit; *datur mihi suspicio nòn eos erràsse à principio, sed paulatìm Scriptorum vitio depravatos.* Et capite xl. ubi nonnulla à Græcis Interpretibus omissa annotavit, statìm addit quasi subdubitans, *vel à LXX prætermissum vel paulatìm Scriptoris vitio prætermissum.* Similitèr communem Græcorum exemplarium editionem ad Hebræos codices interdùm castigat, nè error in Interpretes rejiciatur, quomodo ad hæc verba capitis xlv. *hæc dicit Dominus Christo meo Cyro,* rectè animadvertit, nòn solùm Latinorum, sed & Græcorum plurimos vehementèr errare existimantium scriptum esse, *sic dicit Dominus*

Ibid. v. 18.

Isai. cap. 14. v. 1.

De linguâ LXX Interpretum Vossio contrarius est Hieronymus.

Isai. 24. v. 23.

Hieron. Comment. in cap. 30. Isai.

Isai. 40.

Isai. 45.

minus Christo meo Domino: Neque enim, inquit, *κυρίῳ, quod Dominum sonat, sed Κῦρος, dicitur, qui Hebraice appellatur* כורש.

Eadem videre est in Hieronymi Commentariis in Hieremiam, Ezechielem & alios Prophetas. Ità ferè ubique Commentario in Hieremiam notat quæ à LXX Interpretibus prætermissa sunt, aut saltèm nòn ampliùs in Græcis illorum exemplaribus apparent. Modò enim ipsos Interpretes, modò Librarios accusat. Commentario paritèr in Ezechielem, ubi Græcorum codicum omissionem animadvertit, statim hæc adjicit; *melius est in Divinis libris transferre quod dictum est, licet nòn intelligas quare dictum sit, quàm auferre quod nescias.* Capite tamen v. ejusdem Prophetæ vix audet Græcos Interpretes accusare, ubi ait; *multo melius fuerit transferre quod scriptum est, quàm rei male translatæ patrocinium quærere. Nec hoc dicimus ab illis factum quibus vetustas auctoritatem dedit; sed per multa sæcula Scriptorum atque Lectorum vitio depravatum, quanquam & Aristeas & Josephus & omnis Schola Judæorum quinque libros tantùm Moysis à LXX translatos asserant.* Neque hoc solùm loco Hieronymus, sed & aliis in locis, negare videtur cum priscis Judæis aliud quidpiam Scripturæ sacræ à LXX Senibus translatum fuisse præter quinque libros Moysis, sicuti ad caput. v. Michææ, ubi hæc habet; *interpretatio LXX (si tamen est LXX, Josephus enim scribit & Hebræi tradunt quinque tantùm libros Legis Moysi ab eis translatos & Ptolemæo Regi contraditos) tantum discordat in præsenti loco ab Hebraicâ veritate, ut nec capita possimus ex æquo ponere, nec eorum simul sententias explicare.* Verùm longè aliud sentit Vossius, qui nòn solùm rei malè translatæ ubique patrocinium quærit, ut verbis Hieronymi utar, sed palàm testatur se nòn dubitare Propheticos libros à LXX Interpretibus Græcè fuisse redditos, licèt olìm dubitaverit. Et quod fidem omnem superare videtur, si Vossio credamus, Græci Interpretes in libris obscurioribus, puta, Jobi ac Proverbiorum, magis accuratos se ostendunt. Sed neminem fore arbitror linguæ utriusque peritum, qui hâc in parte illi assentiàtur, adeò inepta est multis in locis istorum librorum Græca illa translatio. Nòn is tamen sum qui ab Hieronymo ità dependere velim ut etiàm illius errores, qui plurimi sanè sunt, approbem. Sic, nè longiùs abeam, capite xxvii Commentariorum in Ezechielem LXX arguit quod *pro filii Dedan, filios Rhodiorum* interpretati sint, decepti fortè primæ literæ similitudine, ut

Hieron. Comment. in Ezech. cap. 1. cap. 5.

Hieron. Comment. in cap. 5. Mich. v. 9.

Voss. Resp. ad Critic.

Vossii errores.

Græcos Interpretes aliquando malè castigat Hieronymus.

pro

pro *Dadan* legerent *Radan*: sed errorem hunc in Scribas potiùs quàm in Interpretes rejiciendum esse demonstrant ea quæ paulo post eodem capite sequuntur, ubi in LXX nòn secùs ac in Hieronymi translatione legitur *Dedan*, sive *Dadan*. Iterùm in caput xxxiii. ejusdem Prophetæ, ubi de *Gog* fit mentio, observat Græcos Interpretes libri Numerorum capite xxiv. pro *Agag* quod legitur in Hebræo, reposuisse *Gog*: Sed manifestus est Librarii error. Sed ut innumera ejusmodi taceam, longè meliùs idèm Hieronymus capite xl. eorumdem Commentariorum hæc observat; *omnia prope verba Hebraica & nomina quæ in Græcâ & Latinâ translatione sunt posita, nimiâ vetustate corrupta Scriptorùmque vitio depravata, & dùm de inemendatis scribuntur in emendatiora, de verbis Hebraicis facta esse Sarmatica, imò nullius gentis dùm & Hebræa esse desierint & aliena esse nòn cœperint.* Apprimè igitùr distinguenda sunt & secundum Criticæ regulas illa omnia quæ, ut minùs benè à LXX Senibus translata, arguit Hieronymus: ut enim plurimos eorum errores rectè annotavit, ità & in iisdem castigat nòn pauca quæ minimè castiganda erant. Nec mirum, cùm ipsemet Hieronymus testetur se Explanationes suas vix implere potuisse, quià nulla hora erat, nullum momentum in quo nòn fratrum occurreret turbis, séque jàm senem præter dictandi difficultatem Hebræorum volumina ob literarum parvitatem haùd relegere potuisse. Similitèr observat se nonnulla celeritate dictandi, dùm parùm attendit, nòn benè vertisse. Itaque nec Hieronymus, nec LXX Senes Prophetæ fuerunt, sed Interpretes, quibus multa, quià homines erant, excidisse necesse est.

Hieron. Comment. in cap. 40. Ezech.

Hieron. præf. in lib. 7. Comm. in Ezech.

Id. Comment. in cap. 42.

CAP.

CAP. XVIII.

De reliquis Græcis translationibus Scripturæ sacræ, & de Hexaplis Origenis. Isaaci Vossii de Hexaplorum dispositione sententia refellitur.

NEmo de Religione Christianâ benè sentiens ante tempora Hieronymi novam Scripturæ sacræ versionem ad fontes Hebræos cudere ausus fuerat: quandoquidem Græca illa LXX Seniorum translatio tanquàm Divina & à viris Prophetico spiritu afflatis profecta in universo orbe Christiano suspiciebatur. Quare satius fuisset ceteras versiones Græcas inter Judaicas recensere quàm inter Christianas, quippe quæ ex odio Christianæ Religionis & ab hominibus Judæis, vel potiùs Semi-Judæis, conditæ fuerint. Verùm cùm illas omnes Hexaplis suis, unà cum Græcâ LXX Interpretum versione inseruerit Origenes, easque prisci Ecclesiæ Patres in exponendis Scripturis consuluerint, ac nihil frequentiùs in B. Hieronymi libris occurrat quàm illorum auctorum nomina, visum est nobis eas post recensitam LXX Seniorum interpretationem etiàm recensere. Primus igitùr prodibit Aquila, cujus versionem Græcam ad Imperatoris Adriani tempora referemus. Hic, relictâ Christianorum Religione, quam anteà professus fuerat, ad Judæorum partes transfugit, simùlque novam contextûs Biblici versionem quam Græcæ, quæ tunc temporis sola in universâ Ecclesiâ obtinebat, opponeret, aggressus fuit: & quià LXX Seniores plerisque in locis Paraphrastas potiùs quàm Interpretes deprehenderat, novam ipse suscepit quæ verba Hebræa κατ' πόδα redderet, & undè posteà contentiosi Interpretis nomen obtinuit, praváque illius affectatio, quam κακοζηλίαν appellabant, damnata est. Etsi diversa pro-

Græca Aquilæ translatio.

pro suâ consuetudine Hieronymus de illo sensisse videatur. Hunc siquidem interdùm laudat ut eruditum & diligentem Interpretem: sic scribens Damaso, de eo ità loquitur; *Aquila qui non contentiosus, ut quidam putant, sed studiosus verbum interpretatur ad verbum.* Ipse tamen alibi eum vocat contentiosum & ineptum Interpretem, habitâ scilicèt rerum locorúmque ratione, de uno eodémque Interprete diversè judicat, illúmque notat ut Semi-Christianum eumdémque Judæum ac Blasphemum appellat. Simili ratione Epiphanius, qui de Aquilâ, tanquàm de homine qui sæpiùs σολοικίζει & barbarè loquitur, detrahit, illius versionem adversus Arianos, relictâ LXX Interpretatione in auxilium vocat. Quanti eum fecerint Judæi, docet Origenes his verbis; *sic*, inquit, *Aquila Hebraicæ dictioni serviens reddidit, qui apud Judæos creditus est Scripturam majori cum laude esse interpretatus quo maximè solent uti qui sermonem ignorant Hebræum ut qui maximè sit eum assequutus.* Vix tamen excusari potest Interpretis illius κακοζηλία, sive prava affectatio, qui, dùm presiùs contextûs sui verbis adhæret, nequit intelligi: quare nec ipse suâ translatione contentus alteram molitus est, in quâ eamdem ferè interpretandi methodum sequutus, fecit ut istæ versiones nòn alios ferè haberent approbatores quàm Judæos; neque enim ad eas ob aliam causam recurrisse videntur B. Justinus & alii Patres quàm ut eosdem Judæos inter disputandum fortiùs premerent.

Hieron. Epist. 125. ad Damas.

Origen in Epist. ad Afric.

Græca Symmachi versio.

Qui primus post Aquilam sacros codices ex Hebræo sermone in Græcum transtulerit nòn satis constat: illam enim versionem alii Symmacho, alii Theodotioni tribuunt. Symmachus primùm sectâ Samaritanus ad Christianos deindè Nazaræos, sive Ebionitas, transiit. Versionem suam ex odio gentis suæ Samaritanæ, à cujus Religione deseruerat, fecisse imperante Severo vulgò creditur. Hic quià Aquilæ interpretationem ut ineptam à plerisque, maximè à Christianis, contemni noverat, quòd verbum interpretetur ad verbum, sensui magìs reddendo quàm verbis, ut testatur Hieronymus, se applicuit: *Symmachus*, inquit, *nòn solet verborum κακοζηλίαν, sed intelligentiæ ordinem sequi.* Alteram deindè translationem, quasi prior illa minùs accurata fuisset, referente eodem Hieronymo, aggressus est.

Tertium

Græca Theodotionis interpretatio.

Tertium inter Græcos sacri contextûs Interpretes locum obtinebit Theodotio, quem tamèn plerique ante Symmachum vixisse, sub Imperatore Commodo, arbitrantur. Ille Marcionitarum partes primò amplexatus, ad Ebionitas posteà transfugit. Et in condendâ suâ versione, spretâ planè Aquilæ methodo, ad LXX Interpretes omnium maximè accessit. Quapropter Origenes ex illâ sumpsit quæ huic deesse videbantur. Imò testatur Hieronymus ætate suâ lectum fuisse in Ecclesiâ Danielis vaticinium secundùm Theodotionis illius editionem. Hunc sensum potiùs quàm verba contextûs sui respexisse multis probare nòn esset arduum. Ità capite iv. Geneseos, ubi in LXX legimus ἐπεῖδεν & in vulgatâ *respexit*, quæ interpretatio perfectè cum Hebræorum codicibus convenit, habet Theodotionis versio *ἐνεπύρισεν*, *inflammavit*; quâ in re consentit cum Rabbinis quibusdam qui putant Cainum indè percepisse, sacrificium suum Deo nòn fuisse acceptum, quod victimam suam igne absumptam nòn vidisset.

Aliæ translationes Græcæ.

De Quartâ & Quintâ Bibliorum versionibus ex Hebræo in Græcum, quas similitèr Hexaplis suis adjecit Origenes, nihil certi affirmari potest, cùm quinam fuerint illarum conditores penitùs ignoretur. Eas tamèn à Christianis Scriptoribus factas fuisse verisimile nòn est, quià nòn aliam longo etiàm tempore post Hieronymum Scripturæ sacræ translationem agnovit Ecclesia quàm illam quæ in toto orbe Catholico sub nomine LXX Interpretum legebatur, &, ut auctor est Olympiodorus, (Olympiodorus initio Caten. in Job.) supervacaneæ erant fabulantium Hebræorum pravæ interpretationes post LXX versionem, & alii Interpretes laudati sunt tantùm perspicuitatis causâ: & ante inventas hasce versiones B. Irenæus loquutus de LXX interpretatione hæc subjicit; (Iren. lib. 3. adv. Hæret. cap. 25.) *verè impudorati & audaces ostenduntur qui nùnc volunt alitèr interpretationes facere.* Imò Hieronymus versionum istarum auctores æquè Judaicos translatores appellat atque Aquilam, Symmachum & Theodotionem. Notandum autèm est duas hasce versiones, quas appellavimus Quartam & Quintam, in Hexaplis Origenis exstitisse sub nominibus Quintæ & Sextæ: quià his etiàm adcensebatur Græca LXX Senum interpretatio; sed nos eas solùm hìc commemoramus quæ post versionem LXX ex Hebræis fontibus desumptæ sunt. De omnibus hisce translationibus

& de cujuslibet Interpretis ingenio multa possent adjici; sed hæc facilè peti poterunt ex illorum fragmentis quæ supersunt, quæque alias edi curavit doctissimus Drusius. Consulendus est similitèr Scholiastes cujus annotationes editæ fuerant cùm Romæ tùm Parisiis unà cum Græco exemplari LXX Interpretum secundùm codicem Vaticanum: sed legenda sunt inprimis B. Hieronymi Commentaria in Scripturam sacram, ubi nihil frequentiùs occurrit quàm nomina Aquilæ, Symmachi, & aliorum Interpretum Græcorum quos modò castigat, modò illustrat.

His versionibus alias nonnulli adjungunt, easque tribuunt Luciano, Hesychio, Origeni & Apollinario; sed isti, si Apollinarium excipias, Græca tantùm LXX Seniorum exmplaria ad vetustos codices recognoverunt, novæ translationis minimè auctores. Quo sensu explicanda sunt verba illa Hieronymi testis

Hieron. lib. 1. Apol. adv. Ruffin.

in hâc materia locupletissimi; *Alexandria & Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem; Constantinoplis usque ad Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat; media inter has provinciæ Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus vulgaverunt, totúsque orbis hâc inter se trifariâ veritate compugnat.* Apollinarius verò ex omnibus editionibus unam concinnavit, sed infelici successu, eadémque tàm à Judæis quàm à Christianis improbata. Quare Hieronymus de illo hoc tulit judicium; *prætermitto Apollinarium qui bono quidem studio, sed non secundùm scientiam, de omnium translationibus in unum vestimentum pannos assuere conatus est, & consequentiam Scripturæ non ex regulâ veritatis, sed ex suo judicio texere.* Sed hæc omnia longè magis patefient in exponendâ Hexaplorum Origenis dispositione, quam perpaucis probè cognitam fuisse ex iis quæ mox proferentur manifestum erit.

Id. Hieron. ibid.

Duplicem LXX versionis editionem sæpissimè distinguit B. Hieronymus, præsertìm in Epistolâ quam scripsit Suniæ & Fretelæ, quas admonet aliam esse editionem LXX Interpretum, quam omnes Græciæ Tractatores *communem*, Græcè *κοινὴν*, appellabant; & aliam quæ in Hexaplis Origenis reperiebatur, quámque testatur à se in Latinum sermonem fidelitèr versam. Addit Hieronymus inter hanc & illam id esse discriminis, quòd *κοινὴ* illa, seu Vulgata, pro locis & temporibus

Hieron. Epist. ad Sun. & Fret.

bus & pro voluntate Scriptorum veterum corrupta fuisset, illa verò quæ habebatur in Hexaplis, ipsa esset quæ in eruditorum libris incorrupta & immaculata LXX Interpretum translatio reservabatur. Quæ tamen nòn ità intelligenda sunt, quasi Græca illa editio quam repræsentabant exemplaria Origenis purus putus fuisset LXX Interpretum codex ab omni prorsùs errore immunis, cùm ex ipso Origene discamus illum vulgatos codices, qui jàm suâ ætate corruptissimi erant, quâ potuit industriâ correxisse. Jàm quis ausit affirmare illum ab his mendas omnes sustulisse? Imò fieri potest ut ille sub correctionis obtentu, corruptiones in antiqua exemplaria intruserit; nòn secùs ac censor ille qui Græcam editionem quæ exstat in Bibliis Complutensibus castigatam nòn solùm ad codices Græcos, qui vetusti erant & bonæ notæ, recognovit; sed & interdùm ad fontes Hebræos reformavit. Itaque sicuti Complutensis editio Græca ideò non est sincerior quòd magìs ad codicem Hebræum accedat, sed contrà ob hanc potissimum rationem de eâ tanquàm corruptâ detraxerunt viri eruditissimi. Ità neque Origeniana illa editio, quam magni facit Hieronymus, quòd à veritate Hebraicâ minùs abesset quàm Vulgata editio Græca, ideò incorrupta & immaculata appellanda est, quòd exemplaria Hebraica magìs referat quàm *κοινὴ* illa, seu *communis*. Fateor quidèm nihil omninò mutationis de industriâ Origenem invexisse in versionem LXX quam Hexaplis suis inseruit, quippe illud ipse testatur scribens Africano, dùm ait sibi nòn fuisse consilium quidquam cudere quod discreparet à Scripturâ in Ecclesiâ Cathòlicâ receptâ; sed ipsius methodi ratio, quam in castigandis vetustis exemplaribus Græcis adhibuit, docet apertè aliquid in illis mutâsse. Ità enim Tractatu viii. in Matthæum loquitur; *in veteris Testamenti exemplaribus quæcunque fuerunt inconsonantia, Deo præstante, coaptare potuimus, utentes judicio ceterarum editionum. Ea enim quæ videbantur apud Septuaginta dubia esse propter dissonantiam exemplarium facientes judicium ex editionibus reliquis convenientia servavimus.* Itaque Origenes dùm Vulgatis Græcæ editionis Septuaginta exemplaribus manum medicam adhibuit, Aquilam, Symmachum & alias editiones consuluit; imò &, ut verisimile est, contextum Hebræum. Jàm quis affirmaverit eum in suis correctionibus ità felicem ut à verâ lectione nunquàm aberraverit,

De duplici Septuaginta Interpretum versionis editione.

Origen Tr. 8. in Matth.

raverit, maximè cùm excusserit omnes omninò editiones, ut
Id. Epist. ad Afric. ipse loquitur, & omnes varietates : ut collatâ varietate translationum intelligeret LXX translationem.

De editionibus Luciani & Hesychii. De Luciani & Hesychii castigationibus, qui similitèr ad antiqua exemplaria vulgatos Græcæ editionis codices recognoverunt, idem judicium fieri debet. Illos enim verisimile est etiàm Aquilæ & aliorum versiones consuluisse. Undè posteà orta est maxima illa codicum Græcorum diversitas quæ etiàm nùnc apparet in variis quæ nuperrimè prodierunt Græcæ LXX translationis editiones. Quas tamèn omnes ad tres præcipuas,
Anno 1515. Nuperæ editiones Græcæ. undè posteà ceteræ derivatæ sunt, revocare possumus. Et hæ sunt Complutensis, quæ etiàm exstat in Bibliis Regiis, seu Antverpiensibus, in Polyglottis Parisiensibus, & in Bibliis
Anno. 1518. quæ sub Vatabli nomine vulgò circumferuntur : Aldina, seu Venetiana, quæ deindè eadem prodiit Argentinæ, Basileæ & Francofurti ; ordine tamèn librorum quorumdam immutato :
Anno. 1587. ac demùm Romana ex codice Vaticano, quæ posteà Pariliis unà cum antiquâ versione Latinâ operà Joannis Morini se-
Anno. 1628. cundò edita est, eamdēmque etiàm Angli, tanquàm omnium accuratissimam, in sua Polyglotta transtulerunt. Complutensis omnium est mendosissima, quià nòn ad Græcos solùm codices, sed & ad Hebræos recognita fuit. Tribuunt
Eusebiana editio. etiàm nonnulli Eusebio & Pamphilo novam Græcæ LXX versionis recognitionem, sed Eusebii siqua fuerit editio ab
Hieron. apol. adv. Ruff. Origenianâ minimè diversa erat : codices enim ab Origene elaboratos, ut ait Hieronymus, Eusebius & Pamphilus vulgaverunt. Refert etiàm Eusebius Constantini Imperatoris ad seipsum Epistolam περὶ κατασκευῆς θεοπνεύστων λογίων, *de parandis sacris codicibus*. Utì reverâ ad calcem quorumdam exemplarium Græcorum nomina Pamphili & Eusebii hoc modo descripta reperiuntur, Πάμφιλος καὶ Εὐσέβιος διορθώσαντο, *Pamphilus & Eusebius correxerunt*. Nimirùm Origenis exemplaria, quæ Hexaplis inserta fuerant, à Pamphilo & Eusebio posteà descripta fuêre pro Ecclesiis Palæstinæ, undè codi-
Palæstina, Constantinopolitana & Alexandrina editiones. cum Palæstinarum, referente Hieronymo, nomen sumpserant ; sicuti quæ ab Hesychio castigata fuerant appellata sunt Constantinopolitana, & quæ Lucianus correxerat, Alexandrinorum

drinorum nomen reportârunt. Et hæc etiàm ætate nostrâ in diversis codicibus apparet editionum diversitas, dùm alii Origenianos, sive Palæstinos, referunt; alii verò Alexandrinos. Nùnc quæ fuerit Hexaplorum Origenis dispositio inquirendum, de quâ viri eruditissimi inter se nòn consentiunt.

Isaacus Vossius Origenem in Hexaplis suis compingendis aliam instit isse viam ac vulgò existimant se aliquandò demonstraturum pollicetur, quare respondens Scriptori Nuperæ Criticæ, qui novam hanc viam ab illo quæsierat, contendit Tetrapla & Hexapla Origenis ità dicta nòn fuisse à quatuor aut sex columnellis, sed Tetrapla dicta esse quòd quadruplicem versionem; Hexapla verò quòd sex continerent versiones; errare de Octaplis Scriptorem Criticæ, dùm errantem sequitur Epiphanium, quia nulla unquàm Octapla scripsit Origenes: codicem Hebraicum nòn venisse in censum versionum, quià priores columnas vocat Origenes τὸ Ἑβραϊκὸν ἔδαφος, velùt fundamentum omnium versionum In Tetraplis, addit Vossius, sex erant columnellæ, in Pentateucho etiam septem, utpote cui Samariticus adderetur codex, literis Protctypis Hebræorum expressus, ut ab Eusebio & Africano appellantur. Quià tamèn in solo id factum Pentateucho, ideò Tetrapla sex tantùm columnellas vulgò continere dicebantur, pari ratione atque in Hexaplis; quamvìs in Psalmis septima quoque accederet versio, Hexaplorum tamèn remansit appellatio, quià septima illa versio in aliis deficeret libris. Hactenùs Vossius, qui nòn alios opinionis istius, quæ nova est illa via quam se demonstraturum pollicitus fuerat, auctores laudat quàm seipsum, &, ut majorem illius dictis fidem adhibeamus, hæc demùm subjicit; *cùm nulla supersint, aut saltèm nulla Hexaplorum aut Tetraplorum hactenùs reperta sint, exemplaria, velle de his nimiùm copiosè contendere id demùm fuerit hominis nimiùm intemperantèr otio suo abutentis.* Hâc ratione promissa solvit Vossius qui tàm confidentèr pollicitus fuerat, se novam & hactenùs inauditam Hexaplorum Origenis dispositionem demonstraturum esse. Sed cùm nulla illorum exemplaria unquàm viderit, priscos Ecclesiæ Patres atque inprimis Epiphanium, qui illa tanquàm oculati testes describunt, consulere liceat.

Voss. de Sept. Interp. lib. 29.

Id. Resp. ad Nup. Critic.

Immensum Origenis opus expenditur.

Notantur Vossii errores circa Origenis Tetrapla & Hexapla.

Dionysius Petavius, vir è Societate Jesu doctissimus, & in Græcis Hebræísque libris nòn minùs quàm Vossius exercitatus, asserit neminem Epiphanio accuratiùs tradidisse quænam fuerint Origenis Tetrapla, Hexapla & Octapla; idémque Petavius miratur plerosque, qui sua ex Epiphanio hauserunt, in tàm aperto ejus loco allucinatos fuisse, ac inprimis notat Marianum Victorinum Scholiis ad lib. ii. Apolog. adversus Ruffinum, ubi redarguit Erasmum ex Epiphanii auctoritate, ut ait, sed malé. Singularum itaque editionum ordo ex Epiphanio hoc diagrammate proponitur.

TETRAPLA.

Aquila.	*Symmachus.*	*Septuaginta.*	*Theodotio.*

HEXAPLA.

Hebraica literis Hebraicis.	*Hebraica Græcis literis.*	*Aquila.*
Symmachus.	*Septuaginta.*	*Theodotio.*

OCTAPLA.

Hebraica literis Hebraicis.	*Hebraica literis Græcis.*	*Aquila.*	*Symmachus.*
Septuaginta.	*Theodotio.*	*Quinta Editio.*	*Sexta Editio.*

Verùm, inquit Vossius, Tetrapla & Hexapla nòn à quatuor & sex columnellis dicta sunt, sed à quadruplici versione, & quòd sex continerent versiones: quâ in re profectò gravissimè allucinatur vir doctus. Nam Tetraplorum, Hexaplorum & Octaplorum nomen derivatum fuit à numero editionum, & quælibet

libet

libet editio columnellam unam, sive paginam, pro antiquâ describendorum voluminum consuetudine occupabat, ut apertè evincunt verba illa Ruffini; *voluit Origenes nostris ostendere qualis apud Judæos Scripturarum lectio teneretur & in propriis paginis vel columnellis editiones earum singulas quasque descripsit.* Eadem igitùr omninò erat in Hexaplis Origenis columnellarum atque editionum ratio. Nulliúsque prorsùs momenti sunt quæ ducit Vossi usex voce ἔδαφος, quo nomine insignivit Origenes priores columnellas, nimirùm τὸ Ἑβραϊκὸν ἔδαφος velùt fundamentum omnium versionum Quid quæso aliud indè colligi potest quàm Origenem voluisse distinguere hoc nomine contextum Hebraicum à versionibus quæ ex eo, tanquàm fundamento, deductæ fuerant. Quo similitèr modo Hieronymus eumdem contextum veritatem Hebraicam appellat. Minúsne ideò constat illum contextum in Hexaplis Hebraicis & Græcis literis descriptum duas columnellas occupâsse, à quibus æquè ac à versionibus, quarum quælibet suâ quoque columnellâ exarata erat, Hexaplorum nomen derivatum fuerit? Prætereà ejusdem Vossii commentum est quod fingit de codice Samaritano prototypis literis Hebræorum expresso, qui Pentateucho additus fuerit. Illud enim priscis Ecclesiæ Patribus, Epiphanio, Hieronymo, Ruffino; etiàm Eusebio & Africano, quos in suam sententiam pertrahere conatur, prorsùs fuit incognitum: neque unquàm paritèr certissimis rationibus demonstrabit Vossisius quod tàm confidentèr asseverat de codice Samaritano, qui penes Origenem fuerit, frustráque ejus rei testes profert Eusebium, Africanum, Syncellum, imò & ipsummet Origenem, qui de hoc exemplari Samaritano prototypis, ut loquitur, literis exarato nè quidem per somnium unquàm cogitârunt. Habuêre Samaritani Græcam Pentateuchi versionem, quæ Patribus fuit probè cognita, & ex eâ sumpsêre Africanus, Eusebius & Syncellus codicis Samaritani ab Hebraico diversas lectiones quas libris suis inseruerunt. Linguæ Hebraicæ operam dedit Origenes præëunte sibi Huillo Judæorum, nòn verò Samaritanorum, Patriarchâ: & idcircò nòn Hebræis Samaritanorum, sed Judæorum exemplaribus usus fuit. Quo sensu intelligenda sunt verba illa Eusebii; *tantam curam ac diligentiam in Divinorum librorum accuratâ inquisitione adhibebat Origenes ut Hebraicam*

Ruffin Invect.

Euseb. lib. 6. Histor.

braicam etiàm linguam didicerit, & prototypas, quæ apud Judæos erant Hebraicis literis scriptas, sibi comparaverit. Sed Eusebii verba in alium planè sensum avertit Vossius, &, ut ea sententiæ suæ faciliùs accommodaret, lectionem jàm vulgatam absque ope ullius codicis MS. in aliam mutare nòn dubitavit. Ità enim legit; *τάς τε παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις ἐμφερομένας πρωτοτύπους αὐτοῖς Ἑβραίων στοιχείοις γραφὰς κτῆμα ἴδιον ποιήσασθαι*, cùm vulgo legatur *πρωτοτύπους* nòn verò *πρωτοτύποις*, & ità vertit; *ut Hebraicam etiàm linguam didicerit, ac illas quoque sibi comparaverit Scripturas quæ prototypis Hebræorum literis exaratæ esse dicuntur.* Apud Eusebium, inquit Vossius, prototypi characteres nòn sunt alii quàm Samaritici, & manifestè sibi adversaretur Eusebius si de vulgaribus Judæorum intellexisset elementis, cùm contrarium in suo scripserit Chronico. Miror sanè Vossii ingenium qui lectoribus suis in re tàm apertâ, quæque omnibus, qui linguam Græcam vix à limine salutaverint, est obvia. Teruntur omnium manibus libri Eusebii, cui nòn aliud propositum fuit loco jàm citato ostendere, quàm studium indefessum Origenis laborémque ejus improbum in evolvendis Scripturæ sacræ libris & perscrutando illorum sensu, qui, ut id faciliùs obtineret, linguam Hebræam à Judæis Magistris didicit, eorum libros characteribus Hebraicis exaratos evolvit eosdémque cum Græcis LXX Senum, Aquilæ, Symmachi & aliorum versionibus contulit. Utrùm *πρωτοτύπους* an *πρωτοτύποις* legendum sit in præsentiâ nòn disputo, quià servatâ etiàm lectione Vossii manifestum erit nòn aliud intelligendum esse per prototypas literas quàm characteres Hebræos. Contextus scilicet Hebræus in Origenis Hexaplis descriptus erat literis Hebraicis & Græcis, ut jàm observatum fuit. Quare Eusebius cogitans de exemplaribus Hebraicis quæ tùnc à plerisque Hebraicè nescientibus legebantur, quià illorum characteres Græci erant, asserit Origenem sibi comparâsse exemplar Hebræum characteribus etiàm Hebræis exaratum: qui enim alitèr fieri potuisset cùm Judæos linguæ Hebraicæ Magistros habuerit, nòn Samaritanos? Non incognita quidèm fuisse Eusebio, Origeni & aliis Patribus Pentateuchi Samaritani etiàm diversis à Judaicis characteribus descripta exemplaria lubens agnosco; sed quià plerique illorum non callebant linguam Hebraicam, ubi de codice Samaritico loquuntur,

Voss. in Resp. ad Object. Critic.

loquuntur, haùd dubiè intelligunt versionem Græcam Pentateuchi Samaritani, quæ tùnc vulgata erat. Neque Eusebii verba in Chronico ullatenùs Vossio favent, ubi meminit Eusebius trium Scripturæ sacræ codicum à quibus sua hauserit; nimirùm, *παρὰ τῶν ο΄ ἑρμηνευόντων, à LXX Interpretibus; παρὰ τοῦ παρὰ Ἰουδαίοις* Ἑβραϊκοῦ, *ab Hebraico exemplari Judæorum; παρὰ τοῦ παρὰ Σαμαρείταις* Ἑβραϊκοῦ, *ab Hebraico exemplari Samaritanorum.* Ibi enim nomine exemplaris Hebræi Samaritici necesse est intelligi Græcam illius versionem, nòn secùs ac nomine Hebraici Judæorum exemplaris plerique Patres qui Hebraicè nesciebant Aquilæ versionem, quæ ex Hebræo ad verbum sumpta fuerat, intellexêre. Noverat igitùr Eusebius Samaritanos nòn secùs ac Judæos Pentateuchi Hebræi exemplar penes se retinere; sed quià linguæ Hebrææ imperitus erat, Græcam illius versionem à Samaritanis cusam, quæque tùnc ab iisdem legebatur, consuluit. Sicùt anteà Justinus Martyr, disputans contra Tryphonem Judæum, Græcam Aquilæ interpretationem donat nomine contextûs Hebræi; quià Judæi plerique illius temporis eâ utebantur: sed ad hæc & alia ejusdem rationis benè multa animum nòn advertit Vossius. Nùnc tempus est ut ad id undè diverti redeam.

In Origenis Hexaplis, ut ex allato suprà diagrammate cognoscere est, primum locum obtinebat contextus Hebræus literis Hebraicis descriptus, secundum idem contextus Græcis characteribus exaratus; quià scilicèt ex illo, tanquàm ex primâ origine, versiones omnes Scripturæ derivatæ fuerant: deindè sequebatur interpretatio Aquilæ qui Hebraica ad amussim & longè meliùs quàm ceteri Interpretes referebat: Septuaginta verò medium locum, nòn verò primum, ut quibusdam visum est, occupaverunt, tanquàm ceterarum omnium regula ad quam illæ expendi deberent. Symmachi præstereà & Theodotionis translationes illam proximè & ex utrâque parte comitabantur, quòd ei haùd dissimiles essent, eadémque in his tribus observaretur interpretandi methodus. Dispositio Hexaplorum.

Jàm quià ingens illud volumen tot editiones repræsentans quasi sub unâ lineâ carè constabat, & à paucis poterat comparari, ità ut conquestus fuerit Hieronymus chartas Alexandrinas marsupium suum evacuâsse, cogitavit Origenes, vir acutissimi ingenii & scientiæ inexhaustæ, de ratione aliquâ quâ omnes has-

ce editiones veluti sub unam repræsentaret. Et quià nòn alia tùnc temporis in omnibus Ecclesiis Scriptura recipiebatur quàm LXX Interpretum translatio, hanc seorsìm edidit cum notis quibusdam, quorum beneficio aliæ omnes exhibebantur. Ità, quæ in contextu Hebraico deesse videbantur, supplevit ex Theodotionis versione, notâ additâ, quæ à Grammaticis vocatur *asteriscus*; quià scilicèt illa verba contextûs nimìs curta ac velùt abbreviata illustrabat: siquid verò in contextu Hebræo abundare videretur atque esse supervacaneum, locis illis luxuriantibus aliam notam adjecit à Criticis dictam *obelus*, sive *veru*; quasi jugulandum illud esset quod in Græcâ LXX editione veluti luxuriabat. Ad id inprimis attenderat Origenes in operis illius œconomiâ, teste Epiphanio, ut Judæi faciliùs à Christianis inter disputandum revincerentur: quippe illi passim objiciebant alitèr esse in exemplari Hebræo quàm in Græcâ LXX versione. Idem quoque testantur Hieronymus & Ruffinus, etsi Hieronymus interdùm ejusmodi notarum usum paulò alitèr exponat. Alias etiàm notas, putà lemniscos, huic operi adjecerat Origenes, de quorum usu inter se nòn consentiunt ætatis nostræ Critici, &, quod à paucis adhùc explicatum est, illa editio Græca LXX cum omnibus hisce notis, tàm illustrantibus quàm jugulantibus etiàm in Hexaplis Origenis, unà cum Aquilæ, Symmachi & ceterorum Interpretum translationibus reperiebatur, utì probare videntur verba illa Ruffini; *voluit Origenes nostris ostendere, qualis apud Judæos Scripturarum lectio teneretur, & in propriis paginis, sive columnellis, editiones eorum singulas quasque descripsit, & ea quæ apud illos sunt addita, vel decerpta, certis quibusque signis additis ad versiculorum capita designavit, & in alieno nòn suo opere suas tantummodo notas fixit, ut sciremus nòn quid nobis sed quid Judæis adversùm nos certantibus aut deesse aut abundare videretur.*

Hexapla in compendium redacta.

Epiphan. de pond. & mens.

Idem prætereà Origenes ingens illud Hexaplorum opus Scholiis diversi generis, quæ ad oram codicis retulerat, illustravit; ut editioni illi LXX Interpretum, quæ media inter alias omnes apparebat, lucis aliquid afferret. Primò enim quid esset discriminis inter antiquam, seu vulgatam, LXX Interpretum editionem & novam editionem suam beneficio notæ illius ό, id est LXX, statìm deprehendi poterat. Illa quippe nota ό communem lectionem exhibebat. Deindè in iisdem Scholiis Aquilæ,

quilæ, Symmachi ac Theodotionis diversæ interpretationes, quæque per suam literam designabantur. Itâ litera Α'. denotabat Aquilam, Σ'. Symmachum & Θ. Theodotionem; Quinta quoque editio per Ε'. & Sexta per ς'. notabantur. Notas etiàm ad oram sui codicis retulerat Origenes exponendis ad literam, ut vocant, Scripturæ sacræ verbis, quæ Origenis notæ inter ejus opera sub nomine Scholiorum indicantur. Si etiàm Isaacum Vossium audiamus, nòn improbabile est Origenem variantes codicis Samaritici lectiones in Hexaplis suis annotâsse. *Siquis malit*, inquit, *credere Origenem nòn integrum codicem Samariticum Hexaplis & Tetraplis suis inseruisse, sed tantùm variantes annotâsse lectiones, nòn multùm adversabor.* Itâ minùs constans Vossius in sententiâ suâ, modò ait, modò negat; & cùm anteà tàm confidentèr asseverâsset exemplar Pentateuchi Samaritani in Hexaplis etiàm literis Samariticis descriptum exstitisse, nùnc dubitans nihil in re parùm sibi compertâ audet pronunciare. Verùm utì nullatenùs probabile est exemplar Samariticum, quod idem prorsùs erat atque Judaicum in Hexaplis exstitisse; itâ versimile est diversas exemplaris Samaritici à Judaico lectiones Origenem inter Scholia sua retulisse, quas nòn ex codice Samaritano prototypis illis literis descripto, utì commentus est Vossius, sed ex Græcâ Pentateuchi Samaritani versione à Samaritanis ipsis accuratâ. Voss. Resp. ad Critic.

Hæc est Origenis Hexaplorum œconomia ac dispositio, quam viri etiàm eruditissimi comprehendere minimè potuerunt, dùm nòn assequuntur quomodò in uno eodémque opere Græcæ Aquilæ, Symmachi ac Theodotionis interpretationes bis repertæ fuerint; nimirùm integræ in operis contextu & ex parte in Scholiis quæ erant ad marginem. Sed Origenes, qui omnibus prodesse voluit, immensum illud opus Hexaplorum, beneficio notarum & Scholiorum, in compendium redegit, ut illi qui Hexapla integra nòn possent comparare, saltèm illorum summam etiàm ex ipsismet Hexaplis describerent. Et eâdem arte κοινὴν illam, seu communem, LXX editionem simùl cum novâ suâ editione quam integram, quià castigatiorem illam arbitratus est, Hexaplis inseruit, in uno eodémque opere repræsentavit, adjectis scilicèt ad oram codicis κοινῆς illius, seu vulgatæ, diversis lectionibus sub notâ ό. Quapropter in eo graDispositio Hexaplorum iterùm illustratur.

vitèr allucinantur nonnulli, dùm, istâ Hexaplorum dispositione nòn intellectâ, contendunt in illis duplicem LXX Interpretum editionem, tàm vulgatam scilicèt quàm puram illam, cujus ità frequentèr meminerunt Origenes & Hieronymus, sub duplici columnellâ fuisse collocatam, & hâc ratione Hexapla nòn à diversis columnellis, sed à versionibus nomen suum ducere. Sed hæc apertè falsa sunt, nec aliundè proficiscuntur quàm ex ignoratione dispositionis Hexaplorum, ad quorum marginem vetus LXX Senum lectio relata fuerat: & hoc modo utraque LXX Interpretum editio in Hexaplis apparebat. Jàm quià pauci immensa illa Hexaplorum volumina, quæ Hieronymi marsupium evacuârant, integra poterant comparare, plerique editionem illam LXX ab Origene interpolatam cum asteriscis & obelis aliisque notis ex ipsismet Hexaplis desumpserunt; undè posteà nata est maxima in Græcis exemplaribus confusio, & ex eo tempore nòn ampliùs antiqua illa LXX interpretatio plerisque in Ecclesiis lecta est, sed Origeniana & interpolata, quæ etiàm, aut saltèm similis, ad Ecclesiam Occidentalem operâ B. Hieronymi posteà pervenit.

CAP.

CAP. XIX.

De antiquis Ecclesiæ Latinæ Versionibus.

PLeræque lites, quæ in Ecclesiâ ab aliquot annis natæ sunt de rebus Biblicis, ex Criticorum quorumdam ac Grammaticorum officinâ prodiêre, qui in Scholis innutriti nihil nòn vocant in controversiam, atque ingenium suum Ecclesiæ auctoritati præferre audent, &, quasi ars eorum Critica cum illius decretis stare minimè posset, statìm ea impugnant: sed haùd dubiè immeritò, quandoquidèm Ecclesia Criticas animadversiones, quæ quotidiè fiunt in Scripturam à viris pietate & eruditione conspicuis, nòn improbat: neque, siquis exactiùs in contextûs Biblici rationem inquirit, ea labores illius respuit; modò de vetustis editionibus nòn detrahat. Liceat itaque Theologis Protestantibus exemplo Patrum ad fontes Hebraicos recurrere, novas etiàm ad has versiones cudere, modò ab iisdem Patribus discant, *Scripturam sacram Ecclesiæ Catholicæ possessionem esse propriam*, & de Ecclesiâ ejúsque libris id sentiant quod unus ex illorum sectâ scripsit his verbis adversùs eos qui versiones antiquas & longo Ecclesiarum usu conservatas negligunt; *sua sit almæ matri Ecclesiæ sarta tecta auctoritas, suus sit sanctis Patribus salvus honos, quorum venerandæ canitiei, si qui nòn assurrexerint, vel placitis contraiverint, nec filiorum in censum illis, nec fratrum nobis venient.* Timet Scriptor ille è Protestantium turbâ nè fratres sui Novatores audiant rectiùs quàm Reformati, qui pessimâ omnium reformandi ratione destruunt ut adstruant. Optârim itaque ut nobiscum in gratiam redeant Protestantes, cùm, si præsens materia de antiquis Interpretibus diligentiùs consideretur, nomine potiùs quàm reipsâ à Theologis Ecclesiæ Romanæ dissideant, núncque eorum plerique longè æquiores se præbeant quàm Schismatis initio, maximè ex quo doctissimi Cappelli Critica Sacra illos ad veram sententiam

Auctor præfat. in lib. J. Boys. pro defens. Vulg.

tiam de contextûs Hebraici, qui hodiè omnium manibus teritur, inconſtantiâ revocavit: quippe temerariâ Grammaticorum quorumdam aſſertione deceptos ſe fuiſſe deprehenderunt, qui ex hodiernis Grammaticæ Hebrææ præceptionibus de antiquis illis Interpretibus judicabant.

Antiqua Eccleſiæ Occidentalis tranſlatio.

In universâ itaque Eccleſiâ Latinâ ab Apoſtolorum ferè temporibus uſque ad Hieronymi ætatem Scripturæ Sacræ interpretatio obtinuit, quæ ab aliis Itala, forsàn quià in Italiâ primum nata fuerat, aut indè ad ceteras gentes, quibus Latinus ſermo erat vernaculus, tranſierat; ab aliis verò vetus, ob illius antiquitatem, appellabatur. Vulgatæ quoque & Communis nomen apud pleróſque ſortita fuerat, ut a ceteris verſionibus, quæ vix numerari poterant, hoc nomine diſtingueretur. Quis fuerit vetuſtæ illius tranſlationis auctor ignoratur. Conſtat tamèn hanc ex Græcâ LXX Senum interpretatione deſumptam fuiſſe, cùm nemo uſque ad Hieronymum novam ad Hebræos codices verſionem cudere auſus fuerit. Illam quidèm Flaminius Nobilius majori quàm potuit diligentiâ reſtitutam Romæ edi curavit, eámque iterùm editam Pariſiis unà cum Græco exemplari Vaticano publici juris fecit Joannes Morinus: ſed hanc puram putam eſſe Eccleſiæ Latinæ verſionem, quæ ante Hieronymum ſola in Occidente legebatur, nemo rei Criticæ peritus affirmaverit. Fieri ſiquidèm nòn poterat ut Nobilius illam modis ómnibus abſolutam & perfectam ex Patrum operibus hauriret, qui eam nòn exactè ſequuti fuerant, & ſiqui eorum Græcè docti fuerunt, verſionem novam ad Græcum ſermonem LXX Interpretum condere nòn ipſis fuit religio. His omnibus accedit Hieronymum antiquam illam verſionem quam in locis quibuſdam minùs accuratam deprehenderat & pro regionum & exemplarium diverſitate parùm conſtantem, refeciſſe. Uſus eſt in illâ reformandâ exemplari Græco quod Hexaplis ſuis inſerüerat Origenes, quódque minùs ab Hebræis codicibus aberat. Sed ex iis, quæ etiàm hodiè ſuperſunt venerandæ illius interpretationis Fragmentis facilè cognoſcetur plures adhùc mendas in eâ reliquiſſe Hieronymum, qui ſingulis in re tàm operosâ attentus eſſe nòn potuit.

Anno. 1588. *Anno. 1628.*

Origenis laborem imitatus eſt B. Hieronymus.

Idem Hieronymus nè linguæ ſuæ hominibus, ut loquitur, id eſt Latinis minùs utilem quàm Græcis Origenes ſe oſtenderet,

deret, hujus exemplo antiquam illam versionem castigatam unà cum additionibus ex Hebræo contextu sub asterisci notâ, adjecto quoque obelo, qui indicaret quod erat veluti supervacaneum, publicavit. De hoc opere ità loquitur ipsemet Hieronymus B. Augustino rescribens; *illa interpretatio LXX Interpretum est,& ubicunque virgulæ, id est obeli sunt, significatur quòd LXX plùs dixerint quam habetur in Hebræo. Ubi autem asterisci, id est stellulæ prælucentes, ex Theodotionis editione ab Origene additum est; & ibi Græca transtulimus, hic de ipso Hebraico quod intelligebamus expressimus, sensuum potiùs veritatem quàm verborum ordinem interdùm conservantes.* Hæc nova Hieronymi ex Græcis exemplaribus translatio à pleríque Ecclesiis maximo cum gaudio excepta, quòd exponendis Scripturis apprimè esset utilis; quídque discriminis esset inter Ecclesiæ & Synagogæ codices præmonstraret. Quantum verò ob id in doctissimum illum virum & de Ecclesiâ benè meritum debacchatus fuerit Ruffinus, vix dici potest. *Quis,* inquit Ruffinus, *alius auderet ab Apostolis tradita Ecclesiæ instrumenta temerare nisi Judaicus spiritus?* De illâ enim versione Ruffinus nòn loquitur quam posteà Hieronymus ad codices Hebræos cudit,sed de eâ quam ad Græcam LXX Interpretum translationem,adjectis nonnullis sub asterisci signo,& adhibitâ virgulâ,quid ab hâc resecandum esset designante,fecerat.Multa alia addit idem Ruffinus, quibus similitèr damnat aliam Hieronymi versionem,de quâ infrà agetur: & dùm exemplo Origenis, quem in suo opere imitatum se fuisse contendit, se tuetur Hieronymus, iterùm objicit ei Ruffinus neminem Catholicum hactenùs ausum fuisse quidpiam Scripturæ sacræ ex Hebræo Latinum facere, simúlque ostendit Origenianum opus ab Hieronymiano longè diversum esse, quandoquidèm nihil prorsùs immutationis Origenes, ut testatur Ruffinus, in versionem antiquam & ab omnibus Ecclesiis receptam invexerat: sed Ruffino & aliis obtrectatoribus egregiè respondit Hieronymus.

Hieron. in Epist. ad August.

Ruffin invect.

De aliâ, quam doctissimus ille Pater jàm senior factus ad Hebraicam, uti loquitur, veritatem condidit, translatione longè major est difficultas. Ob hanc enim etiàm apud amicos suos tanquàm Novator malè audiit, ità ut nec ipse Augustinus ferre potuerit ut Græca interpretatio, quâ usos fuisse Apostolos manifestum erat, *diffamaretur*; quasi ab illius auctoribus in multis

Hieronymi translatio ex veritate Hebraicâ.

Auguſt. Epiſt. ad Hieron.

tis erratum fuiſſet. *Perdurum erit,* ait Auguſtinus ſcribens Hieronymo *ſi tua interpretatio per multas Eccleſias frequentiùs cœperit lectitari, quòd à Græcis Eccleſiis Latina Eccleſia diſſonabunt.* Rémque mox exemplo confirmat his verbis; *quidam frater noſter Epiſcopus cùm lectitari inſtituiſſet in Eccleſiâ, cui præeſt, interpretationem tuam, movit quiddam longè aliter abs te poſitum apud Jonam Prophetam quàm erat omnium ſenſibus memoriaque inveteratum & tot ætatum ſucceſſionibus decantatum, factus eſt tantus tumultus in plebe, maximè Græcis arguentibus & inclamantibus calumniam falſitatis, ut cogeretur Epiſcopus, ea quippe civitas erat, Judæorum teſtimonia flagitare.* Ob hanc verſionem omnium maledicta in ſe convertit Hieronymus, quà de re paſsim & uſque ad nauſeam in libris ſuis conqueritur, nec tàm librum quàm apologiam ubique ſcribit. *Quid faciam*, inquit, *calumniatoribus meis, qui, ſi aliquid de Septuaginta Interpretum tranſlatione ſubtraxero, me ſacrilegum & abſque timore Domini vociferantur, maximè qui cùm in fidei veritate diſcordent & Manichæorum ſequantur errores, in eo imperitorum animos commovent, ſi de veteri quippiam monſtrare potuerint mutatum conſuetudine, libentèr errare cupientes quàm aliquid ab æmulo verum diſcere.* Et poſt nonnulla hæc iterum addit adversùs Ruffinum & illius imitatores, qui tranſlationi ſuæ obtrectantes illi quaſi Hæretico & Apoſtatæ detrahebant. *Latini noſtri imò invidi Chriſtiani, &, ut apertiùs dicam, Grunnianæ factionis hæredes adverſum nos latrant cùr juxta Hebræum diſſeramus.——Si nobis nòn habent fidem, legant alias editiones Aquilæ, Symmachi & Theodotionis: interrogent Hebræos nòn unius loci, ſed diverſarum provinciarum, & cùm errori meo vel imperitiæ cunctos viderint conſonare, tùnc ſe intelligant nimiùm eſſe prudentes, & magìs cupere dormire quàm diſcere, habiténtque in Septuaginta cellulis Alexandrini Phari.* Demùm neque etiàm parcit ſupercilio *Epiſcoporum*, ut verbis illius utar, qui, *quoſcunque in Eccleſiâ viderint præpotentes, & Dei habere ſermonem, opprimere nituntur.* Sed fruſtrà his diutiùs detineor cùm libri apologiæ quos ſcripſit adverſus Ruffinum ſint omnibus obvii. In his autèm novæ ſuæ verſionis rationem ſtrenuè defendit, atque oſtendit quantum ſub Judæis magiſtris profecerit in ſtudio Scripturarum, & quantum etiàm ſub iiſdem Doctoribus profuerint Origenes, Clemens Alexandrinus, Euſebius & alii complures, qui dùm de Scrip-

Hieron. Comment in cap. 32. Ezech.

Id. ibid. cap. 33.

Scripturâ disputant & volunt approbare quod dicunt, sententiæ suæ testes & approbatores producunt Hebræos. Et quià Ruffinus Hieronymo objecerat illum nòn Apostolico in condendâ suâ translatione, sed Judaico spiritu, animatum fuisse; ille respondet, *nisi prolixum esset & redoleret gloriolam, jàm nunc tibi ostenderem quid utilitatis habeat magistrorum limina terere & artem ab artificibus discere.* Scripsit etiàm Hieronymus epistolam Pammachio, quæ inscribitur, *De optimo genere interpretandi*, in quâ Palladii cujusdam calumnias refellit, qui ex suasione Ruffini ejus interpretationem calumniatus fuerat. Pluribus exemplis demonstrat officium veri interpretis nòn esse Scriptores quos in alienum sermonem transfert, ad verbum exprimere, cùm LXX Interpretes, neque etiàm Evangelistæ hanc interpretandi rationem sequuti sint. *Aquila*, inquit, *Proselytus & contentiosus Interpres, qui nòn solùm verba, sed & etymologias verborum transferre conatus est, jure projicitur à nobis.* De LXX etiàm Interpretibus in eâdem epistolâ ità loquitur; *longum est nùnc evolvere, quanta Septuaginta de suo addiderint, quanta dimiserint, quæ in exemplaribus Ecclesiæ obelis asteriscísque distincta sunt.* Hæc & alia ejusdem naturæ plurima in hanc epistolam conjicit, ut suam interpretandi rationem, quæ nonnullis paulò liberior visa fuerat, ab adversariorum calumniis vindicaret, & ut *obtrectatores sui* intelligerent *nòn verba in Scripturis consideranda, sed sensus. Audiant*, inquit, *& à me nòn periclitari Ecclesiarum statum si celeritate dictandi verba aliqua dimiserim.* Hieron. de opt. gen. interp.

Lubens igitùr agnoscit Hieronymus se in cudendâ novâ contextûs sacri translatione Judæos potissimùm tanquàm duces ac magistros consuluisse: neque diffitetur sibi multa, tanquàm homini, excidere potuisse; adeò ab eorum mente erat alienus qui illum asserunt in hoc opere condendo Prophetico spiritu afflatum fuisse, quos egregiè refellit Mariana; *quid juvat*, inquit, doctissimus ille Jesuita, *post tot sæcula novo commento novos Prophetas comminisci?* Eúmne Prophetam appellabimus qui versionis suæ duces modò Græcos Interpretes, modò Judæos ætatis suæ à quibus sæpiùs dependet, sequitur. An ille Propheta est qui haùd infrequenter, maximè Commentariis suis in libros Prophetarum, de germano dictionum Hebraicarum significatu dubitat? Novi quidèm Pagninum aliósque Scriptores,

maximè è Protestantium sectâ, negare versionem illam, quæ indè jàm à pluribus sæculis in Ecclesiâ occidentali legitur, esse Hieronymi; sed, si paucos editionis istius libros excipias, quos constat nòn fuisse ab Hieronymo translatos, quales in eâ exstant, nemo paulò cordatior unquàm inficias ierit hanc interpretationem quæ sub Vulgatæ nomine circumfertur verè ab Hieronymo conditam fuisse, etsi ex antiquâ versione Latinâ, quæ ante Hieronymi tempora in eâdem Ecclesiâ sola obtinebat auctoritatem, nonnihil in eâ remanserit; ità ut in locis quibusdam, quæ tamen paucissima sunt, hujus antiquæ versionis lectionem exhibeat, vel ex utrâque sit mixta. Manifestum est interpretationem illam ex Hebræis fontibus ab homine Latino desumptam fuisse. Jàm quis in universâ Ecclesiâ Latinâ præter Hieronymum utriusque linguæ, Hebraicæ scilicèt ac Latinæ, tùnc temporis peritus fuit? Sed qui plura de his rescire voluerit, consulat libros quos Augustinus Eugubinus & Joännes Mariana de hoc argumento conscripserunt.

Ut perfectius adhùc editionis illius Vulgatæ natura cognoscatur, observandum est Hieronymum, etsi verba contextûs sui ad verbum se nòn expressisse, & more Grammaticorum, palàm asserat, interdùm tamen verbis ipsis longè pressiùs quàm LXX & alii Interpretes adhæret, adeóque sibi in vertendo nòn est sempèr similis. Iterùm animadvertendum est, nòn ex Hieronymi translatione totiès hodiernam contextûs Hebraici lectionem castigandam esse, quotiès cum illâ nòn consentit; quià etsi veritatem Hebraicam sequutum se esse profiteatur, aliquandò tamen illâ relictâ præfert Græcos Interpretes. Neque paritèr Hebræum magistrorum suorum exemplar quod haùd infrequentur LXX Senioribus opponit, quasi illi in suis codicibus malè legerint, in omnibus anteponendum esse existimaverim: quandoquidèm nec ipse Hieronymus habuit exemplar contextûs Hebræi αὐτόγραφον. Denique nec de ejusdem Hieronymi versione ex nuperis translationibus quæ ab eâ sæpissimè variant judicandum, sed recurrere necesse est ad alias Grammaticæ regulas quàm illas quæ à nuperis Magistris invectæ sunt, utì jàm fusè demonstratum fuit, idémque variis exemplis confirmare nòn esset difficile. Sed unum tantùm proferam quod minùs peritis negotii aliquid posset facessere.

Legimus in editione Vulgatâ capite ix. Zachariæ, versu xi. hæc verba; *tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu*: at juxta codices Hebræos verti debet, *emisi vinctos tuos*, & Pronomina *tu*, *tui*, *tuos*, sunt fœminini generis, adeóque sensum faciunt longè diversum ab Hieronymiano, qui etiàm est LXX Interpretum. Permulti, ut hoc loco Vulgatam editionem assererent, Judæorum codices, quasi ab his deditâ operâ corrupti fuissent, rejecerunt. Sed longè satius est dicere Pronomen istud in fœminino sumi interdùm pro eodem in genere masculino; id etiàm agnoscentibus Masorethis ipsis Tiberiensibus qui puncta vocalia contextui hodierno adjecêre. Ità annotârunt in tribus Scripturæ locis, quæ indicant, hoc contigisse. Quare si illud aliquando in aliis etiàm locis occurrat quæ Tiberienses prætierierint, statìm nòn accusandi erunt vetusti Interpretes quòd cum recentioribus nòn consentiant. Eâdem ratione vindicari poterit Hieronymus qui interpretatus est *emisisti*, cùm juxta codicem Hebræum interpretari debuisset *emisi*. Hæc enim translationis diversitas orta solùm est ex literâ *Jod* quæ sæpè in Masorâ notatur tanquàm redundans ac supervacanea. Masorethæ ipsi numerant in Masorâ quam vulgò magnam appellant hujuscemodi xliii. in quibus *Jathir Jod*, ut ipsi loquuntur, id est, litera *Jod* redundat. Sic capite xxxii. Hieremiæ, versu xxxiii. ubi legimus *docuisti* in secundâ personâ, verbum Hebræum exprimitur cum *Jod* in fine, quasi exponi debeat in primâ personâ; sed in Masorâ quam vocant parvam annotatur legendum esse absque *Jod* & in secundâ personâ, ut etiàm legit Hieronymus. Sed hæc prætereo & alia ejusdem rationis plurima quibus ostendi posset immeritò Latinum Interpretem sæpè ab iis reprehendi qui eum nòn intelligunt, quique omnia ex artis suæ præceptionibus dimetiuntur.

CAP. XX.

De auctoritate antiquarum Ecclesiæ Latinæ versionum, atque inprimis illius quæ hodiè Vulgata appellatur. Quo sensu hæc dicatur authentica.

Antiquarum Ecclesiæ versionum auctoritas.

LIcèt illud à naturâ videatur hominibus insitum, ut in suis disputationibus sint opiniosissimi & falsa atque etiàm iniqua interdùm pro veris assumere nòn reformident, tamen id potissimùm in præsenti argumento occurrit, ubi Scriptores pro aris inter se decertant. Ita Judæi Doctores nòn aliundè commoti fuisse videntur ut codices suos etiàm à levissimis mendis vellent expurgatos, nisi quià Judæi sunt, nec aliam in Synagogis Scripturam legunt quàm contextum Hebræum. Similitèr Græci Latiníque Patres priscis Ecclesiæ temporibus Græcam LXX Interpretum versionem tanquàm Divinam amplexati Hebræis exemplaribus antepośuerunt, quià illi Græcarum disciplinarum artibus imbuti, hi verò Italam, seu Vulgatam, Bibliorum editionem, quæ in usum Ecclesiæ Latinæ cesserat, ex Græcâ LXX Seniorum hauserant. Similitèr in hoc laudanda est Synodi Tridentinæ Patrum sapientia, qui versionem illam quæ dudùm publico Ecclesiarum usu recepta versabatur in omnium manibus, suis suffragiis approbatam authenticam declaraverint; id est, quæ sola apud Latinos auctoritatem obtineret. Similitèr vetus illa Latina, quæ in Ecclesiâ Occidentali per multa sæcula ante Hieronymi translationem lecta est, nòn minùs authenticæ editionis nomen merita est, quàm hodierna Vulgata. Id tantùm inter hanc & illam discriminis est, quod illa publico Concilii generalis decreto declarata nòn fuerit authentica. Errat itaque Vualtonus qui negat veterem hanc editionem Vulgatam fuisse authenticam, *tùm quia*, inquit, *ex Græcâ facta sit*

Vualt. Proleg. 10. de Vulg.

quam

quam authenticam non fuisse jam ostendimus, nec potest rivulus auctoritatis plus habere quàm erat in suo fonte, nec potest ulla versio dici authentica nisi Interpres eodem spiritu verterit, quo primus auctor scripsit. Quod de hâc versione nemo affirmavit, nec illam Ecclesia Romana rejecisset & aliam novam accepisset si authenticam judicâsset. Verùm nòn intellexit Vualtonus quid nomine authentici in Synodi Tridentinæ decreto designetur, dùm confundit authenticum cum Divino & Prophetico in eo de quo agitur argumento. Quare necesse est ut illud expendamus quod Tridentini Patres nomine illo intelligi voluerunt.

Notatur Vualtonus.

Vulgò apud Jurisconsultos nomen authentici idem sonat atque αὐτόγραφον quod Gallicè appellamus *Originale*, & hoc sensu Testamenti exemplum distinguitur ab authentico, & tabulæ authenticæ dicuntur quæ primariæ sunt & ex quibus tanquàm ex origine exemplaria descripta sunt. Hoc modo nè contextus quidem Hebræus dici poterit authenticus, quià dudùm periêre autographa codicis Hebræi, nec supersunt nisi apographa: aliâ igitùr ratione ab iisdem Jurisconsultis nomen authentici sumitur, quo pacto etiàm versio in eorum libris nomen præfert authenticæ: ità Novellarum Justiniani Latina interpretatio vocata est authentica, quià ex Græco fonte ad verbum reddita fuerat, sícque ab aliâ versione distincta est, cujus auctor fertur Julianus Patricius, quæ est duntaxat Latina Constitutionum illarum Epitome. Prius exemplum authenticum appellatum fuit, quasi dixeris verum nec ullatenùs detruncatum, ut observavit Antonius Contius. In hâc nominis authentici usurpatione nihil est quod Protestantibus queat esse offendiculo. Si vocis autem illius notionem à Jurisconsultis, etsi apud ipsos nata sit, petere nolimus, idem vocabulum pluriès repetitum occurrit in actis Synodi Quintæ Generalis: ubi enim relecti fuissent codices quos Macarius Patriarcha Antiochenus aliíque Episcopi Monothelitæ Concilii Patribus obtulerant, statìm Legati Sedis Apostolicæ responderunt, *à Macario ejúsque sociis detruncata fuisse Patrum testimonia.* Postulant proferri *codices authenticos* ex venerabili Patriarchejo civitatis Regiæ, seu Constantinopolis, & conferri cum codicibus à Macario aliísque Episcopis è Sectâ Monothelitarum productis. Ibi authenticum idem planè est atque illud quod nòn est adulteratum, aut suspectæ fidei. Neque alio sensu

Quid nomen authenticum significet.

Cont. Præf. in lib. Novell.

Synod. 5. Gener. Constant. act. 6.

ſenſu Epiſcopi Tridentini Latinam verſionem, quæ tùnc ſola in omnibus Eccleſiis Occidentis legebatur, authenticam declaraverunt; nec in aliam trahi poſſe videntur explicationem Conſtitutionis illorum verba, ſi paulò attentiùs conſiderentur. Agebatur nimirùm de ſeligendâ unâ ex multis, quæ tùnc circumferebantur, ſacri contextûs verſionibus, & quià pleræque auctores habebant homines fidei ſuſpectæ, prudentiſſimè viſum eſt illis Epiſcopis, ut ea ſola quæ antiqua erat & longè antè exorta ſchiſmata in Eccleſiis retineretur. *Sacroſancta Synodus conſiderans nòn parùm utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus Latinis editionibus quæ circumferuntur ſacrorum librorum, quænam pro authenticâ habenda ſit innoteſcat, ſtatuit & declarat ut hæc ipſa vetus & Vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum uſu probata eſt in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus & expoſitionibus pro authenticâ habeatur, & ut nemo eam rejicere quovis prætextu audeat.* De contextûs Hebræi auctoritate cum veteri Interprete Latino conferendâ nè per ſomnium quidèm cogitârunt Tridentini Antiſtites, ſed ex pluribus, quæ tùnc vulgatæ fuerant, Latinis verſionibus antiquam ceteris præponendam eſſe prudentiſſimè decreverunt. Quâ in re firmum conſtânſque apparet Eccleſiæ judicium; quià ſicùt olim Aquilæ, Symmachi ac Theodotionis tranſlationes ſubdolas eſſe perſenſit; ità nùnc antiquam unam ceteris poſthabitis quæ ex innovandi ſtudio conditæ videbantur, amplexata fuit.

Nòn aliâ ratione authentici nomen, quo uſi ſunt in hoc negotio Patres Tridentini, expoſuêre plurimi Theologi, quorum etiàm nonnulli Concilio interfuerunt. Sed quia id quod jàm ab aliis actum eſt agere nòn eſt animus, illorum teſtimonia ſilentio prætereo. His ſolùm adjiciam unius Genebrardi, Vulgatæ editionis defenſoris acerrimi, verba ex epiſtolâ quam eâ de re ſcripſit Ariæ Montano. *Tantum comparat,* inquit Genebrardus loquens de Concilio Tridentino, *Vulgatam cum ceteris ejuſdem generis propter recentiorum Hæreticorum & aliorum novatorum temeritatem, qui novas ſubindè verſiones expetunt, veteres faſtidiunt, próque innatâ novarum cupiditate antiqua novis poſthabent.* Qui etiàm inter Heterodoxos eruditionis aliquid habent ſimul ac modeſtiæ veterem Interpretem Latinum venerantur, interdúmque ab eo diſcedere ipſis eſt religio. Undè Paulus Fagius, vir Hebraicè & Chaldaicè doctus, *ſciolos eos* vocat *qui Vulgatam editionem temerè*

Genebr. Epiſt. ad Ar. Mont.

Pauli Fagii & J. Druſii de Vulgatâ editione judicium.

rè natam stultè & impudentèr autumant. Laudat quoque eruditissimus Drusius sapiens in hâc parte Concilii Tridentini consilium, prudentiámque illius demiratur. Alios ex Protestantium secta prætermitto, quorum amplam seriem de Synodi Tridentinæ decreto rectè sentientium, contexere nòn esset arduum. Quare ii solùm de Constitutione Tridentinâ quâ vetus editio declaratur authentica perversè sentiunt, qui Rabbinorum libris penitùs addicti, de Bibliis Judaicis & de arte suâ actum putant, nisi de antiquâ illâ interpretatione detrahant. Hebraizantium princeps Buxtorfius, cujus iracundiam Critica sacra Ludovici Cappelli excitaverat, hunc paulò duriùs quasi Latini Interpretis patrocinium suscepisset his verbis reprehendit; *hoc observet lector, nullum unquàm majorem patronum fuisse Vulgatæ versionis, & qui fortius argumentum suppeditaverit ad ejus authentiam adstruendam, quàm malè sanus ille Criticus.* Ille tamen est Cappellus cui doctissimus Hugo Grotius, aliique saniores Protestantium Critici adhæserunt. In hoc quoque laude digni sunt Angli Protestantes, atque inprimis Clarissimus Vualtonus, qui in Prolegomenis quæ in Polyglottis illorum præmissa sunt, relictâ Buxtorfiorum sententiâ, Ludovicum Cappellum fermè ubique sequuntur: nec parvi faciunt Latinum Interpretem, etsi vim nominis *authenticum* probè intellexisse nòn videantur. Longè absunt à quorundam Protestantium malè sanis opinionibus qui in Concilii Tridentini Episcopos nihil nòn virulenti evomunt. Ità Fullerus auctor est, *per superbissimam Romani Pontificis Tyrannidem factum ut exclusis & eliminatis translationibus ceteris etiam ipso veritatis Hebraicæ prototypo, versio Latina Vulgata Divinum quemdam principatum obtineat.* Neque etiàm Isaacus Casaubonus, vir alioqui eruditus, Tridentinis Præsulibus pepercit, qui affirmet veritatem Hebraicam jus suum & auctoritatem amisisse, postquàm Tridenti factæ sunt authenticæ Græca & Latina versiones. Sed immeritò de Tridentinâ sanctione conqueruntur Protestantes si benignè, ut par est, nomen illud *authenticum* interpretari velint, nec ab illis Theologis discedere qui primas tenent in Ecclesiâ Romanâ. Ecclesiarum tranquillitati decreto suo consuluerunt Tridentini Patres, & illis tantùm voluerunt occurrere qui ex innovandi pruritu perversis suis dogmatibus nòn parùm auctoritatis accessurum putabant, si versioni Ecclesiasticæ, quæ tùnc in omnium manibus versabatur, detraherent.

Lud. Cappel.

Buxt. in Anticrit. par. 2.

Fullerus l. Miscell.

Casaub. ad Annal. Baron.

Imprudens Theologorum quorumdam Hispanorum zelus.

Nòn minùs etiàm gravitèr in hoc negotio à Theologis quibusdam Orthodoxis peccatum fuisse videtur, qui Vulgatam editionem ab omni etiàm errore immunem esse contendunt, cui sententiæ plerosque Hispaniæ Theologos ætate suâ patrocinatos fuisse testatur Joännes Mariana; ità ut contrarium sentire vix ausi fuerint viri docti. Ità enim opus suum pro defensione Vulgatæ orditur; *opus molestum suscipimus multaque difficultate impeditum, periculosam aleam ac quâ nescio an ulla disputatio his superioribus annis inter Theologos in Hispaniâ præsertim majori animorum ardore & motu agitata sit, odióque partium magìs implacabili, usque eo ut à probris & contumeliis, quibus se mutuos fœdabant, ad tribunalia ventum sit, atque quæ pars sibi magìs confidebat adversarios de Religione postulatos gravissimè exercuit, quasi impios, superbos,* &c. Móxque addit viros eruditionis opinione præstantes è vinculis coactos fuisse causam dicere, haùd levi salutis existimationísque discrimine. Sed pluribus ostendit Mariana; *multa in Hebraicis & Græcis codicibus vitia esse, multa mendacia in rebus minutis, eorumque partem aliquam nòn exiguam in nostrâ editione Vulgatâ exstare.* Similitèr Petrus Lopez, Theologus Hispanus, in libro quem scripsit de concordiâ sacrarum editionum Hebraicæ & Græcæ, LXX cum Vulgatâ Græcam editionem nòn minùs asserit authenticam quam Vulgatam hodiernam, nævósque adhùc in hàc superesse nòn diffitetur. Eamdem quæstionem de interpretandâ Concilii Tridentini sanctione, quâ Vulgatam facit authenticam, à Patribus Societatis, quorum curæ Universitas quædam commissa fuerat, motam fuisse nos monet Leo Allatius, simúlque quid de hoc Sacra Congregatio Generalis, cui acquiescere nefas est, inquit, censuerit, profert his verbis ex Bibliothecâ Cardinalis Bisciæ; *die xvii. Januarii MDLXXVI. Congregatio Generalis S. F. L. A. S. Montald. Sixt. Caraf. censuit nihil posse asseverari quod repugnet Vulgatæ Latinæ editioni, etiàm quòd esset sola periodus, sola clausula, vel membrum sive vox, vel dictio sola, vel syllaba, Iötave unum, & acritèr reprehendit Vegam qui libro xv. de Justificatione capite ix. tàm audactèr loquutus est.* Sed statutum illud Congregationis Cardinalium quòd editum nòn fuit, nunquàm vim Legis obtinuisse etiàm in Italiâ manifestè probant ea omnia quæ Illustrissimus Cardinalis

Joän. Mar. pro defens. Vulg.

Petrus Lop. lib. 2. Conc. Ed. Madrit.

Leo Allat. animad. in antiq. Etrusc.

Diversa de Latino Interprete etiàm Romæ judicia.

lis Palavicinius adversùs P. Paulum, qui de Tridentinis Episcopis loquutus fuerat quasi ipsi Latinum Interpretem sanctione suâ approbando de ceteris editionibus detraxissent. Longè aliam Synodi mentem fuisse pluribus ostendit Palavicinius, & in explicatione vocis *authenticum* nobiscum perfectè consentit declarans Concilii Tridentini Antistites decreto suo Vulgatam editionem ab omnibus mendis nòn repurgâsse. Cùm adhùc castigari possit, imò & alia interpretatio quæ sit accuratior haberi queat. Nec aliud de eâdem Vulgatâ senserat longè anteà Guilelmus Lindanus qui errores aliquos in eâ animadvertit, quos nòn in Librarios tantùm, sed & in ipsum Interpretem regerit. Verùm præ omnibus audiendus est Franciscus Lucas Brugensis, testis in hâc materiâ, in quam penè omne studium suum contulit, locupletissimus. Is igitùr in Epistolâ Dedicatoriâ quam præmisit notationibus suis in Biblia, quibus variantia in diversis exemplaribus loca diligentissimè annotavit, sic loquitur; *quod nobis objectant alii, cùm vetus editio Latina à Tridentino Concilio probata atque authentica probata sit, nullâ ampliùs opus esse castigatione, ridiculum prorsùs est. Neque enim Concilium editionis hujus exemplaria erratorum expertia esse judicavit; neque etiàm certum aliquod editionis exemplar sequendum omnibus proposuit; sed editionem ipsam ceteris quæcunque exstant Latinis editionibus prætulit & authenticam definivit.* Quibus consonant Vulgatæ editionis Correctiones quæ diversis temporibus jussu Sixti V. & Clementis VIII. Pontificum accuratæ sunt. Ille veritus nè in priscum illud chaos editionum de quo loquitur Hieronymus redeamus, testatur se viros delegisse Scripturarum, Theologiæ & linguarum multarum peritos, necnòn diuturno variarum rerum usu acríque judicio ac solertiâ præstantes, qui antiquam editionem Latinam ad vetustissimos codices Latinos & Patrum Enarrationes corrigerent; in iis verò quæ neque codicum, neque Doctorum consensu satìs munita videbantur ad Hebræa Græcáque exemplaria juxta Hieronymi & Augustini consilium recurrerent. Monet tamen Sixtus id parcè faciendum esse nè quæ longo usu recepta sunt, fluctuent. Ac

Lind. de opt. gen. interpr.

Franc. Luc. Brug.

Bulla Sixti V. seu Præfat. in Edit. Vulg.

 demùm

demùm constitutione suâ decernit ut illa editio ab omnibus recipiatur, tanquàm illa quam Tridentina Synodus authenticam declaravit: eamdémque proponit ut veram, legitimam, indubitatam & in omnibus publicis privatísque disputationibus, lectionibus, prædicationibus & explanationibus recipiendam. Vetat præterea nè in posterum Biblia Vulgatæ editionis publicentur, quæ suæ nòn conformata pacem Ecclesiæ conturbent, & statuit ea nullam fidem nullámque auctoritatem habitura esse quæ suæ editioni nòn consenserint. Hactenùs Sixtus V. qui etiàm testatur, quò res ista magis incorruptè perficeretur, suâ seipsum manu correxisse, siquæ confusa, aut facilè confundi posse, videbantur. *Aliorum quidem*, inquit, *labor fuerit in consulendo; noster autèm in eo quod ex pluribus esset optimum deligendo.* Itá ut hæc Bibliorum editio Sixti nomen haùd immeritò prætulerit.

Id tamèn impedimento nòn fuit cùr aliam & ab hâc diversam Bibliorum editionem aggressus fuerit Clemens VIII. qui ab initio Bullæ suæ affirmat Bibliorum sacrorum Vulgatæ editionis textum summis laboribus ac vigiliis à se restitutum, ac quàm accuratissimè mendis expurgatum. Sed nòn itá est expurgatus quin adhùc multa expurgari potuisse asserat auctor præfationis quæ præmittitur editioni Bibliorum ejusdem Clementis. *In hâc tamen*, inquit, *pervulgatâ lectione sicut nonnulla consultò mutata, ita etiàm alia quæ mutanda videbantur consultò immutata relicta sunt.* Prolixum esset annotare loca omnia quæ ab his Pontificibus Sixto V. & Clemente VIII. castigata sunt. Siquis tamèn illa cognoscendi studiosus fuerit, adeat libellum quem Thomas Jamesius maligno animo sub hâc Inscriptione literis sesquipedalibus in Angliâ edidit; *Bellum Papale, sive concordia discors Sixti V. & Clementis VIII. circa Hieronymianam editionem:* ubi etiàm interdùm utriusque editionis lectiones cum Lovaniensi confert. Sed in hoc potiùs laude digni sunt summi illi Pontifices quàm vituperatione, qui omne studium suum & industriam contulerunt ut veterem Interpretem quàm accuratissimum & ad vetustos codices recognitum

Bulla. Clem. 8.

Præfat. ad edit. Clem. 8.

Notatur Tho. Jamesius.

tum haberemus. Jàm ante illos eidem correctioni operam suam dederant qui Bibliis Complutensibus præfuêre. Habemus quoque Roberti Stephani in eamdem Vulgatam castigationes: & Theologi Lovanienses nòn veriti sunt post Concilii Tridentini decretum Criticas suas animadversiones ad diversas lectiones ad oram codicis Vulgatæ, quam edi curaverunt, referre. Sed sola nùnc obtinet apud omnes Clementis VIII. recognitio, quam clarissimus Vualtonus ceteris omnibus antepositam Polyglottis Anglicanis inserùit.

Cardin. Ximenes.
Rob. Stephanus.
Theologi Lovan.

CAP. XXI.

De translationibus Scripturæ sacræ quæ in usum Ecclesiæ Orientalis cesserunt, ac primùm de Syriacis; deinde de Arabicis, Copticis, Æthiopicis, Armeniis, &c.

Ecclesia Orientalis versiones undè sumptæ.

SIcuti Religionis Christianæ exordia à Græcis ad ceteras deindè orbis Orientalis nationes transierunt, ità & Græca LXX Interpretum versio in illarum omnium linguas translata fuit, nec aliam præter Græcam LXX Scripturam gentes illæ cognovisse videntur exceptis Syris, de quibus hæc habet Scriptor Arabs Gregorius Abul-Pharajius. *Hæc Septuaginta versio illa est quæ recipitur à nostris Doctoribus, eadémque est in manibus Græcorum & aliarum sectarum Christianorum exceptis Syris, maximè Orientalibus. Horum siquidèm exemplar, quod simplex appellatur, consentit cum exemplari Judæorum. Occidentales verò duas habent versiones, simplicem quæ ex Hebræo translata est in Syriacum post adventum Christi Domini tempore Addæi Apostoli; vel, ut aliis placet, ante illum tempore Salomonis filii Davidis & Hirami Regis Tyri; & Septuaginta translatam ex Græco in Syriacum longo tempore post Christi adventum.* Etsi quæ affert Abul-Pharajius de duplici apud Syros versione sint vera; suppositia tamen esse nemo negaverit illa quæ refert de tempore quo primùm apud illos condita sit ex Hebræo in Syriacum Scripturæ translatio. Quià verò insulsum prorsùs erat Salomoni tribuere quosdam Scripturæ libros qui eo posteriores sunt, Jesudad Episcopus Hadriensis id solùm restrinxit ad libros Mosis, Josuæ, Judicum, Ruthæ, Samuëlis, Davidis, Proverbiorum, Ecclesiastæ, Cantici Canticorum atque Jobi; reliquos verò libros veteris

Greg. Abul-Phar. Dyn. 6.

De translationibus Syriacis

Jesudad.

teris Testamenti simùl & novi, Thaddæi & aliorum Apostolorum curâ, Abgari regis Edessæ tempore, in Syrum sermonem conversos: licèt, teste eodem Jesudado, nonnullis visum fuerit vetus Testamentum à sacerdote quodam Samaritano in dialectum Samaritanam translatum fuisse. Sed hæc a fabulâ minùs absunt quàm ab historiâ; quippe unicum Pentateuchum in linguam suam, quæ vix differt à Syriacâ, transtulerunt. Deindè sermo Syricus, quo usi sunt Apostoli, præsertìm in Judæâ, longè alius est quàm Syricus ille quo tàm vetus quàm novum Testamentum conscriptum est. Ebed-Jesu Metropolita Sobensis inter Scriptores Syros recenset quemdam nomine Mar Aba, seu Dominum Aba, cognomento Magnum, qui totum vetus Testamentum ex Græco sermone in Syriacum verterit: sed, ut rectè animadvertit Abraham Ecchellensis, ante hunc Mar Abam aliam exstitisse veteris Testamenti ex Græco LXX Interpretum versionem, probari potest ex Commentariis Jacobi Nisibensis & B. Ephrem. Constat præterea Syros Græcam LXX editionem, qualis ab Eusebio cum obelis & asteriscis ex Origenis Hexaplis descripta fuerat, in linguam suam convertisse, seu potiùs Syram interpretationem, quæ ante illa tempora in Ecclesiis Syriæ legebatur, ad Origenianum exemplar accommodâsse. Multos habuit ejusmodi librorum doctissimus Masius, quos publici juris nòn fecit, exceptâ Josuë Historiâ ab eo Græcè editâ cum asteriscis, obelis, aliisque Grammaticorum notis, quas in suam editionem invexerat Origenes. Patres etiàm cùm Græci tùm Latini interdùm meminère Syri codicis, seu versionis Scripturæ quæ Christianis Syriæ usui esset, ubi diversas à Vulgatis codicibus illius lectiones annotant.

Ebed-Jesu in catal. Script. Chald.

Abrah. Ecchel Not. in Ebed-Jesu.

Masius in Jos.

Exemplar illud Syriacæ versionis quod in Polyglottis Parisiensibus & Anglicanis editum fuit, ex Hebræo contextu sumptum est & quibusdam in locis ad Græcum LXX reformatum; ità ut nòn omninò exhibeat antiquam illam versionem quam Syri simplicem appellavère. Penè quidèm ad verbum ex Judæorum codice hæc translata fuisse videtur, adeò illum in plerisque locis perfectè exprimit. Sed Syrorum scribæ qui, linguæ Hebrææ ignari, contextum Hebræum undè illa derivata fuerat, consulere nòn potuerunt, in multos errores, qui tamèn partem maximam etiàm absque ope codicum MSS. facilè corrigentur,

rigentur, lapsi sunt. Nòn is tamèn sum qui Syrorum Librarios totiès erroris accusandos censeam, quotiès cum Judæorum codicibus nòn conveniant; cùm etiàm Judaica exemplaria variaverint: sed de iis tantùm erroribus in præsentiâ loquor, qui extra controversiam à Scribis Syrorum profecti sunt. Miror Anglos in suis Bibliis multos illius generis reliquisse. Quis enim, ut longè plurimos sileam, ferat in versione Syriacâ, capite xiv. Geneseos, ubi in Hebræo legitur *Gojim*, id est, *Gentes*, legi in Syriaco *Geloje*, undè Latinus Syriaci Interpres insulsè prorsus fecit populos nomine *Gelitas*. Similitèr libri ejusdem capite xxii. ubi exstat secundùm exemplar Hebræum *Moria*, in Syro legitur *Omouroje*, ex quo Interpres Amorrhæos fecit, quasi ibi ageretur de populis Amorrhæis: sed ejusmodi errores Scribis ex parte, & ex parte illis qui puncta quæ in linguâ Syriacâ nòn minùs quam in Hebræâ vocalium vices supplent, translationi Syriacæ adjecerunt, tribuendos existimo. Eodem modo Geneseos capite xxxii. Syri qui dictionem Hebraicam *nasche* minimè intellexerunt ex eâ fecère *Genesio*, ac demùm Interpres Latinus Syriacæ versionis transtulit *nervum muliebrem*: ità ut etiàm in Lexico Syriaco Ferrarii Romæ edito vox *Genesio* cum aliis Syricis appareat, quæ tamèn ex Hebræo corrupta videtur, nec reponenda inter vocabula Syriaca. Sed istis & aliis ejusdem naturæ sexcentis supersedeo. Id solùm animadversione dignum est longè sæpiùs Syros Scribas in describendis Syriacis exemplaribus erràsse quàm Judæos qui linguam Hebræam calluerunt. Hâc ratione Josuæ ix. pro Hebræo *Rex Basan* in Syro exstat Rex *Mathnin*, quæ lectionum diversitas venit ex eo quòd Syrus Scriba nòn distinxerit inter literas *b* & *m*. Eadem est ratio ibidèm vocabuli *Kiriath jaärim*, pro quo in versione Syriacâ legitur *Kiriath Naärin*, & in Latinâ interpretatione *Civitas Naärin*. Paritèr capite vii. libri Judicum exstat *Nedubaal* pro *Jerubaal*, & capite xi. *Nephtha* pro *Jephtha*, & sic innumera quæ prætereo, quandoquidèm facilè restitui possunt. Quare de Syricis exemplaribus quæ edita sunt illud optimo jure affirmare possumus quod olìm Hieronymus de Græcis LXX codicibus affirmavit; *nòn tàm Hebræa quàm barbara quædam & Sarmatica esse nomina.*

Hier. præf. in Paral.

Possem

Possem etiàm ea indicare loca quibus Syrus Interpres relicto Judæorum codice Græcam LXX Interpretum versionem sequitur: quæ tamèn interpretationis varietas in Scribas potiùs refundi debet, qui Syriacam translationem aliis exemplaribus Syricis vel Arabicis, quæ ex Græcâ editione sumpta fuerant, conformârunt. Itâ capite ii. Geneseos in Syriaco æquè ac in Græco legimus *die sexto*: at in Hebræo exstat *die septimo*, & lectionem hanc contextûs Hebræi antiquissimam esse probat Hieronymi animadversio in hunc locum. Similitèr capite iv. Geneseos hæc clausula, *eamus in campum*, ex Græcâ LXX versione in Syriacam translata est, eàmque jàm suo tempore abfuisse ab Hebræis codicibus testatur quoque Hieronymus. Demùm Geneseos capite viii. ubi de corvo fit mentio quem Noachus dimisit ex arcâ, æquè in Syriaco ac in Græco LXX legimus corvum istum in arcam reversum nòn fuisse; sed particula negans in contextu Hebræo nòn reperitur, neque etiàm in eo illam exstitisse tempore Hieronymi ex illius scriptis facillimè probari poterit. Ex quibus cognoscere est versionem illam quam Syri simplicem appellant à priscâ simplicitate suâ multùm degenerâsse, & mixtam potiùs nùnc vocandam esse quàm simplicem. Variationes, quæ ex diversâ numerorum notatione ortæ sunt, prætereo; putà libri Judicum capite xvi. pro eo quod in Hebræo & in Vulgatâ legimus 1100. exstat in versione Syriacâ 1300. Libri i. Samuëlis capite vi. pro numero 50070. qui legitur in Hebræo, Græco & Latino, exstat in Syro duntaxàt 5070. Sed nemo nescit frequentissimas esse in omnibus libris ejusmodi numerorum diversitates. Alia sunt diversitatum exempla majoris momenti in translatione Syriacâ, eæ scilicèt quæ sensum omninò mutant, quales sunt nonnullæ in libro Josuë, præsertìm ubi Tribui cuilibet Israëlitarum sua terræ portio assignatur. Alia etiàm deprehenditur in codice Syrorum mutatio qui plerasque Psalmorum Inscriptiones, quæ in Hebræo contextu reperiuntur, abstulerunt ut alias substituerent. Idque ex eo videtur ortum quòd antiquitùs initio Psalmi cujuslibet Κεφάλαιον, sive *Summarium*, in quo erat Psalmi argumentum, præmitteretur; sícque factum est ut Judaicæ Psalmorum Inscriptiones, quæ Psalmos ad mentem Syrorum nòn explicabant, sublatæ fuerint, earúmque locum illæ

quæ

quæ à Syris Doctoribus adjectæ fuerant, occupaverint.

De linguâ Syriacâ variísque illius dialectis nihil dicam in præsentiâ, quandoquidem argumentum illud eruditè pertractârunt viri multi. De iis solùm nobis agendum est quæ Syrorum translationem spectant. Itaque quod anteà observavimus de Judæorum codicibus quibus Doctores Judæi è Scholâ, ut vulgò creditur, Tiberiensi puncta quæ locum vocalium supplent, adjecêre, illud idem nùnc venit annotandum de Syriacis exemplaribus in quæ Doctores Syri puncta vocalia quæ modò in iis apparent, invexerunt. Errat itaque Vualtonus qui existimat Gabrielem Sionitam Maronitam è monte Libano primùm exemplari Syriaco puncta vocalia inseruisse. *Primus*, inquit de isto Gabriele loquutus, *illud punctavit & Latinam ejusdem interpretationem adjunxit; anteà enim MSS. omnia punctis vocalibus vel prorsùs destituta erant, vel si in unâ dictione punctum aliquod vocale notatum esset, in aliâ erat omissum, prout in exemplaribus MSS. hodiè videmus, una etiàm ejusdem dictionis syllaba aliquandò notata, alia nuda erat.* Hæc quidèm ex parte vera esse nòn diffiteor quià Syriaci codicis manu exarati alii plus alii minus punctorum exhibent pro Librariorum arbitrio qui præcipua quidèm nòn omittunt. Sed incidi in MSS. codices qui omnia perfectè repræsentarent. Testatur quoque Abraham Ecchellensis, Maronita etiàm è monte Libano, penes se fuisse libros aliquos scriptos Syriaco sermone ante trecentos & quadringentos annos cum omni punctorum apparatu. Deindè in plerisque codicibus nòn omittuntur puncta nisi ea quæ lectioni vix utilia sunt, quæque facili negotio inter legendum suppleri possunt. Ut videre est in Syriacâ novi Testamenti editione, quam primus juris publici fecit Vuidmanstadius, quæque aliqua ejusmodi punctorum minùs necessaria omittit. In hoc igitùr laudanda nòn est Gabrielis Sionitæ, viri doctissimi, industria quòd primus Syriacis exemplaribus puncta addiderit: sed in hoc potiùs laudandus quòd longè plurimos errores qui in ejusmodi codicibus MSS. vulgò exstant labore improbo correxerit; etiàm si hâc in parte illa editio nòn videatur omninò absoluta ac perfecta.

Abr. Ecchel. not. in Ebed-Iesu.

Minoris adhùc auctoritatis esse videntur translationes Arabicæ, quæ leguntur hodiè à Christianis qui degunt in Oriente; nec tantam præ se ferunt antiquitatem quàm Syriacæ: pleræque enim illarum

De translationibus Arabicis.

illarum apud Syros, cùm Jacobitas & Maronitas, tùm Nestorianos ex eo potissimùm tempore vulgatæ fuerunt, quo lingua Syriaca nòn ampliùs ipsis fuit vernacula, postquàm scilicèt sub ditione Saracenorum fuerunt, qui linguam Arabicam in illorum regiones introduxêre. Copti etiàm, sive Christiani qui Ægyptum incolunt, sua habuêre Biblia scripta antiquo sermone Coptico, quæ adhùc retinent; sed quià perpaucis cognita erat lingua illa Coptica novas versiones Arabicè concinnare quæ ab omnibus intelligerentur necesse fuit. Ità ut plerique eorum libri qui Ecclesiarum usui inserviunt Copticè simùl & Arabicè descripti conspiciantur. Itaque verisimile est Syros ex sermone Syriaco in Arabicum Scripturam sacram convertisse, cujusmodi sunt exemplaria illa Arabica ad quorum calcem legimus versionem Arabicam ex Hebræo sumptam fuisse, id est ex translatione illâ Syriacâ quam Syri vocant simplicem. Simili ratione dixerimus exemplaria versionum Arabicarum, quæ Græcos LXX codices sequuntur, nòn tàm ad Græcum LXX Interpretum expressos fuisse quàm ad Syriacum sermonem qui ex Græco desumptus fuerat, etsi credibile sit sectam illorum qui Melchitarum nomen reportârunt ex Græcis codicibus versionem suam, sicùt & alios plerosque libros qui eorum usui deserviunt, hausisse. Utrùm autem ante illa tempora fuerit versio aliqua Scripturæ nùnc nòn inquiro, cùm certum sit plerasque populorum qui Orientis regiones incolunt sacri contextûs versiones eas nòn esse quæ priscis temporibus apud illos obtinebant. Jàm si versio illa Arabica, quæ in Polyglottis Parisiensibus & Anglicanis edita est, penitiùs introspiciatur, reperietur admodùm imperfecta mendisque & erroribus scatens. Ità liber Josuë Arabicus, licèt in fine illius dicatur ex Hebræo conversus, ex Græco tamèn & Hebræo, seu potiùs ex Syro, mixtus conspicitur. Prætereà translationis istius auctor Paraphrastam interdùm se ostendit, nòn Interpretem, sensúmque sui contextûs mutare ipsi nulla est religio. In libro Paralipomenon exstant nomina Turciæ, Græciæ, Chorasan, Sclavoniæ, Franciæ, Cypri, & alia similia. Nòn omnia tamèn versionis istius vitia Interpreti Arabi tribuenda sunt, cùm pleraque haùd dubiè à Scribis profecta fuerint. Ità perquàm insulsè in versione Arabicâ legitur Josuë xi. *Nabin Rex Cæsareæ*; cùm in He-

A a braeo

bræo contextu & in antiquis interpretationibus legatur *Jabin Rex Hasor*. Iterúmque in eadem versione mòx habetur Josuë expugnâsse urbem Cæsareæ, quæ aliarum urbium caput fuerit; & capite tertio libri Judicum loco Hebrææ vocis *Pesilim*, quæ significat *Idola*, in Arabico reponitur *Palæstina*. Denique nonnulli etiàm errores in exemplaria Arabica irrepserunt ob punctorum vocalium inconstantiam; nòn minùs enim desunt linguæ Arabicæ ejusmodi puncta quàm linguis Hebraicæ & Syriacæ.

De Coptorum versionibus.

Copticæ Bibliorum versiones, quæ antiquitùs à Christianis illis qui Ægyptum incolebant, concinnata sunt, videntur esse melioris notæ quàm Arabicæ. Majorem enim illæ præ se ferunt antiquitatem: &, si P. Kirchero credamus, penes quem fuêre aliquot ejusmodi versionum exemplaria, ad tempora ferè Concilii Niceni illas referemus. Sed, quicquid sit de illarum antiquitate, certum est illas in Ægypti Ecclesiis lectas fuisse longè ante Arabicas, quæ ex iis derivatæ sunt. Nomen illud Coptus, vel ut aliis placet Cophtus, suam videtur originem ducere ex urbe ejusdem nominis, quæ olìm Thebaidis Metropolis fuit, cujúsque meminerunt Strabo & Plutarchus: verisimile quoque linguam illam Copticam vetustam esse Ægyptiorum linguam, nòn puram quidèm, sed aliquid habens admixtionis ex Græco, ab eo potissimùm tempore quo sub Macedonum ditione fuerunt: ità ut etiàm antiquos linguæ suæ characteres in Græcos, quos adhùc ex parte retinent, mutaverint. Quià verò lingua illa paulatìm desiit esse vernacula penésque viros solùm qui habebant aliquid eruditionis remansit, tùm Ægyptii Doctores libris, qui in Ecclesiâ legebantur Coptico sermone, utì suprà animadversum fuit, explicationem Arabicam, postquàm in potestatem Saracenorum venerunt, adjecêre. Linguæ etiàm illius Copticæ Lexica habent & Grammaticas, quæ publicavit P. Kircherus, ex quibus cognoscere est priscam illam linguam Coptorum præter voces Græcas quibus alterata fuit sub Græcis Principibus, retinere etiàm aliquid linguæ Arabicæ. Versionem autem illam Copticam à Græcâ LXX Interpretum translatione desumptam fuisse dubitari nequit, cùm Judæi soli antiquitùs, demptis quibusdam Syriæ Ecclesiis, contextum Hebraicum aut versiones ad illum adornatas, legerint.

Interpretatio Æthiopica.

De versione Bibliorum Æthiopicâ sermone Æthiopico con-

scriptâ perpauca annotabimus. Hæc siquidem, ut & alii fermè omnes libri, qui Æthiopum Ecclesiis leguntur, ex linguâ Copticâ in Æthiopicam translata fuit. Biblia itaque Æthiopica eadem sunt atque Coptica in sermonem Æthiopum conversa. Neque etiàm alium gentis Patriarcham agnoscunt Æthiopes, à quo dependeant, quàm illum qui dignitatem Patriarchæ Alexandrini sibi arrogavit: ab Ægyptiis, seu Coptis, ritus Ecclesiarum suarum mutuati sunt. Lingua autèm Æthiopica vetus, quâ suam Bibliorum interpretationem descriptam habent, nonnihil habet admixtionis ex linguâ Hebræâ, Arabicâ & Chaldæâ; sed ex hâc præsertìm, adeò ut ipsi Æthiopes linguam suam etiàm appellent Chaldaicam, sive Babylonicam; quasi eadem sit atque pura illa & antiqua Babylonica, à quâ tamen multum discrepat. Nòn parùm tamèn ab hâc differt recens sermo Æthiopicus, qui Æthiopibus nùnc est vernaculus. Punctis vocalibus Hebræorum, Chaldæorum, Syrorum & Arabum more nòn utuntur; sed litera quælibet consonam & vocalem simul componit, quod genti illi speciale est.

Nihil omninò antiquæ versionis illius Persicæ, cujus prisci Ecclesiæ Patres meminerunt, superesse verisimile est, quæ etiàm extra controversiam ex LXX interpretatione desumpta fuerat. Vetus quoque lingua Persica multum admixtionis recepit ex illius cum Arabicâ confusione, à quâ nomina artium & disciplinarum ferè omnia mutuata est, simúlque characteres Arabicos deperditis antiquis suis literis, quæ adhuc in monetis quibusdam conspiciuntur. Versio autèm illa partis alicujus sacrorum codicum, quæ ætate nostrâ edita est, nòn multi æstimanda videtur, quia nupera est. Versio Persica.

Si Doctoribus Armeniis velimus credere, quam nùnc legunt in suis Ecclesiis sermone Armenio Bibliorum versio, nòn à Joänne Chrysostomo, ut nonnullis visum est, ex Græco in Armenium facta est; sed à gentis suæ Doctoribus qui literis Græcis operam dederant, maximè à quodam Moyse cognomento Grammatico, & à Davide qui vulgò Philosophus appellabatur, ídque contigit circa Joännis Chrysostomi tempora. Negant similitèr Armenii eumdem Joännem Chrysostomum characterum Armeniorum auctorem esse, sed hos tribuunt homini cuidam solitario nomine Mesrop, qui eos invenit Armeniorum translatio.

 venit

venit in urbe Balu nòn longè ab Euphrate, qui vivebat ſimilitèr circà tempora B. Joännis Chryſoſtomi. Sed quià vix reperiebantur exemplaria integra ejuſmodi Bibliorum, eáque admodùm carè conſtabant, ætate noſtrâ Jacobus Caractri Armeniorum Patriarcha in Europam miſit Uſcanum Yuſchuauanchi Epiſcopum, ut Biblia Armenia illius curâ & induſtriâ typis mandarentur, & reâpſe vetus ac novum Teſtamentum linguâ ac charactere Armeniis editum eſt Amſtelodami anno MDCLXIV. Conſtat autèm hanc interpretationem Armeniam, ídque ex illius Epiſcopi Armeni ore didici, ſumptam fuiſſe ex Græcâ verſione LXX Interpretum.

Moſcovitarum, Georgian. & aliorum populorum verſiones.

Denique Moſcovitæ, Iberi, ſeu Georgiani, populi quoque qui Colchidis regiones incolunt, ſuas etiàm habent contextûs ſacri verſiones, & nòn ità pridèm Biblia ſermone & characteribus Moſcoviticis edita ſunt. Has autèm omnes ex Græco derivatas fuiſſe dubitari nequit, cùm gentes illæ fidem Chriſtianam ritúſque Eccleſiarum ſuarum à Græcis hauſerint. Sed de Bibliis nationum Orientalium ſatìs ſupérque.

CAP.

CAP. XXII.

De recentioribus Bibliorum Versionibus, ac primum de Latinis quæ à Theologis Catholicis conditæ fuerunt.

QUanquàm Franciscus Ximenius de Sineros Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus nòn aliam in Bibliis suis Complutensibus versionem Latinam, quæ contextum Hebræum exprimeret quàm Vulgatam, seu Hieronymianam, posuerit, dignus tamèn est qui inter Catholicos Scripturæ sacræ Interpretes recenseatur: primus enim publici juris fecit in ornatissimo illo opere Paraphrasim Chaldaicam in quinque libros Mosis cùm interpretatione Latinâ ad verbum, simúlque Græcam LXX versionem in omnes libros veteris Testamenti cum translatione Latinâ interlineari. Et quià nòn in omnium manibus versantur Biblia illa Complutensia, abs rè nòn erit hìc referre quale fuerit doctissimi illius Cardinalis propositum in novâ illâ Bibliorum editione. Scribens in fronte operis sui Leoni X. asserit uniuscujusque idiomatis suas esse proprietates verborum, quas translatio quantumvis perfecta nòn possit exprimere, idque maximè linguæ Hebraicæ proprium esse. Et mòx hæc subjungit; *accedit quod ubicunque Latinorum codicum varietas est, aut depravatæ lectionis suspicio, ad primam Scripturæ originem recurrendum est, sicut B. Hieronymus & Augustinus ac ceteri Ecclesiastici tractatores admonent, ità ut librorum veteris Testamenti sinceritas ex Hebraicâ veritate; novi autèm ex Græcis exemplaribus examinetur.* Sed quis credat Cardinalem illum, qui tàm magnificè de codicibus Hebræis loquitur, mòx in aliâ epistolâ, quæ est ad Lectores suos, de eâdem illâ veritate Hebraicâ pessimè detrahere? ità ut liceat suspicari hæc ab aliis suggesta fuisse. *Medium*, inquit Cardinalis ille, *inter has* (nimirùm

Biblia Cardin. Ximenii.

Anno. 1515.

Cardin. Ximen. Prol. ad Leon. P.

(nimirùm veritatem Hebraicam & versionem LXX) *Latinam B. Hieronymi translationem velùt inter Synagogam & Orientalem Ecclesiam posuimus, tanquàm duos hinc & inde latrones; medium autèm Iesum, hoc est Romanam Ecclesiam, collocantes. Hæc enim sola supra firmam petram ædificata, reliquis à rectâ Scripturæ intelligentiâ deviantibus, immobilis semper in veritate permansit.* Indigna prorsùs Cardinale Sanctæ Romanæ Ecclesiæ comparatio, quam tamèn Nicolaus Ramus Theologus similitèr Hispanus & Episcopus Cubensis in opus suum de Vulgatâ transtulit.

Id. Cardin. Prol. ad Lect.

Nicol. Ram. in assert. Vulg.

Santes Pagninus, è Sancti Dominici familiâ, primus novam sacri contextûs versionem ad codices Hebræos publici juris fecit anno MDLXXVII. cum duabus in fronte epistolis Adriani Sexti & Clementis Septimi, summorum Pontificum, qui hanc Bibliorum editionem auctoritate suâ communiunt. Jámque anteà Leo X. consilium Pagnini de parandâ ad Hebræos fontes novâ Bibliorum interpretatione haùd improbaverat. Constat tàm ex Epistolâ quam Franciscus Picus scripsit Pagnino, quàm ex ipsomet Pagnino, eum annos saltèm triginta in concinnandâ illâ interpretatione Latinâ collocâsse; ità ut Judæis ipsis suæ ætatis accurata & sermonem Hebraicum aptissimè reddens visa fuerit. Sed de illâ alitèr judicârunt viri inter Catholicos primarii: hanc siquidèm ità describit Genebrardus; *minùs diligens, nimis ambitiosa, nimis curiosa, nimis Grammatica, nimiùm Rabbinicarum minutiarum æmula, quæque recentium præceptionum subtilitate noxam sinceritati & sententiarum & rerum sæpiusculè afferat: unde nec satìs interdùm cohæret cum veterum Hebræorum doctrinâ.* Et hæc exemplis aliquot confirmat Joannes Mariana, qui contendit fidei nostræ mysteria aliquando Pagninum evertisse dùm ab Hieronymi versione longiùs discedit: sicuti capite ix. Jobi, ubi Hieronymus vertit, *rursùm circumdabor pelle meâ*, indéque resurrectionem corporum probat, Pagninus transtulit, *postquàm pellem meam contriverunt:* & in primâ versionis suæ editione adhùc obscuriùs interpretatus fuerat, *& post pellem meam contritam vermes contriverunt hanc carnem*, verbis nonnullis additis, quæ nòn exstant in Hebræo. De illâ tamèn Santis Pagnini interpretatione diversùm planè à Genebrardo, Marianâ, aliísque viris eruditissimis, quos silentio prætereo, judicium tulit D. Huëtius, qui de Pagnino sic loquitur; *perfectæ propemodùm & absolutæ sanctorum voluminum interpretationis exemplum*

Santis Pagnini versio.

Genebr. præf. in Orig. op.

Huet. de Clar. Interp.

plum dedit. Verùm in multis à Pagnino erratum fuisse manifestum est. Primò enim profitetur se à Latino Interprete nunquam discessurum, nisi in locis ubi necesse fuerit: tamèn sæpiùs hunc deserit absque ullâ prorsùs necessitatis ratione, ut Kimchium alióſque recentiores Judæorum magistros sequatur. Quomodò initio Geneseos quid causæ erat ut pro his verbis quæ exstant in editione Vulgatâ, *Spiritus Dei ferebatur super aquas*, ipse redderet, *Spiritus Dei superflabat in superficie aquarum*, nisi quòd ità interpretatus esset Chaldæus Paraphrastes & aliqui post hunc Judæorum Magistri. Iterùm quis ferat ejusdem Pagnini versionem capite vi. Geneseos, qui pro verbis istis, quæ exstant in editione Latinâ, *nòn permanebit spiritus meus*, reposuerit, *nòn erit ut in vaginâ spiritus meus.* Voluit exprimere nòn solùm verbi Hebræi sensum, sed & Etymologiam illius, eodem modo quo Kimchius illam reddiderat: quare ineptum planè & contentiosum, ut olim Aquila, interpretem se ostendit, adeò barbarè loquitur. Sic ubi Latinus Interpres habet, *producant aquæ reptile*, ipse vertit, *repere faciant aquæ reptile*, & in aliâ editione, *reptificent*, &c. Gen. 1. 20.
Sensum etiàm interdùm contextûs Hebræi nòn assequitur; ità optimè Latinus Interpres vertit quæ habentur in Hebræo Nehemiæ VIII. *legerunt in libro in lege Dei distinctè*; verùm Pagninus Nehem. 8. 8.
ità reddidit absque ullo sensu, *legerunt in libro in lege Dei expositi*: quo loco secum ipse nòn consentit; nàm in Dictionario alitèr verba illa interpretatur. Cetera quæ notari possent in Pagnini versione, quià nolo esse longus, prætereo.

Novæ Bibliorum versionis auctor nòn fuit Arias Montanus, Ariæ Montani Biblia.
cui satis fuit Pagnini translationem aliquot in locis castigare. Sed quià nudas Grammaticæ Hebrææ præceptiones sæpiùs respexit, vix rebus ipsis attentus, Pagnini barbariem ex pravâ affectatione superavit. In eo totus occupatur ut voces Hebraicas ad verbum exprimat, sensum illarum pro locorum ratione minimè curans. Ità capite ix. Exodi, ubi Pagninus nòn malè Exod. 9. 30.
verterat, *novi quià nondùm timeatis*, castigator Arias Montanus reddit, *novi quià antequàm timeatis.* Dictio scilicèt Hebraica *terem* modò *priusquàm*, modò *nondùm*, pro locorum diversitate, significat: quæ dùm nòn attendit Arias, illam eo sensu qui sibi primo obvius est, reddit. Sexcenta ejusmodi in hâc tran-

translatione reperias, quibus consultò supersedeo. Quis quæso intelligat Ariæ interpretationem Psalmo cx. ubi pro verbis istis, quæ legimus in Vulgatâ editione, *tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec*, & in versione Pagnini, *secundùm morem Melchisedec*; Arias reddidit, *tu es sacerdos in sæculum super verbum meum Melchisedec.* Illum quidèm vindicare conatus est D. Huëtius, neque dubitavit eum appellare fidissimum Interpretem, qui verbis contextûs sui pressiùs adhærens imperitorum calumnias contemptui habuerit: sed ille profectò Interpretis nomine dignus nòn videtur, qui sensum Scriptoris quem reddit nullatenùs exprimit. Dignus tamèn est Arias Montanus qui laudetur à viris omnibus eruditis ob immensum illud opus ac *vere Regium* Polyglottorum Antuerpiensium, cui jussu Philippi II. præfuit, quódque suffragiis suis etiàm approbârunt plurimi Theologi Parisienses, quorum testimonium hìc referam. *Sacra Biblia Philippi II.* &c. *Hebraicè, Syriacè, Græcè & Latinè expressa ad formam Complutensium Bibliorum olim in Hispaniâ impressorum vidimus, approbavimus, digna denique censuimus quæ à Catholicis legerentur & opponerentur falsis & impiis Hæreticorum translationbus quibus fucum imperitis linguarum facere conantur.* Approbatum quoque fuit opus illud à duobus summis Pontificibus, referente Francisco Lucâ Brugensi, illúdque vocat Gregorius XIII. in Epistolâ ad Philippum II. Hispaniarum Regem, *opus verè aureum.* Theologi quoque Hispani xlii. illud auctoritate suâ communiverant, quibus tamèn nòn obstantibus Arias Montanus apud multos Hispaniæ Theologos malè audiit, præsertìm quòd Paraphrasim Chaldæam nòn solùm in libros Mosis, utì Cardinalis Ximenius, sed & in reliquos Scripturæ sacræ libros, demptis paucissimis, edidisset. Renovavit hanc querelam Andreas de Leon Zamorensis, Clericorum Regularium minor, in Epistolâ quam scripsit ad illos qui Parisiis nova Polyglotta parabant, ubì de Paraphrasi Chaldaicâ, quæ in Bibliis Regiis edita fuerat, sic loquitur: *de Paraphrasi Chaldaicâ, quam Rabbini Thargum appellant, quid loquar? vitiata & corrupta nimis, degenerans ab illo primo nitore & candore plena Thalmudicis fabulis, impietatibus sacrilegis fœdata, in quo conveniunt omnes, & ipse Cardinalis Ximenius, ut in Præfatione Complutensi.*

Luc. Brug. de Paraphr. Chald.

Andr. de Leon Epist.

Cajetani ingenium in vertendis Bibliis rectè descripsit Melchior Canus, dùm ait illum iisdem sempèr vestigiis inhærendo per omnia

Melchior Can. de Loc. Theol. lib. 2. cap. 13.

omnia in veteri Teſtamento Hebraïcos, in novo Græcos, codices prorsùs amplexum fuiſſe. Imò Cajetanus ipſemet methodi ſui rationem in convertendis Hebraicis liberè explicat his verbis; *teſtor ego quòd inter hos labores dicebatur mihi ab Interpretibus, dictio Hebraica ſonat hoc, ſed non apparet ſenſus niſi mutetur in hoc alterum. Reſpondebam ego auditis omnibus ſignificationibus, nòn ſit vobis curæ ſi ſenſus nòn apparet, quià nòn eſt veſtri officii exponere, ſed interpretari: interpretamini ſicut jacet, & relinquatis expoſitoribus curam intelligendi.* Ingenuè fatetur Cardinalis ille à ſe quanquàm Hebraicæ linguæ imperito vetus Teſtamentum ex Hebræo converſum fuiſſe in Latinum, & ad id uſum ſe fuiſſe operâ duorum hominum, quorum unus Chriſtianus, alter verò Judæus, qui linguæ illius callentiſſimi erant: & ut ità ageret hâc potiſſimùm ratione adductum ſe teſtatur quià, *niſi textus adſit qualis eſt in ſuâ origine, jàm nòn textus exponitur niſi divinando, ſed exponitur textus ut intellectus eſt ab illo interprete.* Demùm optat ut talis interpretatio habita fuiſſet à Patribus, quantumvis mutila; *quoniam,* inquit, *jàm haberemus expoſitum textum ipſum ſacræ Scripturæ & non textum confectum Interpretum arbitrio.* Sed perfectàm illam & modis omnibus abſolutam interpretationem aſſequi nòn poterat Cajetanus, qui ſcribit omnes ferè dictiones Hebræas eſſe *æquivocas.* Auſim tamèn affirmare doctiſſimum illum Cardinalem, etſi linguæ Hebrææ prorsùs ignarus eſſet, contextûs ſui verba nòn infelicitèr expreſſiſſe, atque in illius verſione longè minus eſſe barbariei quàm in Ariæ Montani tranſlatione. Judicium quidèm illius de antiquis Interpretibus, ut paulò liberius, inter Hæreſes repoſitum fuit à Gabriële Prateolo, cui vili veneunt Hæreſes. Nòn parùm quoque illud diſplicuit Cardinali Palavicinio, qui in eum ſic animadvertit; *quel grand' intelletto nell' altre opere fu ammirato, in queſte per la ſciarſi egli traſportar dalla guida di chi meglio intendeva la Grammatica Hebrea, che i miſteri Divini reſtò inglorioſo.*

Cajet. præf. in Pſal.

Cajetani methodus in convertendis Bibliis.

Id Cajet. ibid.

Gabr. Prat.

Palavic. Hiſt. Concil. Trid. lib. 6. cap. 17.

Prætermitto verſionem aliquot veteris Teſtamenti librorum à Thomâ Malvendâ è Dominicanorum ordine concinnatam; in hâc enim tàm prava eſt affectatio ſenſûs Grammatici, ut nihil præter barbariem præ ſe ferat Interpres ille, & à nemine intelligi poſſet, niſi quibuſdam notulis verſionem ſuam illuſtrâſſet.

Thomæ Malvendæ methodus.

Ferendum nòn eſſe Iſidorum Clarium, cujus emendatio nihil aliud eſt quàm Interpretis veteris reprehenſio, palàm aſſerit

Melch. Can. de loc. Theol. lib. 2. cap. 13.

Melchior Canus. Pollicetur enim, inquit idem Melchior, in operis fronte veterem editionem correctam, posteà verò quàm pollicitatione hâc depellit invidiam novitatis, multa inserit, adjicit quædam, nonnulla mutat. Nòn meliùs describi poterat & ingenium & interpretatio Isidori Clarii Monachi Cassinensis, qui in plerisque locis quæ castigat in Latino Interprete ineptum se ac linguæ Hebraicæ imperitum ostendit. Hæc autèm Bibliorum editio Romæ prohibita est, & exstat in Indice librorum Prohibitorum sub hâc Inscriptione; *Vulgata editio veteris ac novi Testamenti, quorum alterum ad Hebræam, alterum ad Græcam veritatem emendatum esset diligentissimè, ut nova editio nòn facilè desideretur, & vetus tamèn hìc agnoscatur, anno MDXLII.*

Biblia Isidori Clarii.

Index Rom. lib. Prohib.

Denique sub Vatabli nomine multa Bibliorum exemplaria Latina circumferuntur, quæ tamèn illius nòn esse in confesso est apud omnes. Robertus Stephanus doctissimi illius viri ac sapientissimi linguæ Hebraicæ in Academiâ Parisiensi Professoris nomen ementitus fuit, ut hâc arte faciliùs incautos deciperet: quandoquidèm editio illa quæ prodiit ex officinâ Roberti Stephani anno MDXLV. quasi ex Vatabli Prælectionibus ac Notis integra excerpta fuisset, Leonis Judæ Zuingliani versionem exhibet cum Annotationibus, quæ magnam partem ex Judæis, præsertìm R. D. Kimchi & Joänne Calvino aliisque Protestantibus sumptæ fuerunt. Hanc Leonis Judæ interpretationem Robertus Stephanus ceteris omnibus atque inprimis versioni Santis Pagnini antepostuit, quià illa minùs obscura erat, sermóque Latinus in eâ purior. Idem tamèn Stephanus in aliâ editione quam publicavit anno MDLVII. Pagnini translationem præ aliis omnibus selegit; sed quæ priori jàm editâ castigatior esset, & ab ipsomet Pagnino, si Roberto Stephano credimus, correcta. Neque igitùr Vatablus, neque Robertus Stephanus ullius Bibliorum versionis auctores sunt: uterque tamèn de literis Hebraicis benè meritus.

Versio quæ sub nomine Vatabli edita est.

CAP.

CAP. XXIII.

De Latinis Bibliorum versionibus quæ à Protestantibus concinnatæ sunt.

LOngè magìs adhùc secum ipsi dissident in vertendis Bibliis Protestantes quàm Interpretes Catholici. Sebastianus Munsterus, qui vetus Testamentum ex Hebræo Latinum fecit, interpretationis suæ rationem apertè declarat statìm ab exordio sui operis, ubì testatur se nòn alios versionis suæ duces sequutum esse quam Rabbinos, relictis vetustis Interpretibus; ità ut siquandò in errorem inciderit, Judæorum Magistri qui illi præierunt accusandi sint. De hâc Munsteri translatione sic loquitur Sixtus Senensis; *Munsterus ubique horridus, senticosus & asper, usque adeò Hebraici sermonis horrorem sequutus est, ut cùm multa Latinis auribus mollitèr accommodare potuisset, omnes tamen Hebraici sermonis proprietates ac phrases adeò servare studuit, ut nec ipsos Hebraicorum nominum stridores prætermittere voluerit, ingerens Latinis auribus ubique pro Oziâ Uzzijahu, pro Ezechiâ Jehizkiahu, pro Ezechiele Jechezchel*, &c. Sed miror Sixtum qui Cajetanum, Pagninum, Oleastrium & alios laudet, qui in suis sacri contextûs versionibus longè majorem barbariem in Latino sermone quàm Munsterus affectaverint. De eâ quoque pro more suo Genebrardus detrahit & paulò vehementiùs in Interpretem stomachatur, dùm ait; *Munsterus neglectâ vocum propriâ notatione sæpè Lutheranisabat & à suo D. Francisci instituto discedebat.* Imò nemo recentiorum Interpretum, inprimis Protestantium, contextûs Hebræi verba & sensum meliùs videtur expressisse quàm Sebastianus Munsterus, qui in hoc tantùm reprehensione dignus est, quòd posthabitis vetustis Scripturæ sacræ Interpretibus recentiores

Versio Sebast. Munsteri.

Sixt. Sen. lib. 8. Bibl. S.

Genebr. præf. in op. Orig.

centiores Judæorum Magistros nimis anxiè sequatur. In Latino quoque sermone, si nomina quædam propria excipiantur, nòn ità horridus ac senticosus est uti Sixto Senensi & aliis nonullis visum est. De illo omnium optimè sensisse videtur Huëtius, qui eum hisce ornat laudibus; *Sebastianus Munsterus Bibliorum Interpres sanè doctus in Hebraica semper stylum collineans ad eáque nunquàm non se componens.* Longe tamèn ei feliciùs sucessisset si consilio Magistri sui in linguâ Hebraicâ Conradi Pellicani obtemperans ex Rabbinis ea tantùm sumpsisset quæ Grammaticam respiciunt, ac nòn minùs vetustos sacri contextûs Interpretes quàm recentiores Judæos sibi duces proposuisset: tùnc enim à Latino Interprete nòn discessisset ità frequentér. Quid enim necesse erat ut pro his verbis quæ exstant in Vulgatâ, *crescite & multiplicamini & implete aquas maris*; ista substitueret quæ paulò horridiora videntur: *fructificate & augescite & implete aquas in fretis*?

Huet. de Clar. Interp.

Gen. 1. 22.

Leo Judæ è Zuinglianorum sectâ vetus quoque Testamentum, saltem maximam illius partem ex Hebræis fontibus in Latinum sermonem convertit. Et quià versioni suæ superstes nòn fuit, eam absolverunt Bibliander & Petrus Cholinus. Ille octo ultima capita Ezechielis Prophetæ, Danielem, Jobum, Ecclesiasten, Cantica & xlviii. Psalmos ex Hebræo transtulit; Cholinus verò ex Græco libros quos Protestantium Theologi Apocryphis adscribunt. Illa primùm edita est Tiguri anno MDXLIII. posteàque secundò edita à Roberto Stephano anno MDXLV. cùm Vulgatâ è regione tacito auctoris nomine, ut jàm supra animadvertimus. Verùm contra hanc editionem & editorem Stephanum statìm insurrexerunt Theologi Parisienses & post longas ex utrâque parte disputationes de rebus Biblicis plenas concertationis, tandèm solum vertere coactus est Stephanus & ad Genevenses transfuga scripsit Apologiam adversus Theologos Parisienses, quam Latinò & Gallico sermone editam publicavit, ubì multa quidèm de his conquestus, sed in plerisque novatorem & Calvini asseclam se prodit. In quibusdam tamèn Stephanum à Theologis istis vindicat Petrus Castellanus Episcopus Matisconensis & magnus Franciæ Eleemosynarius, qui res de quibus Theologos inter Parisienses & Robertum Stephanum agebatur, ad Regis consilium sæpiùs retulit: quippe notat illos, quòd linguarum Græcæ & Hebraicæ nòn periti, multa

Leonis Judæ translatio.

Petr. Gal. in vitâ Cast.

multa perperàm eidem Stephano objecerint. Hanc quoque Leonis Judæ versionem severè castigavit Genebrardus; quâ in re Theologis Parisiensibus, ipse ejusdem facultatis Theologus, placere visus fuit. Sed longè mitiùs à Theologis Hispaniæ exceptus Robertus Stephanus, qui editionem Bibliorum à Theologis Parisiensibus improbatam, de auctore versionis Latinæ ex Hebræo minimè soliciti, simùl cum notis paucissimis in eâ immutatis Salmanticæ publicârunt, eámque dignam judicârunt quæ à viris Scripturæ sacræ studiosis legeretur. Minùs quidem propriè voces Hebraicas reddidit Leo Judæ quàm Sebastianus Munsterus, sed editionem suam Latinis auribus accommodavit, quod à Munstero præstitum nòn est. Si quâ in re reprehendi meretur Leo Judæ, in hoc maximè quòd, nè ob brevitatem obscurus fieret, Paraphrasten interdùm potiùs quàm Interpretem se ostendit. Genebr. præf. in op. Orig.

Famosissima quoque est Sebastiani Castalionis interpretatio veteris Testamenti quam sæpiùs cudit ac recudit; & omnium optima habetur illa editio quæ publici juris facta est Basileæ, anno MDLXXIII. Sixtus Senensis de Munsteri & Castalionis versionibus ferens judicium, utrumque asserit ad extrema sine modo tendisse; illum in affectandis Judaicis Idiotismis durum esse, agrestem, barbarum & planè Judæum; hunc verò in affectandis ineptè singulis gentium loquutionibus gentilem esse ac profanum, utpote qui delicatus mollisque nec se Latinè loqui putet, nisi quàm effœminatissimè loquatur. Addit idem Sixtus ejusmodi loquutionum profanarum exempla, putà Castalio Deum Patrem appellat Jovem, Divum annipotentem, Gradivum ac Cœlicolam: similitèr Angelos vocat Jovis Genios; Prophetas, vates & fatidicos; viros sanctos, Heroas. Perbellè hanc Castalionis intèrpretationem illiúsque ingenium depingit Genebrardus his verbis; *versio Castalionis est affectata, plus habens pompæ & phalerarum quàm rei & firmitatis, plus ostentationis quàm substantiæ, plus fuci quàm succi, plus hominis quàm spiritûs, plus fumi quàm flammæ, plus humanarum cogitationum quàm Divinorum sensuum.* Sed longè vehementiùs in Castalionem insurrexêre Doctores Genevenses atque inprimis Theodorus Beza, cui tanquàm imperito ac temerario homini detrahunt, qui in re Divinâ impiè luserit ex pravâ Catullia-

Sebast. Castalionis interpretatio.

Sixt. Sen. lib. 8. Bibl. S.

Genebr. præf. in op. Orig.

næ

næ dictionis affectatione. Ità in libro Cantici Canticorum simplici voce *columba* nòn utitur sed usurpat *mea columbula* hoc modo; *mea columbula ostende mihi tuum vulticulum, fac ut audiam tuam voculam venustulam*: &, *vulticulum habes lepidulum*: *Capite nobis vulpeculas parvas vinearum vastatriculas.* Ubique in hoc libro dictionum mollium effluentiâ luxuriat Castalio, & Catullum magìs ludentem de Lesbiæ passerculo refert quàm sacrarum literarum Interpretem. In universo operis sui contextu periodos orationis suæ ligat, ut sit continua, uti cognoscere est ex primo capite Geneseos quod sic orditur; *Principio creavit Deus cœlum & terram: cùm autèm esset terra iners atque rudis, tenebrísque offusum profundum & Divinus spiritus sese super aquas libraret, jussit Deus ut exsisteret lux*, &c. Notatur quidèm à Bezâ aliisque Doctoribus Genevensibus tanquàm linguæ Hebraicæ imperitus; sed, pace illorum dixerim neminem unquàm è Scholâ Genevensium prodiisse, qui Hebraicè, Græcè & Latinè ità doctus fuerit. Nòn diffiteor quidèm illum, quià in Latino sermone delicatiorem molliorémque se præbuit contextûs sui verba in plerisque sat accuratè nòn expressisse; sed id nòn ex ignorantiâ fecit, verùm ex pravâ imitandæ Ciceronianæ & Catullianæ dictionis affectatione. Isaacus Levita, vir Hebraicè doctissimus, qui paulò etiàm acerbiùs Castalionis versionem, ut minùs propriam ac liberiorem, reprehendit, quòd rei Grammaticæ nòn satìs curiosus fuerit, in eâ notavit errores nullius ferè momenti: faciléque cognoscitur ità consultò vertisse Castalionem, ut sensum magìs commodum efficeret, minúsque barbarè loqueretur. Genebrardus quoque Castalioni objicit quòd initio Geneseos verbum Hebraicum *amar* quod in Vulgatâ & ab aliis Interpretibus vulgò redditur *dixit*, ipse quasi favens Servetanorum Hæresi, & ut omnem Verbi Divini cognitionem auferret, interpretatus fuerit *jussit*. Sed eâ de re forsan nunquàm cogitavit Castalio, constátque verbum *amar* æquè in linguâ Hebraicâ atque in Arabicâ aliquandò optimè reddi posse *jussit*: quæ etiàm interpretatio à loco de quo agitur nòn omninò aliena esse videtur.

[Margin: Castal. Cant. Cant.; Gen. 1. 1.; If. Lev. Medit. in lib. Ruth.]

[Margin: Junii & Tremellii versio.]

Id unum nobis superest ut in Junium & Tremellium animadvertamus qui similitèr auctores sunt interpretationis sacri contextûs

textûs, quæ à plerisque Protestantibus initio magni æstimata fuit, præsertìm in Angliâ & Genevæ, ubi ferè sola in disputationibus obtinebat. Repertus est tamèn tùnc temporis vir è sectâ Protestantium Joännes Drusius, linguæ Hebraicæ in Frisiæ Ordinum Academiâ Professor clarissimus, qui eam severè castigavit, ostenditque in multis Junium & Tremellium allucinatos fuisse. Longè etiàm posteà Constantinus L'Empereur linguæ Hebraicæ, quam apprimè calluit, in Academiâ Lugdunensi Batavorum Professor similem de Tremellii ac Junii Bibliorum versione tulit sententiam, de illâ sic loquutus; *in vertendis Hebraicis à Junio & Tremellio nòn rarò abire debui: hoc enim in istâ Bibliorum versione sæpè observavi; conceptam analysin veluti normam statui ad quam in vertendo respiceretur, cùm hoc modo sæpè à vero sensu recedatur.* Hos tamèn Interpretes tanti fecit Hebraizantium nostri temporis facilè Princeps Joännes Buxtorfius, ut illos appellaverit viros incomparabiles, & eorum translationem in concinnando Dictionario suo Hebræo κατὰ πόδα sequutus fuerit, & ex hujus posteà penu quidquid habent eruditionis Hebraicæ delicatuli illi, qui priscos hodiè Interpretes fastidiunt, deprompsêre. Tremellius, quià primùm Religione Judæus fuit antequàm Calvinianismum professus fuisset, multùm ex Judæis, præsertìm recentioribus profecerat, & habet in dictione suâ Latinâ nescio quid pravè affectatum quod ex Genevâ hausisse videtur: adeò familiares sunt Doctoribus Genevensibus ejusmodi loquutiones quæ Pronominibus relativis abundant, ubì nullum apparet relationis vestigium. Quomodò in versione Tremellianâ legimus capite primo Geneseos; *viditque Deus lucem hanc esse bonam, & distinctionem fecit Deus inter lucem hanc*, &c. Et post nonnulla iterùm, *fecit ergò Deus hoc expansum quod distinguit inter has aquas quæ sunt ab inferiore expansi istius & aquas illas.* Similia habet Theodorus Beza in versione suâ novi Testamenti, neque etiàm veritus est interdùm Tremellius verbâ quædam illustrationis causâ addere, quæ sensum mutant. Ità capite ii. Geneseos, ubi in Vulgatâ legimus; *sed fons ascendebat è terrâ*, & in aliis plerisque translationibus, *& vapor*, &c. vertit Tremellius,

Constant. L'Emp. in Epicr. ad non. Dav. lyr.

Buxt. præf. Lex. Hebr.

Gen. 1. 4.

Ibid. v. 7.

us, *aut vapor nòn ascendebat*, sequutus hâc in re Paraphrasim Arabicam R. Saadiæ cognomento Gaon, sive Excellentis. Præterea libri Nehemiæ capite viii. præter verba ista quæ habentur in Latino Interprete ad verbum expressa ex Hebraicis fontibus, *legerunt in libro Legis Dei distinctè & apertè ad intelligendum & intellexerunt cum legeretur*, addidit hæc alia; *per Scripturam ipsam*, quæ nòn exstant in contextu, & reddidit; *exponendo sensum dabant intelligentiam per Scripturam ipsam.* Quâ in re nòn tàm contextûs Hebræi verba respexit, quàm Theologiæ Calvinisticæ principia, & ab eo longiùs recessêre Sebastianus Munsterus, Leo Judæ, Castalio aliíque Interpretes è classe Protestantium, exceptis Genevensibus quibus hæc Tremellii interpretatio mirè arrisit.

Biblia Lucæ Osiandri.

Possumus quoque inter sacri contextûs Interpretes è cœtu Protestantium collocare Lucam Osiandrum: lícèt enim integram codicis Hebraici versionem aggressus ille nòn fuerit, nè ab antiquo Interprete Latino videretur omninò discedere; loca tamèn quæ ab hoc minùs benè reddita putavit, ex Hebræo interpretatus est, retentâ nihilominus veteris Interpretis translatione etiàm in his locis, ut ex eâ veluti collatione quid tàm de suâ quàm de antiquâ versione judicandum esset omnes cognoscerent, exempli causâ; Geneseos capite primo, ubi legimus in Vulgatâ *ferebatur*, ipse alio charactere addit, *incubabat*, quasi verbum Hebraicum meliùs exprimeretur per Latinum *incubabat*, quàm per *ferebatur*. In multis quidèm errat Lucas Osiander, dùm faciliùs Latinum Interpretem, quem nòn satìs assequutus est, relinquit. In hoc tamèn meritò laudatur à Theologis Tubingensibus illius consilium, quòd in suâ Bibliorum editione vetustum & longo Ecclesiarum omnium Occidentis usu receptum sempèr repræsentaverit. Nòn erit intempestivum hûc referre Theologorum Tubingensis Academiæ de novis Interpretibus judicium. *Dum illi novas versiones afferunt, videntur studiosis Theologiæ veterem illam & usitatam velle manibus excutere. Nonnulli in vertendo obscuram diligentiam Hebræorum & sordidam ἀκρίβειαν quam illorum Grammatici habent sequentes, nòn modò gratiam,*

am, sed fructum studii sui propemodùm amittunt. Sunt etiàm nòn pauci, qui destituti solidiore cognitione Hebrææ linguæ & ignari proprietatis & elegantiæ, interpretationes in medium afferunt, aut prodigiosas, aut certè nòn satis instituto convenientes. Similitèr Andreas Osiander Lucæ filius, eamdem interpretandi methodum sequutus, antiquam editionem Latinam unà cum suis Castigationibus patris exemplo publici juris fecit, servatâ sempèr antiquâ illâ editione. Hanc interpretandi rationem omnium esse optimam nemo paulò cordatior dubitaverit: modò tamèn correctiones intra contextum Latini Interpretis nòn reponantur; sed referantur ad oram codicis veluti suspiciones ac conjecturæ. Ab horum instituto nòn ità pridèm longè abiit Cocceius vir quidèm linguæ Hebraicæ nòn imperitus, & in hoc studii genere exercitatus, ut cognoscere est ex Latinâ veteris Testamenti versione quam Commentariis suis adjecit & ex Dictionario linguæ Hebraicæ, quod haùd ineruditè ex variis translationibus & ad mentem etiam veterum Interpretum adornavit. Quos tamèn frequentiùs in translatione suâ deserit, nimirum ingenio suo indulgens, verbáque potiùs & minutias quàm res ipsas venatur.

Biblia Andreæ Osiandri.

CAP. XXIV.

De Bibliorum versionibus in linguâ vernaculâ, ac primùm de iis quæ auctores agnoscunt viros Catholicos.

An Biblia in sermonem vernaculum converti debeant.

POst obortas in Ecclesiâ Occidentali novas Hæreses quæ, contemptis Patrum traditionibus, nòn aliud agnoscunt Religionis principium quàm Scripturæ sacræ libros, maximæ fuerunt inter partis utriusque Theologos de præsenti argumento concertationes. Qui sapientiores sunt inter Catholicos Theologi ingeniíque moderatioris Scripturas materno & naturali gentis cujuslibet sermone expositas nòn absolutè damnant; quià & hoc priscis Ecclesiæ Patribus nòn improbatum fuit; sed consentaneum existimant ut ob novas Hæreses, quæ nostrâ potissimùm ætate ob Scripturam malè intellectam natæ sunt, sacrorum codicum lectio peræquè & absque discrimine nòn omnibus, etiàm plebeiis, proponatur: sed habendam esse rationem locorum, temporum, personarum; quià indè utilitatis parùm, damni verò multum redundat. Fides secundùm B. Pauli sententiam est ex auditu, certùmque est longè plures ex audito Evangelio quàm ex lecto ad Christi fidem esse conversos. In primâ Christianæ Religionis promulgatione nullus erat Evangeliorum codex ex quo fidei principia haurirentur: imò etsi nihil unquàm de fide in Christum scripsissent Apostoli, Religio beneficio traditionis, Deo ità disponente, integra conservari poterat. Ità scilicèt sentiunt Doctores Catholici, qui tamèn omninò nòn respuunt Scripturæ sacræ versiones plebeio sermone conceptas, modò nòn ab omnibus & absque ullâ temporis, loci & personæ restrictione legantur, &c, ut inquiunt,

Non

Non prosit potiùs quicquid obesse potest.

Jàm ante ortas eorum qui hodiè Protestantes appellantur novitates apud omnes ferè Christiani nominis gentes Scripturæ versiones exstitisse linguâ vernaculâ multis probare nòn esset arduuum. Quid enim Græcos impulit ut Græcam LXX Interpretum versionem Hebræo contextui anteponerent, nisi quià lingua Græca ipsis vernacula erat. Quâ similitèr ratione adducti sunt Italiæ populi ut sacros codices è Græco in Latinum sermonem converterent, nisi quià Latinè loquebantur. Ex eodem fonte ductæ sunt apud populos Orientales translationes Syriacæ, Copticæ, Æthiopicæ, Armeniæ, & aliæ quas prætermitto, nè sim longus. Verum quidèm est plerasque ejusmodi versionum etiàm hodiè legi ab istis populis sicuti nùnc in Ecclesiâ Occidentali Latina legitur, qui tamèn illas minimè intelligunt; sed hinc nòn evincitur istas versiones domesticas nòn fuisse, ac familiares plebeiis hominibus, quorum idiomate scriptæ fuerant, ut ab omnibus legerentur.

Nùnc transeo ad illas quæ sunt recentioris ætatis, apud Italos Jacobi de voragine, quondam Archiepiscopi Genuensis laudatur interpretatio Itala totius Scripturæ: leguntur etiàm hodiè versiones Italæ sacri codicis sub nominibus Nicolai Malermii Abbatis Monasterii S. Michaëlis de Lerno, & Antonii Brucciolii, cum præfatione quæ in quibusdam exstat editionibus in quâ auctor fusiùs differit de Scripturis sermone vernaculo convertendis. Inter hunc tamèn & alios Interpretes illud est discriminis, quòd Brucciolius ex ipsis fontibus Hebræis vetus Testamentum, & è Græcis novum transtulerit more Protestantium, alii verò Latinum Interpretem qui in Ecclesiâ Occidentali legebatur in linguam vernaculum reddiderint. Variæ interpretationis illius ad Hebræos codices formatæ circumferuntur editiones, quarum primam auctor Francisco primo Francorum Regi dicavit anno MDXXX. Sequutæ sunt posteà tres aliæ editiones annis MDXXXIX.—XL. & —XLI. quarum utilissima videtur editio anni MDXL. quià in eâ reperiuntur notulæ nòn omninò contemnendæ, cum epistolâ ad Renatam Franciæ Ducis

Ferrariæ tùnc conjugem, in quâ pluribus contendit Antonius Bruccìolius damnandas nòn esse Scripturæ sacræ versiones linguâ vernaculâ editas, easdémque miris modis extollit: ferendo tamèn isti oneri impar fuisse videtur Italus ille Interpres, qui ex aliis versionibus, quæ jàm anteà ad Hebræos codices conditæ fuerant, maximè ex Pagnini Latinâ translatione ferè totus dependet, cujúsque idcircò errores sequitur, aliósque addit in locis præsertìm quæ nòn probè intellexit. Ità capite octavo Nehemiæ, ubi Pagninus absque ullo ferè sensu vertit,
Nehem. 8. 8. *in Lege Dei expositi*, reddit eâdem fermè ratione, *nella Lege d' Iddio dichiarata*, simùl & à Pagnino & ab Hebræo contextu recedens: quià enim Hebræos codices nòn consuluit, nòn potuit animadvertere in illis vocem quæ *Legem* significat esse generis fœminini; participium verò passivum quod interpretatus est *dichiarata*, quasi ad *Legem* referretur, esse generis masculini, & ità dùm Pagninum, cujus sensum nòn assequebatur, corrigit, nec verba contextûs consulit, allucinatur. De versione Italâ Jacobi de Voragine judicium ferre nequeo, cùm in illam nunquam inciderim. Possevinus, penes quem fuit translationis illius exemplar, de eâ tanquàm minùs accuratâ loquitur; alii contra illam suâ quoque laude dignam judicant. Sed de ejusmodi versionibus, quæ ex Vulgatâ editione vernaculo sermone factæ sunt, affirmare possumus plerasque earum castigatas nòn esse; quandoquidèm Latinus Interpres sæpissimè absque linguæ Hebraicæ cognitione intelligi nòn potest, undè factum est ut Jacobus de Voragine, Malermius, & alii qui Scripturam sacram ex Latinis codicibus duntaxàt in aliam linguam converterunt, in errores gravissimos haùd infrequentèr labantur.

Versiones Gallicæ. Fuêre etiàm in Galliâ longè ante Calvinianorum sectam sacri contextûs versiones scriptæ sermone Gallico: nam & Genevæ & in vicinis montibus ante reformatam in his locis, seu potiùs deformatam, à Joanne Calvino Religionem, legebatur Gallica Scripturæ sacræ versio à Canonico quodam, nomine *Guiars des Moulins*, ex Ariâ in pago Atrebatensi, tùnc Episcopatûs Teruanensis concinnata anno MCCXCIV. Servant adhùc Genevenses in Bibliothecâ publicâ interpretationis illius Gallicæ exemplar, ejusdem quoque exemplar alterum asservatur Parisiis in Mu-

ſæo clariſſimi viri Henrici Juſtelli, putóque eam eſſe Bibliorum translationem cujus meminit Robertus Olivetanus, qui primus dedit Genevenſibus Biblia ex Hebræo ſermone in Gallicum ſermonem tranſlata. Exſtat quoque in Bibliothecis quibuſdam Franciæ Gallica Bibliorum verſio, quæ Oreſmo Rothomagenſis Eccleſiæ Canonico tribuitur, regnante in Galliâ Carolo Quinto; teſtatúrque Carolus Molinæus penes ſe habuiſſe aliquot illius Fragmenta manu exarata. Præterea Theologi Lovanienſes nòn primi, ut vulgò creditur, Gallicam ſacri contextûs verſionem ſumptam ex Latino Interprete typis mandârunt. Alia enim reperitur anno MDXXX. Antuerpiæ edita typis Martini L'Empereur cum Caroli Quinti Imperatoris privilegio in fronte operis. Ob multa tamen de veritate illius editionis dubitari poteſt, primò enim annus editionis minimè concordat cum his quæ in Privilegio habentur, annum videlicèt illum MDXXX. primum eſſe Imperii Caroli Quinti, qui tamèn ad Imperium aſſumptus fuerat jàm ab anno MDXIX. Deindè in eodem Privilegio fit mentio de fidei Inquiſitoribus & aliis Theologis quibus communicata fuerit illa interpretatio: at conſtat nullos tùnc temporis fuiſſe in his locis fidei Inquiſitores. His omnibus accedit capite iii. Geneſeos ubi in Vulgatâ legimus, *ipſa conteret caput tuum*, verba illa in Gallicâ interpretatione ſic reddita habentur uti in Proteſtantium verſionibus; *cette ſemence briſera ta teſte.* Denique etiàm in præfatione, quæ huic verſioni Gallicæ præmittitur, Scripturæ ſacræ libri eodem ferè modo dividuntur atque in Proteſtantium Bibliis: quandoquidèm illi duntaxàt Canonicis adcenſentur qui Hebraicè ſcripti & in Canonem Judæorum recepti fuerint. Sed his omnibus reſponderi poſſe exiſtimo: primò enim fieri poteſt ut error aliquis in Privilegii verba irrepſerit, idque probari poteſt ex aliâ ejuſdem verſionis editione cum Caroli Quinti Imperatoris Privilegio alitèr concepto. Secundò, de veris, qui tùnc fuerint in his locis fidei Inquiſitoribus, nòn agi veriſimile eſt. Tertiò, potuit Interpres Gallicus interpretari capite iii. Geneſeos, *cette ſemence*, &c. quià ſtatim ab initio verſionis ſuæ pollicetur ſe interpretationem ſuam ſumpſiſſe ex antiquis Vulgatæ editionis exemplaris editionibus. At conſtat multa ejuſmodi fuiſſe, quæ à viris Catholicis lau-

Rob. Oliv. præf. in ſua Biblia.

laudantur, in quibus nòn lectum fuerit ut in hodiernis, *ipsa* sed *ipse*, ut manifestè probatur ex variantibus Theologorum Lovaniensium lectionibus ac Notis Francisci Lucæ Brugensis. Demùm Gallicæ versionis illius auctor qui Latinam B. Hieronymi translationem faciebat Gallicam, ut in ipsâ operis Inscriptione testatur, imitari potuisse videtur in librorum sacrorum divisione B. Hieronymum, maximè antequàm eâ de re quidpiam à Synodi Tridentinæ Patribus decretum fuisset. Imò neque alitèr Scripturæ sacræ libros longè postea partitus fuit Cardinalis Cajetanus.

Nòn moror in præsentiâ Theologos Lovanienses, quorum versio Gallica, quæ jàm sexcentiès cusa ac recusa est & ab aliis posteà etiàm reformata versatur in omnium Catholicorum manibus. Id operis nòn ab alias rationes aggressi sunt Theologi illi, quàm ut homines plebeios & ineruditos à Bibliorum Genevensium, quæ tùnc pluris fiebant, lectione averterent. Similibus quoque adductos se fuisse testantur rationibus Theologi illi qui Biblia in sermonem Anglicum, Germanicum, Polonicum, Hungaricum, & in alia plebeia idiomata, converterunt; nè scilicet ab omnibus passim legerentur Protestantium Biblia. Fertur etiàm reperiri in Provinciâ MSS. Bibliorum exemplaria sermone Provinciæ, quæ suspicor olìm facta fuisse à Valdensibus linguâ maternâ, nòn purè Gallicâ, quorum meminit Joännes Leger, Calviniani ritûs Minister, in Historiâ quam de illorum sectâ composuit, ubi etiàm testatur penes se habuisse exemplar illius versionis linguâ Valdensium.

Translatio Valdensium

Joan Leger Hist. des Vallées.

In Germaniâ etiàm ante Lutheri novitates Biblia sermone Germanico à Catholicis legebantur, ut Scriptores nonnulli asserunt qui laudant Germanicas Norimbergæ & Augustæ editiones ante Lutheranos. Protestantium deindè versionibus opposuerunt Joännes Eckius, Dictenbergerus & alii Germanicas sacri contextûs translationes. Polonicè etiàm vertit Biblia Jacobus Wowiezkus, Societatis Iësu Presbyter, mandante Gregorio XIII. illiúsque versio posteà à Clemente VIII. approbata est. Legimus & à tempore Bedæ in Angliâ exstitisse versiones sermone vulgari scriptas. Sed ætate nostrâ Angli Catholici utuntur versione quæ linguâ Anglicâ

Versiones Germanicæ;

Polonicæ.

Anglicæ.

Anglicâ concinnata est à Theologis quibusdam Anglis, qui Rhemos in Galliâ transfugæ, ibi versionem Anglicam publici juris fecerunt, quam Anglorum Protestantium versionibus opponerent. In Hispaniâ indè jàm à tempore S. Vincentii cognomento Ferrarii, Biblia in linguam Hispanicam conversa fuisse testatur nuperus Scriptor his verbis; *la Biblia en lengua Valenciana con licencia de los Inquisidores à cuya translacion assisto S. Vincente Ferrer:* hàncque editam asserit in Folio, chartâ Regali, *in folio de papel Real.* Gothicam versionem longè antiquiorem laudant, factam operâ Uulphilæ Gotthorum Regis Socrates & Sozomenus. Placent etiàm nonnullis Biblia Arabicè versa ab Hispalensi Episcopo, cùm Hispani Maurorum dominationi parebant. Hieronymi versionem in linguam Dalmaticam nòn recenseo, quiâ fictitia est & ab illis supposita qui doctissimi illius Patris verba nòn intellexerunt, ubi ait, se Scripturæ sacræ translationem dedisse linguæ suæ hominibus. Per *homines* enim *linguæ suæ* nòn alios intelligit quàm illos qui linguam Latinam callerent, & hâc loquutione nihil occurrit in ejus scriptis frequentiùs ubi Latinos designat Græcísque opponit qui legebant Origenis Hexapla.

Hispanicæ.

Cypr. de Val. præf. in Vers. Bibl. Hisp.

Gothicæ.

Arabicæ.

Fictitia versio Dalmatica.

CAP.

CAP. XXV.

De Bibliorum versionibus in plebeio idiomate, quæ ab Interpretibus Heterodoxis conditæ fuerunt.

Innoc. 3. Epist. ad Metens.

JAm Innocentii III. temporibus vulgata fuerat apud Metenses in Galliis Bibliorum versio sermone Gallico ab hominibus Heterodoxis composita, de quâ valdè conquestus est summus ille Pontifex, monitus ab Episcopo Metensi Laicorum & mulierum nòn modicam multitudinem Gallicam quamdam translationem Divinorum librorum legere, coäctísque secretioribus conventiculis aliorum aspernari consortium, Presbyterísque in faciem resistentes eorum simplicitatem fastidire.

Albigensium & Vuiclefistarum translationes.

Quæ forsàn Bibliorum versio ab Albigensibus illius temporis sumpta fuerat. Nec sua etiàm Vuiclefistis defuit in Angliâ sermone Anglico, cujus etiàm aliquid ætate nostrâ superesse didici. Sed ejusmodi Bibliorum versiones ex Interprete Latino factæ fuerunt, quòd illarum auctores linguarum Hebrææ ac Græcæ imperiti essent.

De Luthero & illius translatione.

Primus omnium Martinus Lutherus, ut erat pervicaci animo, vetus Instrumentum ex Hebræis codicibus, & novum ex Græcis transferre ausus est in sermonem vulgarem. Vix Hebraicè balbutiebat Lutherus cùm inconditum fœdísque erroribus scatentem & à nonnullis etiàm posteà sectæ suæ hominibus reprobatam Latino Interpreti opposuit, qui dudùm Theologorum omnium consensu & in Ecclesiis & in Scholis receptus fuerat.

Luther.

Mirè tamèn sibi gratulatur quòd linguis benè instructus, *abominationem Papisticam & impiam Sophistarum tyrannidem unà cum toto Antichristianorum Imperio profligaverit.* Imò si ipsi credamus, ipsimet Diabolo ob linguarum peritiam formidabilem se præbuit. *Diabolo enim,* inquit, *nòn tàm curæ est spiritus meus ac linguæ & in Scripturis*

turis calamus. Ille tamèn Germaniæ Protestantium Patriarcha primâ versionis suæ editione, quâ Diaboli copias fugaverat profligaverátque Papisticam tyrannidem, minimè contentus, aliam recoxit; sed neutra viris etiàm sectæ suæ paulò cordatioribus placere potuit, & Sebastianus Munsterus veritus nòn est Lutherum notare ut Interpretem minùs accuratum parúmque doctum Hebraicè. Scripsit quoque Bucerus Lutheri versionem erroribus plenam esse, & Melchior Zanchius librum de illius erroribus composuit. Philippus Marnixius in epistolâ ad Drusium auctor est versionem nullam à textu authentico magìs alienam videri quàm Lutheri Germanicam. Novam idcirco sibi cuderunt Bibliorum translationem Germanicè Zuingliani, rejectâ eâ quam Lutherus concinnaverat, usíque sunt operâ Leonis Judæ, quod Luthero valdè displicuit. Protestantes quoque Belgici qui hanc ex linguâ Germanicâ converterant nòn secùs ac Sueci, Finlandi, Dani, Islandi & alii Septentrionis populi qui Lutheri erroribus adhæserunt, ad novam Bibliorum versionem se accinxisse testantur; *quià cum tumultuario tempore Lutherana versio fuerit composita,* ut loquitur Joannes Leusden linguæ Hebraicæ in Academiâ Ultrajectinâ Professor, *multis scatuit vitiis quæ pleraque in suam versionem, additis adhùc multis aliis ex oscitantiâ auctoris versionis Belgicæ natis, irrepserunt.* Anabaptistas tamèn à Lutheri versione nunquàm discedere voluisse auctor est idem Leusdenius, qui ægrè tulerunt novum Testamentum à Joanne Urtenhove correctum fuisse. Itaque Belgæ versionem Lutheri, à quâ penitùs anteà dependebant, in Synodo Dordracenâ, ut vocant, veluti falsam & à fontibus Hebræis degenerem respuerunt, novámque meditati revisores atque interpretes sese nominârunt.

Munst. Præf. in Bibl & Not. in cap. 2. Jonæ.

Leusd. in Philol. Hebr. mix. diss. de novâ vers. Belg.

Versio Anabaptistarum.

Nùnc quæ fuerit Lutheri methodus in parandâ novâ suâ interpretatione ex Hebræis codicibus inquirendum est. Ille auctor est Hebræam linguam intercidisse, adeóque Judæis credendum nòn esse: undè etiàm detrahit B. Hieronymo, qui in translatione suâ Christi cognitionem nòn habuerit, quod illi cum Ruffino commune est, qui olìm sanctissimo illi Patri objecit eum Judaico spiritu animatum fuisse. Miratur reperiri apud Christianos qui Judæorum anilia commenta magni faciant; *nugæ Judæorum,* inquit, *arguunt eos nihil scire sacrarum*

Luth. lib. de Jud. & cor. mend.

Lutheri methodus in suâ Bibliorum conversione.

Id. Comm. In cap. 16. Gen. *rerum, & tamen trahunt secum magnos viros & nostro tempore viros in ipsorum linguâ doctissimos qui tales sæpe nugas admirantur.* Ingenium posteà Rabbinorum, qui res Grammaticas duntaxàt sciunt, describit his verbis; *nôrunt quid nominis, quid rei nòn nôrunt: itaque nihil sani docere possunt.* Quare Judæorum Magistros eósque sacri contextûs Interpretes qui illis adhærent penitùs respuit tanquàm homines ineptos, qui Judaicas Christianis obtrudunt versiones. Judicavit Lutherus longè satiùs esse obscuriora Scripturæ loca ex fidei Christianæ analogiâ, seu regulâ, explicare quàm expositionem illorum haurire ex Rabbinorum libris, maximè cum deperditâ semèl linguâ Hebræâ in integrum restitui nòn potuerit, ac plerarúmque linguæ illius dictionum germanus sensus nòn minùs Judæos quàm Christianos fugiat. *Ita intercidit,* ait Lutherus, *usus ac cognitio hujus linguæ ut haùd unquàm perfectè restaurari queat: nec vocum tantùm, sed & phrasium & constructionum multiplex & varia est obscuritas, quâ fit ut vim & figuras aut emphases plurimarum dictionum & sententiarum ignoremus. Aut siquâ ratione in integrum restitui poterit per Christianos, id fiat oportet ab iis qui ex novo Testamento veram cognitionem Scripturæ habent.*

In cap. 34. Gen.

In hâc Lutheri methodo nonnulla esse haùd contemnenda nemo ierit inficias, præsertìm quæ affert adversùs temporis sui Interpretes qui ex Rabbinorum libris toti dependebant. Hos tamen nòn ob aliam rationem suggillâsse videtur, quàm quòd illi ejus versionem in plerisque notâssent tanquàm minùs propriam. In hoc à Luthero inprimis peccatum fuit, quòd relictis Judæorum recentiorum libris Hieronymum aliósque vetustos Interpretes neglexerit, &, quasi solus inter Theologos saperet, ad nescio quam fidei regulam, quam sibi ipse finxerat, recurrit. Ità ut rei Grammaticæ nòn satis addictus in falsas interpretationes abierit, quomodo ex anteceptâ de rebus fidei Christianæ opinione quâ erat imbutus pro verbis istis capitis iv. Geneseos, *possedi hominem per dominum,* ut etiàm exstat in Hebræo, ipse vertit, *possedi hominem Dominum.* Nimirùm intuitus fuerat Lutherus Doctorum quorumdam Cabbalistarum, ut vocant, sententiam, qui existimant hoc loco denotari Messiam. In primâ autem versionis suæ editione eadem verba reddiderat, *acquisivi hominem Domini;* & hæc interpretatio magìs adhùc à sensu contextûs Hebraici aliena

cna erat. Quippe fieri nòn poterat quin homo linguâ Hebraicâ ita levitèr tinctus in gravissimos errores laberetur. Quapropter illius discipuli versionem Magistri sui in multis castigare nòn reformidarunt; servatâ tamen illâ intra contextum honoris causâ, contenti correctiones suas alio charactere, vel duabus virgulis, conclusas adjicere, ut videre est in Bibliis Vinariensibus, quæ Lutheri versionem cum ejusmodi correctionibus repræsentant: & à Lutheranis maximè commendatur Germanica illa editio quam omnium putant castigatissimam. Paulus Eberus, qui Pastoris Ecclesiæ Vuitebergensis nomen sibi sumit, idem omninò apud Protestantes fecit quod apud Catholicos ab Isidoro Clario præstitum fuerat. Ille etenim Vulgatæ à se correctæ Germanicam Lutheri versionem adjecit, profitetúrque in operis sui præfatione antiquam se retinuisse, quantum fieri potuit, Latini Interpretis versionem: sed posteà correctionis suæ eum puduit, censuítque nullam correctionum suarum habendam esse rationem, ac rogat ut emendata à se Biblia in posterum nòn edantur, quòd aliis negotiis tunc impeditus in plerisque allucinatus fuisset.

Exstat quoque Germanica Bibliorum versio à Tigurinis Doctoribus, qui Lutheranam contemptui habuerunt, condita; atque inprimis à Leone Judæ. Novam tamen nòn ità pridèm cuderunt Tigurini, quasi prior illa minus accurata fuisset. Audio recentioris illius Bibliorum translationis auctores esse Hottingerum, Heidekerum, Mullerum & alios, qui verba Hebraica ferè ad verbum reddiderunt. Piscator, vir multi nominis apud Calvinianos, fertur Biblia etiàm in sermonem Germanicum transtulisse, & quanquàm à Junii ac Tremellii versione Latinâ in pluribus dependere voluerit, hos tamen Interpretes hàud infrequentèr deseruisse. Belgica versio, de quâ in Synodo Dordracenâ anno MDCXVIII. deliberatum fuerat, prodiit tandèm anno MDCXXXVII. jussu Ordinum facta Belgicè ex contextu Hebræo, nòn vero ex translatione Lutheri Germanicâ, quæ sincera nòn esset. Nævos etiàm suos habet interpretatio illa Belgica, quæ recentiorum Judæorum expositionibus nimiùm adhæret, quasi illi soli Hebraicè sapuissent. Hanc quoque nonnulli è Protestantium classe adorti sunt, Belgísque novitatis crimen objectum fuit.

Versio Tigurina sermone Germanico.

Piscatoris versio.

Translatio Belgica.

Notatur Joannes Leusden.

Joannes Leusden, Ultrajectinus Professor jámque suprà laudatus, dùm gentis suæ versionem assèrere conatus est, inter alia assertionis suæ argumenta, profert Sixti Quinti & Clementis Octavi, summorum Pontificum, emendationes in Latino Interprete: valdè siquidèm aliena fuit à Belgarum Protestantium instituto Sixti Quinti & Clementis Octavi emendationis ratio, qui nòn ducti partium affectu antiquam editionem Latinam ad vetusta illius exemplaria castigare in animo habuerunt; illi verò Hebraicæ veritatis, à quâ discedere nòn audent, ostentatores, quotidie faciunt ac reficiunt novas Bibliorum interpretationes, &, quò plus auctoritatis his accedat, veterem accusant Interpretem; eóque tantùm collimare videntur ut nova, quæ in Ecclesiam invexerunt, dogmata novis Bibliorum translationibus stabiliant, ut nec ipsimet diffiteantur: palàm enim affirmant, *exoriente linguarum Orientalium sole Theologos Evangelicos ad fontes provocasse, ut errores Papismi detegerent & refellerent, suámque confessionem stabilirent.*

Sixtin. Amam. lib. 1. Antib. Bibl.

Versiones ab Anglis conditæ.

Colloq. Hampt.

Novis Bibliorum versionibus Anglos Protestantes velùt obrutos fuisse, adeò ingens erat illarum multitudo, testantur verba illa, quæ habuit Episcopus Londinensis in Colloquio Hamptonæ. *Si ingenii cujúsque haberetur ratio, nullum unquàm translationibus finem fore; idcirco Regia Majestas optavit ut de versione aliquâ, quæ unius apud omnes forma esset, deliberaretur, subjiciens nullam hactenus Bibliorum interpretationem Anglicanam bonam se deprehendisse; tamèn se sentire pessimam omnium esse Genevensem, studium suum in illud conferre debere viros duarum regni Universitatum doctissimos, ut postea recognoscatur ab Episcopis eruditissimis; deindè secretiori consilio oblata demùm Regis auctoritate confirmetur. Hoc pacto universa Ecclesia Anglicana hâc versione tenebitur, nòn verò aliâ qualibet.* Ex his sanè facilè cognoscitur quid tùnc mali ac discordiæ in Angliam invexerit Bibliorum diversitas, sub nominibus Tindali & Coverdali, Thomæ Matthæi, Tunstali & Hethi, Parkeri Archiepiscopi Cantuariensis & aliorum Episcoporum, quæ Episcoporum versionis nomen reportavit. Illa verò Genevensium, quam omnium pessimam Rex Jacobus appellat, eadem est atque Genevensis Gallica, quæ in sermonem Anglicum conversa fuerat, legebatúrque in Angliâ à nonnullis Protestantibus qui ortum Genevensium profitebantur. Ejusmodi Bibliorum Historia fusiùs peti potest ex libro Durelli ac Fulleri Historiâ rerum Anglicarum.

Durel. Vindic. Eccles. Anglic.

glicarum. Sapientissimè itaque Rex Jacobus, ejus nominis primus magnæ Britanniæ Rex, sancivit ut, posthabitis omnibus illis Bibliorum translationibus, quæ tùnc in Angliâ circumferebantur, nova, quæ ab omni partium affectu libera esset, cuderetur. Leges etiàm condendæ interpretationis istius tulit, jussitque ut ii qui illi præessent ab eâ quæ Episcoporum versio appellabatur nòn discederent nisi in locis ubi alitèr fieri nòn posset. Jussit etiàm ut voces quædam retinerentur quæ Ecclesiæ usui aliquâ ratione consecratæ videbantur, sicuti nomen *Church*, quod *Ecclesiam* denotat, & hàc sanctione arguebat Genevenses, qui alia substituerunt nomina, quos etiàm perstrinxit, vetans nè ad oram codicis rejicerentur annotationes; quià scilicèt facillimè ejusmodi notis plebeii homines decipiuntur. Hæc & alia ejusdem naturæ plurima, quæ à Rege mandata fuerant, Angli perfecerunt; & adhùc ætate nostrâ nòn alia legitur contextûs Biblici interpretatio in Anglorùm Protestantium cœtibus quàm Anglica illa, quæ jussu Regis adornata fuit. Hanc eamdem repræsentat codex illorum Liturgicus, exceptâ Psalmorum versione, quæ nihil mutationis recepit, eáque retenta est in publicis precibus quæ jàm ab initio eorum secessionis ab Ecclesiâ Romanâ sub Eduardo Sexto obtinuerat. Jàm ante Protestantium illorum tempora Anglos habuisse versionem contextûs Biblici sermone Anglico à Vuiclefo conditam vulgò creditur; sed hæc, ut & alia quæ sub Henrico VIII. in Angliâ visa est, ex Latino Interprete derivata fuerat. Lutheri quoque versionem novi Testamenti Anglicè conversam fuisse auctor est Cochlæus. Fertur etiàm Biblia Londini fuisse edita sermone Vuallięnsium, seu antiquorum Britonum, & Guilhelmum Bedellum vetus Instrumentum, Usserium verò Armachanum novum in sermonem Hybernicum transtulisse. Sed hanc Hybernicam sacri codicis interpretationem igne absumptam periisse.

Cochl. in act. Luth.

C A P.

CAP. XXVI.

De Bibliorum Versionibus, quæ plebeio ac vulgari sermone è Scholis Genevensium prodière.

Roberti Olivetani translatio.

NUllæ reperiuntur sacri contextûs versiones sermone Gallico, quæ ex Hebræis & Græcis fontibus sumptæ fuerint, præter eas quæ è Genevensium Scholâ prodière. Nam in præsentiâ nòn moror Gallicam Scripturæ interpretationem quæ Renati Benedicti, Theologi Parisiensis, nomen præfert: quandoquidèm illa nòn differt à Genevensi, ut ex iis quæ posteà animadvertentur manifestum erit. Robertus Olivetanus, ex Picardiâ oriundus & Joännis Calvini consanguineus, primus immensum illud opus aggressus est & absolvit anno MDXXXV. qui etiàm primus est deformatæ apud Genevenses ab eodem Calvino Religionis annus. Ante hæc tempora, ut testatur Robertus, legebantur in his locis MSS. versionis antiquæ sermone Gallico exemplaria, cujus auctor ignorabatur. Quæ autèm fuerit interpretationis suæ methodus fusioribus verbis asserit Olivetanus in Præfatione, quam operi suo præmisit: nec ea sanè contemnenda erat, si tanto oneri sustinendo par fuisset. Sed nec Hebraicè nec Gallicè doctum fuisse Interpretem illum multa ostendunt. De linguâ Gallicâ nulla est dubitandi ratio, cùm Roberti versionem posteà recognoverit Joännes Calvinus, & hanc à se recognosci asserat quòd illius auctor barbarè loqueretur. Neque similitèr linguam Hebræam calluisse ipse manifestè ostendit in tàm laudatâ Præfatione ubi nonnulla habet quæ vix a linguæ Hebrææ tyronibus ignorari poterant, dignúsque est qui omnium sibilis excipiatur, cùm eodem loco observat R. Aben Esram legisse in libro dicto *Tsachuth*, Judæos Tiberienses auctores esse punctorum, quæ nùnc supplent vices vocalium in codice Hebræo, cùm ab ipsomet

ſomet Aben Eſrâ ſcriptus fuerit liber iſte dictus *Tſachuth*. Robertus itaque Olivetanus nòn tàm ex Hebræis codicibus vetus Inſtrumentum Gallicè reddidit, quàm ex aliis Interpretibus quos ſibi duces propoſuit. Recenſet enim jàm ſuâ ætate tres Scripturæ ſacræ verſiones Germanicas & duas ſermone Italico. Profitetur tamèn ab ipſo exordio ſe *in nullius juráſſe verba magiſtri*, ſed omni anteceptâ opinione vacuum ad codices Hebræos reſpexiſſe: loca verò Scripturæ quæ ſibi videbantur paulò obſcuriora aſteriſco, ſive ſtellulâ, notâſſe, aliorum interpretatione ad marginem rejectâ.

Ejuſinodi diverſas interpretandi ſacri contextûs rationes plurimi facit Olivetanus, maximè eas quas ex Græcis Interpretibus & B. Hieronymo annotavit, quòd eidem contextui multum lucis afferant. Idcircò nòn omninò dependere ſe palàm profitetur ab hodiernis Judæorum codicibus, quibus addita fuiſſe à Magiſtris Tiberienſibus puncta illa vocalia quæ nùnc illos occupant, nòn veretur aſſerere; & ob hanc cauſam haùd infrequentèr ſe prætuliſſe Vulgatæ codicis Hebræi lectioni Græcos Interpretes & Hieronymum. In ſcribendis quoque nominibus Hebræis eoſdem ſequitur Interpretes, quos recentioribus Judæorum Magiſtris anteponit; novorúmque Hebraizantium pronuntiationem monſtroſam appellat. Denique ſe in linguæ Hebraicæ cognitione B. Hieronymo longè inferiorem eſſe agnoſcit.

Digna ſunt illa quæ in homine Heterodoxo, etiàm à viris Catholicis, laudentur: ſed de Roberto Olivetano affirmare poſſumus eum *vidiſſe meliora probaviſséque*, at *deteriora ſequutum*, dùm intra breve nimìs ſpatium, unius videlicèt anni, opus quòd vix intra annos quinquaginta perfici poſſet, abſolvit. Raró admodùm interpretationum diverſitates annotat, & vix recurrit ad vetuſtos Interpretes. Interdùm ſenſus minùs obvios ſequitur, ut ab ipſo Geneſeos initio, ubi pro his verbis quæ in Vulgatâ & in aliis ferè omnibus verſionibus exſtant, *Spiritus Dei ferebatur*, ipſe vertit, *ventus Dei*, &c. Ne autèm ob affectatam hâc in re novitatem in jus vocaretur, teſtes interpretationis ſuæ adhibet Patres aliquot Eccleſiæ Græcæ qui ea ſimilitèr reddiderunt: aliam tamèn interpretationem ad oram codicis ſui retulit. In fœdiſſimos quoque errores lapſus eſt Olivetanus non ſolùm quòd Hebraicè & Gallicè doctus nòn eſſet; ſed & quià literas

Lati-

Latinas nòn videtur calluisse. Et ita dùm Interpretem Latinum in condendâ suâ versione magis intuetur, quàm verba contextûs Hebraici gravissimè allucinatur; exempli causâ capite i. Geneseos ubi in Latino Interprete legimus *cete grandia* ipse reddidit *grandes baleines.* Sed nomen illud tàm in Latino quàm in Hebræo ad *balænas* restringi nòn potest, cùm in genere denotet animalia formæ oblongæ & ingentis. Quódque adhùc turpius, capite xv. Geneseos, ubi Latinus Interpres habet *lampas*, vertit Olivetanus ob vocum affinitatem *lampe.*

Joänis Calvini Biblia.

Joännes Calvinus, quanquàm non magis sciret Hebraicè quàm Robertus Olivetanus, hujus tamèn versionem recognovit; quòd ut ipse testatur, minùs Gallica esset multíque in eâ errores deprehenderentur. Illam tamen anteà laudibus ornatam auctoritate suâ muniverat. Optat ut viri eruditi per sex annorum spatium huic operi, quod laboriosum judicat, totos se dedant, versionémque suam posteà aliis non minùs eruditione præstantibus communicent. Hanc Calvini recognitionem publicavit Henricus Stephanus anno MDLIII. &, quòd ille esset vir acuti ingenii excellentísque judicii atque in sacrarum literarum studio volutatus, nòn pauca in versione Olivetani eruditè correxit, vocésque rancidulas, quià linguæ Gallicæ peritissimus erat, felicitèr castigavit. Ad res tamen potiùs quàm ad verba respexisse videtur, ac sæpissimè ut commodiorem sensum faciat, Paraphrastam agit nòn Interpretem. Aliquandò etiàm ubi necesse nòn fuit, discessit ab Olivetani versione, methodum tamen illius sequutus, diversis quas fert textus Hebræus expositionibus ad marginem rejectis, sed minùs frequentèr quàm Olivetanus, & in hàc quoque aliquandò errat, quòd sensum minùs proprium intra contextum exhibeat, probabiliori ad oram codicis relato, quià dictionum Hebraicarum proprietatem nòn intellexit. Plures etiàm notas marginales sumptas ex vetustis Interpretibus, quas sapientèr Olivetanus adjecerat suis exemplaribus, absque ullâ prorsùs ratione Calvinus sustulit; sicuti capite vi. Geneseos, ubi in LXX editione & Vulgatâ legitur, *nòn permanebit spiritus meus*, ipse cum Olivetano vertit, *ne debatra*, sive, *nòn disceptabit*, nòn servatâ veterum Interpretum translatione, quam ad marginem codicis sui repræsentaverat Olivetanus. Recognitionis istius Calvinianæ plures

fuerunt editiones, quæ etiàm ab hominibus Catholicis avidè lectæ fuerunt, & ea inprimis quæ Lugduni anno MDLVII. publicata est, in Folio, & charactere haud ineleganti, paucissimis duntaxàt in eâ immutatis, librorúmque sacrorum divisione ad Vulgatam accommodatâ: neque etiàm aliis munita est præfationibus quàm Hieronymianis, ut hàc arte faciliùs simpliciores deciperentur.

Cornelius Bertramus linguæ Hebraicæ apud Genevenses Professor, Beza, Fayus, Rotanus, Jaquemotus, Goulartius & alii nonnulli Calvini editionem iterùm recognoverunt anno MDLXXXVIII. &, ut erant Interpretes illi, inprimis Bertramus, Grammaticæ Hebrææ periti, priscam Genevensium versionem fecerunt minùs à Judæorum libris alienam, sequuti in hoc negotio Munsteri ac Tremellii præ ceteris interpretationes. In multis quidèm ab illis censoribus castigati sunt felicitèr & ut par erat Robertus Olivetanus & Joannes Calvinus; sed ex nimiâ corrigendi libidine locis compluribus manum medicam ubi nihil prorsùs necessitatis erat adhibuerunt. Ità dùm Tremellium sequuntur capite viii. libri Nehemiæ, ubi cum ipso reddunt; *ils en donnoient l'intelligence par l'escriture mesme*, Theologiam potiùs, quam in Scholis Genevensium hauserant quàm Scripturæ ipsius verba exprimunt. Similitèr capite iv. Geneseos, ubi priùs ab Olivetano & Calvino rectè & ad mentem Interpretum veterum redditum fuerat; *alors on commença d'invoquer le nom du seigneur*, reformatores isti obscurè ac barbarè verterunt; *alors on commença d'appeller du nom de l'eternel*, pravæ affectationis Aquilæ hâc in re imitatores. Vim quoque Gallici sermonis interdùm nòn videntur assequuti; exempli causâ capite vi. Geneseos, ubi sermo est de arcâ, admodùm insulsè interpretati sunt; *tu la calfentreras de godron par dedans & par dehors*: longè meliùs Olivetanus & Calvinus reddiderant; *tu la poisseras de poix par dedans & par dehors*, ut etiàm exstat in Latino Interprete; *bitumine lines intrinsecùs & extrinsecùs*. Quis paritèr ferat loquutionem hanc capite xxx. Geneseos, *il pela les escorces blanches*. Denique ut sexcenta ejusdem rationis prætéream vim particularum sermonis Gallici nòn videntur intellexisse, quæ tamèn sensum immutant.

Doctorum Genevensium Biblia.

Ex eo tempore nòn alia à Doctoribus Genevensibus versionis suæ correctio edita est quæ recenseri mereatur: sed voces quasdam penitùs obsoletas sustulerunt, ut interpretatio illa videretur minùs horrida. Notas duntaxàt Scripturæ locis quæ aliquid obscuritatis præ se ferrent adjecêre, quæ posteà pro Doctorum Genevensium arbitrio auctæ sunt, & hâc arte cerebri sui commenta sæpè pro verâ ac germanâ Scripturâ obtrudunt. Plerasque ejusmodi notarum ex variis Genevensium Doctorum libris & Bibliorum editionibus nòn ità pridèm in unum corpus redegit Samuël Desmarets Calviniani ritûs Groeningæ Minister, quas Genevensium versioni à se editæ addidit. Sed ut nullius ferè judicii est Scriptor ille, multa inutilia & absque delectu operi suo admiscuit. Biblia quæ sub nomine Renati Benedicti Theologi Parisiensis sermone Gallico publicata sunt etiàm inter Genevensia collocabimus; cùm & ipse Benedictus, à fratribus suis Theologis Parisiensibus gravissimè reprehensus ob istam Bibliorum editionem, liberè coram Deo & hominibus confessus fuerit suam Bibliorum editionem totum se debere viris Genevensibus, paucioribus solùm immutatis dictionibus quas nòn ad Hebræos codices, quià nihil Hebraicè sciebat, sed ex suopte ingenio reformaverat. Rationes quoque profert ingenuè Doctor ille Parisiensis quibus ad novam Bibliorum editionem adductus fuerit, quià scilicèt Parisiis nuperrimè edita fuerat Dialectica Aristotelis ex Græco in Latinum conversa ab homine linguæ Græcæ imperito, & ut illa versio magni æstimata fuerat, ità & ipse Interpretis illius exemplo, licèt nihil unquàm de literis Hebraicis ac Græcis degustâsset, vetus Testamentum ex Hebræis fontibus & novum è Græcis interpretari nòn reformidaverat.

Biblia Samuël. Desmarets.

Biblia Renati Benedicti.

Joännis Adeodati translatio.

Denique Genevensium etiàm Bibliis adscribemus Joännis Adeodati, Calviniani ritûs Genevæ Ministri, totius contextûs Biblici versionem, quæ primò Italico, deindè Gallico sermone edita est; nec minùs hodiè in Calvinianorum manibus versatur quàm ipsa Genevensis: adeò famosus est Interpres ille apud ritûs sui homines. Nec sanè levioribus adducti sunt rationibus ut de istâ translatione ità sentirent, quandoquidèm omnia in eâ plana sunt & facilia, auctorque ejus Paraphrasten potiùs quàm Interpretem agit, & nihil nòn ad sectæ suæ placita pertrahit, præsertìm in Notis,

tis, quæ versionis suæ contextui addidit. Ità Geneseos capite vi. Bertrami castigationem sequutus, vitatâ tamèn illius barbarie & obscuritate, vertit; *alors on commença de nommer une partie des hommes du nom de l'eternel:* aliam interpretationem, quæ vera & germana est, quámque Olivetanus & Calvinus sequuti fuerant, omninò reticet contentus notam addere, quæ Scripturæ verba intra hunc sensum limitet. Voces quasdam adjicere aut illas in alias mutare majòris perspicuitatis causâ ei nòn est religio, minùs interdùm de sensu proprio solicitus modò ab omnibus etiàm plebeiis hominibus intelligatur. Nec tàm viri Critici in suâ translatione munus obire videtur quàm Theologi & concionatoris qui in eo totus est ut populi affectus excitet. Nòn pauca quidèm in Notis ejus laude digna sunt, & interpretandis locis Scripturæ obscurioribus haùd inutilia; sed quià ex sectæ suæ principiis interdùm loquitur tùnc ineptum disputatorem se ostendit, vel dùm concionatoris partem agens subtiliores conceptus affectat, ridendum se cordatis hominibus exhibet. Ità quis temperet à risu legens hanc illius annotationem ad caput ii. Geneseos; *Eve fut formée non de la teste par ce que la femme doit estre sujette au mari, non des pieds par ce que elle ne doit estre foulée ni avilie comme une serue, non du devant par ce qu' elle ne doit contrarier, non du derriere par ce qu' elle ne doit estre méprisée ni rebutée ni delaissée, mais du coste & du milieu du corps pour monstrer la moderation que le mari doit garder en sa superiorité & la fidele compagnie qu' ils se doivent l'un à l' autre.* Iis autem qui Joànnis Adeodati versionem legere voluerint auctor fuerim ut Italicam, quæ haùd ineleganter scripta est, Gallicæ præferant legántque præsertìm librorum capitúmque summaria quæ universam Scripturam velut in compendium redactum exhibent. Gen. 2. 21.

Nec forsan abs re erit Gallicam Sebastiani Castalionis versionem inter Genevenses recensere, licèt ille his valdè exosus nòn minùs ob interpretationem illam Gallicam quàm ob Latinam Genevensium maledicta in se converterit. Publicata est autèm illa Castalionis editio Basileæ anno MDLV. eámque ipse Henrico II. Regi Francorum dicavit. Nòn est autem cùr in eam anxiè inquiramus cùm fermè ad verbum ex Latinâ petita fuerit, eamdémque prorsùs scribendi rationem sequutus fuerit Castalio; exempli causâ, capite xlix. Geneseos, ubi nomen Hebraicum *Schilo* in Latinâ editione interpretatus fuerat *Sospitator*, vertit in Gallicâ, *porte* Castalionis versio Gallica.

bonheur: & hanc quoque eodem planè modò atque Latinam sic exorditur; *Premierement Dieu crea le ciel & la terre*; *& comme la terre estoit neante & lourde & tenebres par dessus l'abisme*, *& que l'esprit de Dieu se balançoit par dessus les eaux*; *Dieu dit*, *la lumiere soit*, &c. Quæ ad verbum ex Latinâ suâ translatione reddidit. De illâ autèm nòn minùs conquestus est Theodorus Beza quam de Latinâ, reprehendítque acerrimè Theologos Basileenses, qui passi sint Sebastiani Castalionis Biblia cùm Latina tùm Gallica edi Basileæ. Utramque arguit ut impiam & indoctam, asserítque Castalionem linguæ Hebrææ prorsùs imperitum esse; & quià nihil omninò Hebraicè noverat Beza, testatur id se à viris didicisse in hâc linguâ peritissimis. Sed nòn ità indoctus erat Hebraicè Castalio quin magìs peritum Interpretem quàm Genevenses multis in locis se præbeat; quomodò, ut innumera prætercam, dictionem *Tanninim*, quæ occurit initio Geneseos vertitúrque à Latino Interprete *cete grandia*, nòn reddidit uti Genevenses *grandes baleines*, sed novâ dictione inventâ, ut meliùs piscium istorum magnitudinem exprimeret, interpretatus est *grands poissonnars*.

Cassiodori de Reynâ translationes Hispanicæ.

Cassiodori de Reynâ & Cypriani Valerii, qui è Protestantium cœtu etiàm fuerunt, sacri contextûs versiones scriptas Hispanicè penè omiseram. Ille in operis Præfatione testatur in condendâ suâ versione ex Hebræis codicibus ducem inprimis sibi proposuisse Pagninum Judæósque qui Hispanicam veteris Testamenti interpretationem publicàrunt. Hic verò nòn tàm novæ ad Hebræos fontes translationis auctor est quàm prioris, quæ à Cassiodoro edita fuerat, reformator. Uterque autèm vix Hebraicè doctus fuit. A Protestantibus quoque publicatam fuisse Italico sermone Scripturæ sacræ versionem ex eo licèt suspicari quòd Robertus Olivetanus duas Bibliorum interpretationes in hâc linguâ ante sua tempora editas recenseat. Unius quidèm auctorem fuisse Antonium Brucciolium jàm suprà animadversum fuit; à quo verò altera illa condita fuerit ad Hebræos codices penitùs ignoro.

Versio Italica.

C A P.

CAP. XXVII.

De Bibliis Polyglottis.

Biblia vocant Polyglotta quæ pluribus expressa linguis habentur; quâ ratione Judæi Constantinopolitani duo Legis Mosaicæ exemplaria linguis quatuor concepta ediderunt, quorum primum exhibet contextum Hebraicum, Chaldaicam Onkelosi Paraphrasim, Targum, sive Paraphrasim Arabicam R. Saadiæ cognomento Gaon, seu Excellentis, & Persicam Tausi versionem; alterum verò præter contextum Hebræum & Chaldaicam Paraphrasim complectitur translationem sermone Græco vulgari, & alteram linguâ Hispanicâ; utramque Hebraicis characteribus exaratam, additis punctis Rabbinicis quæ vices vocalium suppleant. Idem quoque in Arabicâ Saadiæ & Persicâ Tausi versionibus servatum fuit: at illud inprimis videtur dignum animadversione quòd Judæi qui Arabicæ R. Saadiæ interpretationi puncta adjecerunt ad plebeiam potiùs linguæ Arabicæ pronunciationem attenderint quàm ad veram & Grammaticam qualis notatur in Alcorano, ut ex his quæ prima sunt Geneseos verba licet judicare. אול מא כלק אללה אלסמאות ואל ארד ואל ארד כאנת גמרת וסחבחרת. Hæc si conferantur cum Arabico Saadiæ exemplari, quod Grammaticis signatum punctis exstat in Bibliis Anglicanis, etsi interpolatum ut in Bibliis Parisiensibus, quantum Judaica ista punctorum ratio à germanâ, seu Grammaticâ, discrepet facilè deprehendetur. Proferam quoque hoc loco specimen versionum Græcæ vulgaris & Hispanicæ, quòd illarum exemplaria in Europæ Bibliothecis vix reperiantur. Istud ex versu sexto capitis primi Deuteronomii sumetur, mediúmque locum Græcam inter & Hispanicam tenebit veritas Hebraica.

Polyglotta Judæorum.

Primus

או קיריוש או תאוש מש אשידיבן פרוש אמש איש טי חרב טו אני פולי אשש אופו קתשטי אשטו אורוט אטוטו	יהוה אלהינו דבר אלינו בחרב לאמר רב לכם שבת בהר הזה :	נואשטרו דיו הבלו אניש אין חרב פור דיזיר אבשטו אווש אשטאר איניד מונטי אישטי.

Anno 1515. Polyglotta Complutensia.

Primus inter Christianos Biblia Polyglotta publicavit integra Franciscus Ximenius de Sineros, Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus, quæ vulgò Complutensia Biblia appellantur. In his exstant contextus Hebraicus, Græca LXX Interpretum versio & Latina quæ vulgò putatur Hieronymi, necnòn Chaldaica in quinque tantùm Mosis libros Paraphrasis. Rationem operis sui statìm ab exordio illustrissimus ille Cardinalis aperit his verbis in Prologo ad Leonem x. summum Pontificem; *cùm uniuscujusque idiomatis sua sint verborum proprietates, quarum totam vim non possit quantumlibet absoluta traductio prorsùs exprimere; tùm id maximè in eâ linguâ accidit per quam à Domino locutum est — accedit quòd ubicunque Latinorum codicum varietas est, aut depravatæ lectionis suspicio ad primam Scripturæ originem recurrendum est, sicut B. Hieronymus & Augustinus ac ceteri Ecclesiastici tractatores admonent: ità ut librorum veteris Testamenti sinceritas ex Hebraicâ veritate, novi antèm ex Græcis exemplaribus examinetur.* Contraria tamen mòx loquutus in alio ad lectorem Prologo veritati Hebraicæ detrahit, Judæorum codices elevans ut antiquas Ecclesiæ versiones attollat: profitetur enim Latinam B. Hieronymi versionem Hebraica inter & Græca exemplaria à se collocatam tanquàm Iësum seu Romanam, ut loquitur, Ecclesiam inter duos hinc & indè latrones. Indigna sanè comparatio, quámque à tàm eximio Cardinale profectam vix crediderim. Chaldaicam verò Paraphrasim in libros tantùm Mosis publici juris se fecisse affirmat, quòd ista in reliquos veteris Testamenti libros admodùm impura sit, minùsque digna quæ sacris codicibus inseratur.

Hæc est Bibliorum Complutensium œconomia: in hoc qui-

Hæc

dèm illorum auctor Cardinalis Ximenius videtur dignus laude quòd novam & ab Hieronymianâ diversam translationem nòn cuderit, majorémque adhùc laudem meriturus si ea notâsset loca in quibus Latinus Interpres, qui nòn sempèr Hieronymum sapit, ab Hebræo contextu discedit. Nôrunt siquidèm rei Criticæ periti versionem istam, qualis nùnc exstat, Hieronymianam in omnibus haùd referre; sed habere aliquid mixtionis ex vetere, seu Italâ. In hoc etiàm doctissimum illum Cardinalem laudo, quòd Latinam editionem, quæ tùnc innumeris mendis scatebat, in multis repurgârit: verùm ista castigatio nòn ubique felicitèr ei successit, iis præsertim in locis ubi contextûs Hebraici verbis pressiùs adhærens Latinum Interpretem ex illo solùm & absque Latinorum codicum ope correxit, lapsus similitèr in reformandis interdùm ad Hebraica Græcorum Interpretum exemplaribus; etsi palàm testetur se nòn vulgaria, seu temerè oblata, exemplaria sequutum fuisse; sed vetustissima simùl & emendatissima. Græca autèm novi Testamenti verba ità à se edita asserit ut nudas præferrent literas absque ullis aut spirituum aut tonorum notis. *Antiquissimos*, inquit, *Græcos absque hisce fastigiis literarum scriptitâsse notius est quàm ut sit multis argumentis comprobandum.* Cùr verò idem ab ipso præstitum nòn fuerit in Græcâ LXX Interpretum editione mòx ostendit; quià scilicèt hæc mera est interpretatio, nòn autèm contextus, qualis est Græca novi Testamenti editio. Demùm his omnibus adtexuit Cardinalis Ximenius Hebraicorum Chaldaicorùmque vocabulorum dictionarium, quod nòn ex Rabbinorum libris desumptum fuit, ut alia ferè omnia quæ posteà concinnata sunt, sed ex vetustis Interpretibus.

Animadversio in Biblia Complut.

Biblia Complutensia iterùm edi curavit, sed longè auctiora Antuerpiæ Arias Montanus sumptibus & auctoritate Philippi II. Hispaniarum Regis, à quo Bibliorum Regiorum, seu Philippi II nomen sortita sunt. In his præter contextum Hebræum, Græcam LXX Interpretum versionem & Latinam B. Hieronymi, quæ exstant in Complutensi editione, apparet Chaldaica Paraphrasis in reliquos veteris Instrumenti libros, quam Complutensium Theologorum Bibliothecæ dicaverat Cardinalis Ximenius, & in novum Testamentum Syriaca translatio cum Latinâ illius versione. Nòn aliam quidèm textûs Hebræi translationem

Anno 1572. Polyglotta Regia.

nem quàm Hieronymianam Ximenii exemplo ductus operi suo Arias inseruit: verùm nè deesset Latina interpretatio, quæ contextûs verba in omnibus & κατὰ πόδα referret, ad calcem ejusdem operis adjecit Latinam Santis Pagnini versionem cum suis ad eam castigationibus, quo magìs adhùc verba Hebraica exprimeret. Immensum illud & verè Regium opus à Theologis Hispanis, Parisiensibus, Lovaniensibúsque & aliis viris eruditione & pietate conspicuis approbatum, imò & à summo Pontifice Gregorio XIII. eximiè laudatum, vix obtrectatorum quorumdam latratus & maledicentiam effugere potuit. Malè siquidèm audiit apud istos Arias Montanus, quòd ausu planè temerario & nefando impuram illam & portentosam Paraphrasim Chaldaicam, quam Ximenius in Collegii Complutensis Bibliothecâ recondi jusserat, primus in publicum edere veritus nòn fuisset. Nòn defuere etiàm inter Judæos, maximè in Italiâ, qui ex Paraphrasis istius editione Religionis suæ superstitionibus multum roboris accedere arbitrati, Philippo II. veluti ceremoniarum suarum eximio defensori fausta precati sunt. Verum inter Theologos repertus est, vir impensè doctus, Franciscus Lucas Brugensis, qui Paraphrasim Chaldaicam adversùs importunos invidorum latratus sermone apologetico defenderit. Professus etiàm fuerat Arias Montanus se ab instituto & ratione Cardinalis Ximenii nè tantillùm recessisse qui in animo habuerat ejusmodi Paraphrasim integram seorsìm publicare cum Latinâ illius interpretatione resectis tantùm fabellis.

Animadversio in Biblia Regia. Dignum est profectò Regium opus illud quod ab omnibus Theologis celebretur, & si nonnulla videantur in eo desiderari: eosdem quippe nævos præfert, quos jàm anteà in Bibliis Complutensibus notavimus. Nimirùm eadem sunt exemplaria Græca & Latina quæ jàm publicaverat Cardinalis Ximenius. Santis Pagnini versionem Latinam nòn tàm reformavit Arias Montanus quàm deformavit: dùm enim verba Hebraica pressiùs sequitur ubique ferè σολοικίζει, dansque *sine mente sonum* à germanâ dictionum significatione sæpiùs recedit. Denique Arias instructissimum longéque ampliorem quàm qui in Bibliis Complutensibus apparatum, qui plura Lexica pluresque Grammaticas exhibet, edi curavit: à quo tamèn nòn pauca, quæ minùs ad propositi sui rationem faciant, resecari possent tanquàm inutilia.

Regias

Regias Cardinalis Ximenii & Philippi II. impensas longè superavit ætate nostrâ vir eximius Michaël le Jay Parisinus, qui suis sumptibus novam Bibliorum Polyglottorum editionem aggressus, in illis cudendis patrimonium dilapidavit priusquàm ingens & mirabile opus istud ad umbilicum perduceretur. Primùm itaque ea omnia quæ in Bibliis Regiis jàm edita fuerant iterùm edi curavit typis elegantioribus, quibus deindè Samaritanorum codices, Pentateuchum scilicet Hebræo-Samariticum & versionem Samariticam, Syriacam quoque & Arabicam in totum vetus Testamentum versiones punctis instructas cum Latinis earum interpretationibus ausu planè incredibili adjecit: similitèr versionem Arabicam in novum Testamentum quæ in Regiâ editione nòn exstat. In hoc autèm negotio usus est operâ doctissimi viri Gabriëlis Sionitæ Maronitæ è monte Libano & in perpaucis voluminibus Abrahami Ecchellensis Maronitæ etiàm è Libano. Desideratur autèm in hoc opere apparatus qui complectitur animadversiones quæ in varias illas Bibliorum editiones jàm à viris doctis paratæ fuerant. Ortum quoque fuit ex illorum negligentiâ qui tàm eximio operi præfuerunt, ut Græcæ LXX Interpretum versionis & Latinæ B. Hieronymi exemplaria eadem prorsùs recusa fuerint quæ jàm in Bibliis Regiis edita, prætermissâ Vaticani exemplaris editione Græcâ quæ purior erat magísque castigata, neglectis paritèr Vulgatæ editionis exemplaribus, quæ summorùm Pontificum auctoritate ad vetustissimos eosdémque optimæ notæ codices à viris præstantibus & rei Criticæ peritis recognita fuerant. Interìm mendas prætereo quæ, Scribarum incuriâ in libros Syriacos & Arabicos invectæ, magnam partem relictæ sunt. Verba etiàm Syriaca & Arabica minùs assecuti Latini eorum Interpretes sensum locis compluribus nòn rectè exprimunt.

Anno 1645.

Polyglotta Parisiensia.

Animadversiones in Biblia Parisiensia.

Denique præmissæ sunt immenso huic operi Præfationes aliquot quæ illius utilitatem commendent. Verùm in his suo seipsum gladio jugulat vir clarissimus D. le Jay, dùm totus dependens ab hominibus qui nòn erant ab omni prorsùs opinione præconceptâ liberi atque inprimis à Joänne Morino, viro alioqui docto, Judæorum codices elevat, iísque antiquas Ecclesiæ tralationes præferre nòn dubitat; quódque videtur incredibile, palàm asserit *pro certo & indubitato esse debere, Vulgatam editionem quæ communi*

Catholicæ Ecclesiæ linguâ circumfertur verum esse ac genuinum sacræ Scripturæ fontem. At nè quidem Patres Tridentini simile de Latinis codicibus decretum ferre ausi sunt. Profusè marsupium suum evacuavit largificus ille vir in edendo tàm magnifico Bibliorum Polyglottorum apparatu, si constet Latinum Interpretem complecti germanam ac primigeniam Scripturam ad eùmque solum tanquàm ad verum fontem recurrendum. Haùd absimili ratione pro tuendâ LXX Seniorum interpretatione ducit argumentum opinione suâ firmissimum ex Scriptore Mahumetano, qui in re Chronologicâ, relictis Judæorum & Samaritanorum codicibus Hebræis, Græcos Interpretes sequitur: indéque conficit D. le Jay; *nòn tantùm apud Christianos LXX Interpretum supremæ auctoritatis fuisse, sed apud Mahumetanos etiàm ipsos.* Demùm quis credat D. le Jay, ut versionis Arabicæ, quam primus in publicum edebat, antiquitatem commendaret, veritum nòn fuisse affirmare illius ope ab Hieronymo septingentos aut octingentos versus, qui in veteri Jobi translatione deerant, restitutos fuisse; testémque profert assertionis suæ ipsummet Hieronymum qui scribit ante librum Jobi à

Hieron. Præf. in Job.

se translatum DCC. fermè, aut DCCC. in eo versus defuisse, séque in illâ cudendâ nullum de veteribus sequutum fuisse Interpretem, sed ex ipso Hebraico Arabicóque sermone, & interdùm Syro, nùnc verba, nùnc sensus, nùnc simùl utrumque expressisse. Verùm Arabici sermonis nomine nullam hoc loco versionem Arabicam indicare voluisse Hieronymum notiùs est quàm ut multis probetur. Ostendit doctissimus ille Pater his verbis, quàm difficilis intellectu sit liber Jobi, cujus auctor nòn Hebraica modò verba usurpavit, sed & Arabica & Syriaca, ad quorum intelligentiam *Lyddæum quendam præceptorem qui apud Hebræos primus haberi putabatur nòn parvis se redemisse nummis* testatur.

Anno 1657. Polyglotta Anglicana.

Vix publici juris facta fuerant Biblia Parisina, cùm in Angliâ clarissimus Vualtonus aliique viri eruditissimi cogitare cœperunt de iisdem Bibliis iterùm prelo committendis in minori formâ typísque minùs elegantibus ut nova illa Polyglottorum editio sacrarum literarum studiosis paratior esset atque illorum usibus accommodatior. Res ista felicitèr & ut in animo habuerant eis successit. Prodierunt itaque anno MDCLVII. Biblia illa Polyglotta,

ta, quæ vulgò Anglicana appellantur, eáque sex tomis comprehensa. Illa quidèm chartæ magnitudine & bonitate, necnòn typorum elegantiâ Parisiensibus Heptaglottis longè inferiora sunt; at id inprimis habent commodi quòd singuli contextus & versiones unico veluti intuitu legentibus se offerant, facilíque negotio inter se conferri possint: in legendis autem Parisiensibus Polyglottis id frustrà obtineas nisi duo simul volumina immensæ molis evolvantur. Deindè in hoc etiàm Anglicana præstant Parisiensibus, quòd illa Græcæ LXX Interpretum & Latinæ B. Hieronymi versionum puriora exemplaria præferant, Græca scilicèt quæ Romæ ex codice Vaticano, & ex hoc posteà Parisiis edita; Latina verò quæ studio & auctoritate summorum Pontificum Sixti V. & Clementis VIII. ab innumeris mendis expurgata fuerant. His omnibus accedunt versiones Arabicæ & Syriacæ libri Esther, Judith, Tobiæ aliorúmque, perpaucorum tamen, voluminum, quæ in Bibliis Parisiensibus Syriacè & Arabicè nòn exstant. Habet similitèr Anglicana illa editio Targum triplex; nimirùm, illud quod vocatur Hierosolymitanum, alterum Pseudo-Jonathanis, quæ ambo sermone Chaldaico impuro scripta sunt & Persicam Tausi Paraphrasim. Habet quoque Evangelia quatuor Persicè & Psalterium Æthiopicum; quæ omnia in Bibliis Parisiensibus desiderantur.

Intereà D. le Jay, qui in edendis Bibliis Parisiensibus facultates suas consumpserat, fortunam multis conquestus Anglos tanquàm homines plagiarios accusabat qui laborem alienum sibi sumpserant, nihilque aliud quàm quod jàm editum à se fuerat, si paucula eáque nullius ferè momenti excipias, iterùm publicarent. Dignus sanè miseratione fuit vir ille, qui futuri lucri studio patrimonium miserè dilapidavit. Verùm laude quoque digni sunt Angli qui paratiora & ad usus quoslibet accommodatiora Polyglotta ediderint; laude adhùc digniores si nationum Orientalium versiones, inprimis Arabicas, quæ in eorum Bibliothecis delitescunt, melioríque sunt notæ quàm quæ in Parisiensibus sunt editæ, publici juris fecissent: longè siquidèm satiùs fuisset exemplaria Pentateuchi Arabici cùm obelis, asteriscis aliísque Origenianis notationibus, quæ servantur in Bibliothecâ Oxoniensi evulgare, quàm interpolatam illam R. Saadiæ Paraphrasim, qualis jàm in Polyglottis Pa-

Animadversio in Biblia Anglicana.

risiensibus exstabat, iterùm recudere. Quódque videtur mirabilius, constat errores innumeros, quibus abundat Parisiensis editio, maximè in versionibus Syriacis & Arabicis, necnòn in Latinis illarum interpretationibus, adhùc in Anglicâ eosdem conspici; neque etiàm castigatos fuisse in animadversionibus Criticis, quæ in ultimum tomum rejectæ sunt. Alia prætereo & quidèm nòn pauca, quæ in Anglicâ Bibliorum editione notari possent; quippe *nihil est ex omni parte beatum.* In eâ autèm præcipuè eminet apparatus Biblicus qui frontem libri occupat, etsi suos quoque habeat nævos, videtur enim à diversis Scriptoribus concinnatus, qui diversa de eodem argumento sentientes in contraria abeunt: indéque ortum videtur ut Vualtonus, cujus nomine opus istud prodiit in lucem, parùm consentaneè interdùm loquatur.

FINIS.

CASTIGATIONES
AD
OPUSCULUM
ISAACI VOSSII
DE
Sibyllinis Oraculis
ET
RESPONSIONEM
AD
OBJECTIONES
NUPERÆ
CRITICÆ SACRÆ.

Castigationes ad Opusculum

ISAACI VOSSII

DE

SIBYLLINIS ORACULIS

ET

RESPONSIONEM

AD

OBJECTIONES

NUPERÆ

CRITICÆ SACRÆ.

AUctor Criticæ sacræ in vetus Testamentum Simonius in Isaaco Vossio, quem nimio Græcæ versionis affectu abreptum existimabat, moderationem requisierat. Sed vir doctus, qui *Christum in Apocalypsi tepidos evomere* novit, *nihilque Deum amare quod medium sit*, animo longè obstinatiori accessit ad scribendum opusculum de Sibyllinis Oraculis, in quo ad id unum respexisse videtur, ut elevatis pro suo more Judæorum codicibus Græcos Interpretes in majus extolleret. Ità etiam respondet Simonio ut eum potiùs animo à Rabbinis præoccupato ad scribendum se accinxisse scribat, exemplo Hieronymi, qui *primus Christianorum Rabbinicam condidit versionem & alios ad idem audendum signifer præcessit.* Profitetur Vossius se nòn Rabbinos sed Christum sequi.

Voss. in Resp. ad Obj. nup. Crit.

Id. Voss.

qui magistrum, & in eâ quam Christus ipse approbavit versione acquiescere, Simonióque auctor est ut cesset novam sacrarum literarum molire versionem, quòd purior magísque genuina introduci nequeat Scriptura quàm illa quæ à Christo & Apostolis nobis tradita est. Placet quidèm in hoc Vossius quod Græcis Interpretibus plurimùm tribuat, plùs etiàm placiturus si nòn eos ab omni prorsùs errore immunes affirmaret, atque ab illis nè quidèm in minutioribus recedendum esse, utpote qui Prophetæ nòn Interpretes ipsi videantur. Laudo prætereà eximii illius viri diligentiam in asserendâ à maledicentissimorum hominum calumniis LXX Seniorum tralatione & in expurgandis eorum codicibus. Verùm ubi de rebus Judæorum eorúmque libris agitur, summam præ se fert in his vir doctus inscitiam falsáque passìm pro veris conatur obtrudere. Totum istud negotium exemplis aliquot fiet illustrius. Quare nonnulla ex clarissimi illius viri opusculo de Sibyllinis Oraculis & Responsione ad Objectiones Criticæ sacræ seligam, ex quibus manifestum erit illum de rebus parùm sibi compertis decreta tulisse. Sumam itaque exordium ab Epistolâ quam opusculo de Sibyllinis Oraculis præmisit.

Primâ fronte in hâc epistolâ Vossius virum Hebraicè doctum miris modis traducit veluti *fatuum*, *Semi-Rabbinum & insignem nebulonem*, qui verba Hieronymi nequissimè interpolata produxerit. Verùm ex hoc potiùs B. Hieronymi loco qui in controversiam vertitur, Semi-Rabbini isti Sibyllistam Vossium tanquàm falsificum in jus vocabunt, qui doctissimi illius Patris verba à se minimè intellecta perverterit, protulerítque tùm editos tùm manu exaratos Hieronymi codices perpaucis cognitos. Locus de quo agitur exstat his verbis conceptus in Quæstionibus seu Traditionibus Hebraicis in Genesim ejusdem Hieronymi. *Hebræi quod sequitur*, & nescivit cum dormisset cum eâ & cum surrexisset ab eâ, *appungunt desuper quasi incredibile & quòd rerum natura nòn capiat coire quempiam nescientem.* Testatur Vossius complura se consuluisse exemplaria MSS. & in omnibus scriptum invenisse *apponunt* pro *appungunt*. Veriùs dixerit in nullis, qui probæ notæ fuerint, codicibus se invenisse *apponunt*. Quis enim sensus ex his verbis formari posset si pro *appungunt* repositum fuerit *apponunt*? Undè autem codices illos

Voss. in Epist. ad Thom. Brun.

Hieron. Tradit. in Gen.

Gen. 19. 33.

illos sumpserit non refert. Sed ut veniamus ad rem, nihil causæ fuit cur Vossius scilicèt verba contextûs Hebraici perverteret, veritus scilicèt nè ex istâ dictione *appungunt* punctorum antiquitas indè jam à temporibus Hieronymi defenderetur. Fatentur enim saniores Critici ejusmodi puncta Hieronymi ætate longè recentiora esse, qui tamen haùd inviti agnoscunt istud punctorum genus quorum hoc loco meminit Hieronymus, quæque supra dictiones aliquot Hebraici contextûs apponuntur, eâdem fermè ratione quâ Samaritæ & Syri lineolas quasdam transversas super quædam vocabula appingunt, quæ haùd dubiè à Grammaticis seu Criticis inventæ sunt. Judæos tùm antiquos tùm recentiores habet sibi consentientes hâc in parte Hieronymus: de his mentio fit in Talmude in Medraschim, seu Commentariis Judæorum Allegoricis in Scripturam, & in Masorâ. Ea quoque repræsentant hodierna Bibliliorum exemplaria nòn secùs atque Hieronymi ætate, & in plerisque ad dictionem בְּקוּמָהּ de quâ in præsentiâ disputatur, ad oram codicum hæc additur notatio נקוד על ו׳ *punctum super literam Vau*. In Bibliis Venetis editis in minori formâ à Petro Bragadino Genesis capite xxxvii. ubi simile punctum occurrit ad dictionem אֶת exstat in margine hæc nota חד מ׳ טו׳ נקודות בתורה *unam ex punctis xv. quæ sunt in Lege*. Rationes ejusmodi punctorum quales reddu*n*tur à Judæis, quorum anima est ineptiendi pruritus, silentio prætermitto, quià ineptæ sunt. Satis est annotâsse Judæos ejusmodi puncta ex paternâ traditione in exemplaribus suis dudùm retinere.

Edit. Venet. in 16. an. 1615.

Deplorat deindè in eâdem epistolâ Vossius miserum hoc tempore in Germaniâ Academiarum statum ubi tàm impunè grassatur Rabbinismus, nulláque excolitur Theologia nisi Rabbinica. Fieri nòn posse existimat vir doctus ut humaniores literæ tractentur ubi Rabbinismus regnat strigésque Rabbinicæ latè dominantur. Nec in his secum diffidentem me habebit Vossius. Auctor quoque fuerim ut nugivendi isti Theologastri, qui spretis literis Græcis & Latinis, nihil præter Rabbinorum commenta admittunt, ex Theologorum albo expungantur. Verùm ut his etiàm adscribantur viri eximiè docti qui exemplo Origenis, Hieronymi, Chrysostomi, Theodoreti, aliorúmque Patrum frequentant Judæorum limina, vix ferre possum. Nu-

gas quidèm eásque maximas plerique Judæorum libri præ-ferunt: àt nòn pauci sunt ex eorum classe Magistri qui sacras literas mirè illustrârunt. Rem ità esse apertè docent unius Hieronymi in Prophetas Commentarii qui doctissimos ætatis suæ Judæos consulere nòn erubuit. Delicatulo Vossio Hieronymus vilis est & Theologorum Semi-Rabbinorum princeps. Semi-Rabbinus tamen iste, etsi suos quoque nævos habeat, reliquos Ecclesiæ Patres in exponendis sacræ Scripturæ libris longo intervallo superavit. Optârim quoque ut in Semi-Rabbinorum castra priùs transeat Vossius quàm res illorum tractet: vix enim à risu temperant Semi-Rabbini isti cùm legunt in epistolâ quam præmisit libello de Sibyllinis Oraculis nè sex quidèm effluxisse sæcula ex quo primùm usurpari cœperunt puncta ista vocalia, quibus hodierni Judæorum codices onerantur: hos tria vel quatuor sæcula acerrimè inter se conflixisse, dùm alii sic, alii alitèr inducendas esse vocales censerent; & nè nùnc quidèm controversiam hanc fore sopitam nisi Daniel Bombergus litem istam diremisset conductis aliquot Judæorum centuriis; atque ità demùm istas vocales primùm Venetiis ex officinâ Bombergi in lucem prodiisse. Habuit profectò vir doctus Bibliothecam Rabbinorum libris benè instructam ex quâ hausit commenta ista plusquàm Rabbinica. Primò siquidèm nôrunt qui sunt in Judæorum libris volutati jàm ante Bombergianas Bibliorum Hebraicorum editiones in aliis Italiæ partibus, maximè Pisauri, edita fuisse Biblia Hebraica punctis vocalibus adornata. Reperiuntur etiàm Bibliorum exemplaria indè à CCCC. aut D. annis manu exarata quæ eadem puncta præferant, laudantúrque à Rabbinis antiquioribus Biblia Hebraica quæ puncta ista exhibeant. Similitèr nòn à DC. solùm sed a DCCCC. & ampliùs annis usurpata sunt ista puncta. Rabbi Saadias Gaon librum scripsit de re Grammaticâ sub annum DCCCC. in quo de punctis vocalibus, quæ longè ante illius ætatem apud Judæos in usu fuerant, multis disputat. Præterea ficta sunt ea omnia quæ de gravissimo inter Judæos conflictu affert Vossius, quonam scilicet modo apponendæ essent vocales contextui Hebraico. Ex eàdem quoque officinâ prodiit quod habet vir doctus de editionibus Bombergianis quæ ex complurium Judæorum sententiâ mendis scatent. Spernunt quidèm

R. Saadias.

dèm Judæi primam Bibliorum Hebraicorum Bombergianam editionem cui præfuit Felix Pratensis, quià scilicèt notationes Masorethicæ ad oram illius exemplaris summâ rei illius inscitiâ adjectæ sunt. Verùm secundam & tertiam Bibliorum Bombergianorum editiones laudant & venerantur. De addendis quidèm notis Masorethicis ad Bombergianas editiones maximæ subortæ sunt difficultates, quià pauci sunt etiàm inter Judæorum Magistros qui artem Masorethicam benè calleant; quas tamen improbo ac duro labore superavit R. Jacob Ben Hajim, primus Masoræ instaurator. Utrùm autèm in alendis Judæorum, quos conduxerat Bombergus, centuriis patrimonium dilapidaverit, utì contendit Vossius, nòn anquiro, neque de hoc nùnc agitur negotio. Complura iis quæ jàm à me allata sunt facilè adjici possent, forsàn nec ab instituto aliena; sed vereor nè vir doctus me tanquàm Semi-Rabbinum ac Judæorum fautorem trahat in judicium. Quare ad illius de Oraculis Sibyllinis opusculi examen transeo, ubi eruditiùs de Judæis eorúmque libris disputat.

Nonnulla affert statìm ab initio operis vir inexhaustæ eruditionis de Sibyllinis Oraculis, quibus in Hispaniâ præsertìm abusi fuerint Judæi adversus Christianos. Hæc quæ minùs à commento quàm à verâ historiâ videntur abesse præmonet inserenda paginæ xix. vel xxvi. ubi tractat illud argumentum. Verùm cùm jam demonstratum fuerit Chronologiam ex Judæorum codicibus petitam minùs adhùc favere Judæis ipsis quàm quæ ex Græcis Interpretibus sumitur, nòn est cùr refellendis hâc in re doctissimi Vossii inventis ampliùs detineamur. Jàm quidèm vir perspicacissimus animadverterat Judæos sub Aquilæ tempora Hebræos codices deditâ operâ corrupisse & bis mille annorum expunxisse tempus, ut tempus Messiæ necdùm advenisse obtinerent: at hoc loco, longè oculatior, putat depravationis istius spatium ut plurimùm viginti duobus posse determinari annis, ídque ex verbis Ignatii in epistolâ ad Philadelphienses rectè confici. Scribit sanctissimus ille Martyr, referente Vossio, se audiisse nonnullos dicentes, si eâ quæ in Evangeliis continentur nòn etiàm in Archivis, seu antiquis inveniantur monumentis, nolle se iis credere. Cùm ipse responderit, inquit Vossius, illi verò negaverint, manifestum Judæos jam tùm aut depravâsse sua exemplaria aut recessisse à sensu quem LXX tradidere Interpretes.

Sed quâ ratione Ignatii responsum, qui asserit Christum sibi esse pro Archivis, ad suam de corruptis circa illud tempus à Judæis codicibus Hebraicis possit trahere sententiam vir doctus, fateor me nòn assequi. Neque etiàm in germanis epistolarum Ignatii exemplaribus, quæ in lucem ipse edidit Vossius reperiuntur verba illa, *Christo velut summo sacerdoti credendum potiùs quàm aliis sacerdotibus*, quæ tamen quasi ad Ignatii responsum pertineant, profert vir doctus. Juvat hîc afferre ipsissima Ignatii verba; ἤκουσα γὰρ τινῶν λεγόντων, ὅτι ἐὰν μὴ ἐν τοῖς ἀρχείοις εὕρω τῷ εὐαγγελίῳ, οὐ πιστεύω. Τοῖς δὲ τοιούτοις ἐγὼ δὲ λέγω ὅτι ἐμοὶ ἀρχεῖά ἐστιν Ἰησοῦς ὁ Χριστός. *Audivi enim quosdam dicentes nisi invenero in Archivis Evangelium, nòn credo. His autèm respondeo, mibi loco Archivorum esse Iesum Christum.* Ibi de veteri Testamento nòn agitur cum novo comparato, ut existimavit Vossius, sed de Hæreticis qui ab Ecclesiæ infantiâ orti fidem quam præmonstrabat Evangeliorum codex respuebant: undè factum fuit ut prisci Ecclesiæ Patres Tertullianus, Irenæus & alii ejusmodi Hæreticos nòn tàm ex sacris codicibus refellerent, quàm ex certâ traditione, seu ex Christi doctrinâ per Apostolos eorúmque successores viros Apostolicos in Ecclesiis diversarum gentium propagatâ. Quo sensu asserit Ignatius Christum, seu illius doctrinam, sibi Archivorum antiquorúmque monumentorum loco esse. Is est, ni fallor, Ignatii verborum intellectus qui unitatem doctrinæ in Christo commendat, cujus spiritus quibuslibet Archivis debet anteferri.

B. Ignat.

Multa etiàm hoc loco affert Vossius de vocis *Æra* origine, sentítque cum iis qui *Æram* & *Hegiram* Arabum idem vocabulum arbitrantur; nec id videtur extra probabilitatem: sed quod mòx subjungit de nomine *Hegiræ* Arabicæ quasi ductum fuerit ex Hebræo הגר *hagger*, Proselytus, nòn est itá probabile. Putat vir doctus complures Judæos è sectâ Herodianorum relicto suo Messiâ Herode, qui semper ab ipsis vocatus fuerit הגר *peregrinus*, ad Mahometum transiisse & ab iis quoque dictum *hagger*. *Cum Judæi*, inquit Vossius, *Messiam peregrinum seu Proselytum fore crederent*. Ista profectò à commentis Rabbinicis minùs recedunt. Deindè ex quo Sibyllarum oraculo didicit vir doctus Judæorum Messiam ex ipsorummet Judæorum sententiâ Poselytum fore & peregrinum: hanc enim assertionem Prophetarum vaticiniis & Evangelicæ historiæ con-

trariam

trariam esse nemo nescit. Unum quidèm præ ceteris Messiam Judæi exspectant de quo in præsentiâ loquitur Vossius: at iste ex Judæorum omnium consensu futurus est natione & ritibus Judæus. Verùm alios prætereà Messias exspectant eóque nomine insigniunt reges quoslibet qui erga illos benè affecti sunt. Quâ ratione Cyrus Judæorum Messias appellatus est. Sic quoque Herodes & Mahometus Messiæ nomen à Judæis reportare potuerunt. Parati sunt etiàm hâc nostrâ ætate Regem illum aut Principem quemcunque qui res illorum & ritus patrias tueri voluerit tanquàm Messiam suum salutare. Verùm ista ad nomen *Hegira*, quod constat Arabicum esse nòn Hebraicum, minimè pertinent. Magìs ad veritatem accedit quod, post nonnulla interjecta, subjicit vir doctus de genuinâ vocis ἀπόκρυφος significatione, ità ut ἀπόκρυφος idem sit quod κρύφιος, librique Apocryphi iidem fuerint qui arcani & inaccessi. Sed quis cùm Vossio indè conficiat scripta illa Apocrypha, quæ ex ejus sententiâ olìm veteris Testamenti libris conjuncta fuêre, & à priscis Judæis approbata, digna fuisse quæ cum ceteris libris Propheticis in Scripturarum Canonem referrentur: hodiernum tùm Synagogæ tùm Ecclesiæ Canonem mutilum & decurtatum esse, qui Enochi, Eliæ aliósque ejusdem naturæ libros nòn complectatur? Vili veneunt apud Vossium Prophetæ, qui nòn modo LXX Interpretes inter Prophetas recenseat, sed & his quoque adscribat celeberrimos impostores qui ementitis Patriarcharum & Prophetarum, necnòn virorum aliquot magnæ apud Gentiles existimationis nominibus libros Adami, Enochi, Abrahami, Moysis, Esaiæ, Hieremiæ, Hystaspis, Mercurii Trismegisti, Zoroastris, Sibyllarum, Orphei, Phocyllidæ & complurium aliorum libros in lucem protulerunt. Brevi, si superis placet, etiàm inter Prophetas Vossius tanto Prophetarum stipatus agmine nova procudet vaticinia, nòn secùs ac famosus ille Impostor Guilhelmus Postellus, qui scribit Chaldæos doctrinam etiàm revelatam habuisse in suâ primâ Monarchiâ, & continuè instar sacræ doctrinæ per decem Sibyllas esse instauratam, ut esset omninò apud spiritum Dei inexcusabilis mundus, Christúsque sacrarum & Sibyllinarum doctrinarum Rex ab universo orbe adorandus innotesceret. His ferè similia de Sibyllinis Oraculis affert Vossius. Oculatior tamen adhùc Postellus Propheticam istam

Guil. Postel. de Orig. cap. 16. de ortu Sibyll. doctrinæ.

istam doctrinam asserit ortum habuisse à foeminâ principe totius orientis proximâ sanguine ipsi Noacho. Quis credat Isaacum Vossium, qui nihil nòn virulenti passìm in operibus suis adversus Judæos eorúmque Talmudem evomit, recensuisse etiàm inter Prophetas etiàm Doctorem Talmudicum. Si res ità sit, miror illum tanto contentionis æstu abreptum fuisse in virum

Lightfoot. Hebraicè doctum quòd è Talmude Evangelia exposuerit. *Minùs mihi peccaturus videtur*, inquit Vossius, *qui ex Alcorano quàm qui ex Talmude exponat Evangelia.* Sed de his satìs supérque, ad libros Apocryphos undè diverti tempus est ut redeam.

Apocryphos appello Scriptores, ubi de rebus Biblicis agitur, illos quos in suum Canonem neque Ecclesia neque Synagoga receperunt. Hinc factum est ut olim Hieronymus Judæorum personam induens & novissimè Cajetanus libros complures inter Apocryphos retulerint antequàm manifesto Ecclesiæ decreto tanquàm Divini & Prophetici recepti fuissent. Hoc sen-

Hieron. Præf. in Dan. su Hieronymus affirmat Danielem nòn habere apud Hebræos Susannæ historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Beli Draconis fabulas; *quas nos*, inquit, *quia in toto orbe dispersæ sunt, veru antepofito eásque jugulante subjecimus nè videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncâsse.* Haùd absimilitèr alio loco postquàm Scripturæ libros qui in Judæorum Canone

Hieron. Præf. in lib. Reg. erant, protulit, mòx addit, *quidquid extra hos est intra Apocrypha ponendum esse*; nimirùm Sapientiam, quæ vulgò Salomonis inscribitur, & Iësu filii Sirach librum, & Judith, & Tobiam &

Africanus. Pastorem. Africanus etiàm simili ratione adductus Susannæ historiam à Scriptore Græco confictam putavit: alii duos Danieles finxerunt; quorum primus Vaticinii, quod sub ejus nomine legitur, auctor fuerit, alter verò Historiæ istius Scriptor, quæ in antiquis Græci exemplaris editionibus Prophetiæ Danielis præmittebatur: primus siquidèm Hieronymus hanc historiam ad calcem ejusdem libri rejecit, quòd eam Judæorum codex, quem Latinum faciebat, nòn repræsentaret. Sententiam suam de Susannæ historiâ confirmat Hieronymus aliorum Patrum testimo-

Hier. Proœm. Comment. in Dan. niis. *Miror*, inquit, *quosdam μεμψιμοίρους indignari mihi, quasi ego decurtaverim librum, cùm & Origenes & Eusebius & Apollinarius aliíque viri Ecclesiastici & Doctores Græciæ has, ut dixi, visiones nòn haberi apud Hebræos fateantur, nec se debere respondere*

Porphy-

Porphyrio pro his quæ nullam Scripturæ sanctæ auctoritatem præbeant. Gregorius Nazianzenus, Melito Sardensis & auctor Synopseos quæ sub nomine Athanasii circumfertur ulterius progressi librum Estheris inter Apocryphos collocârunt, quòd linguam Hebraicam nòn callentes, ex eo solùm quòd antiquæ Estheris Historiæ nonnulla à Græco Scriptore assuta fuerint, opus integrum expunxerunt. *Accidit,* inquit Sixtus Senensis, *ut propter has appendicum lacinias hinc & inde quorumdam Scriptorum temeritate insertas, liber ille quamvis Hebraicus apud Christianos auctoritatem canonicam non receperit.* Nicolaus quoque de Lyrâ, Cajetanus, & alii nonnulli hæc additamenta pro Canonicis nòn habuêre, similibus haùd dubiè rationibus adducti. Gregor.Naziànz. Melit. Sard. Pseudo-Athan. Sixt. Sen. lib. 1. Bibl. S. Lyran.Cajet.

Hæc paulo fusiùs quidèm allata sunt, ut manifestum esset omnibus quinam libri ex vetustiorum Ecclesiæ Patrum sententiâ inter Apocryphos repositi fuerint. Apocryphorum siquidèm vocabulo abusus Vossius libros suppostititios & adulterinos veteribus Apocryphis adscribit, sícque fucum facit incautis & simplicioribus. Quod enim contendit vir doctus, libros Sibyllinos aliósque quos appellat fatidicos olìm cum libris veteris Testamenti conjunctos fuisse, lectos in primitivâ Ecclesiâ & à Paulo aliísque Apostolis commendatos otiosi hominis est figmentum. Nòn alii enim in Ecclesiâ primitivâ lecti sunt libri Apocryphi ceterisque veteris Instrumenti libris adjecti in Græcis Bibliorum exemplaribus, quàm illi qui à Patribus recensentur; etsi interdùm Patres nonnulli, ut Judæos, Gentiléſque pressiùs urgerent, vocaverint etiàm in auxilium libros Sibyllarum aliósque ejusdem rationis, quos tamèn nemo paulò cordatior inter Apocryphos, de quibus hoc loco agitur, numerabit. Dolet Vossius libros Sibyllinos & alios fatidicos, postquàm publico edicto prohibiti sunt, factos fuisse Apocryphos, interdictos, à nemine legendos, cùm antea palàm & religiosè nòn secùs ac reliqui veteris Instrumenti libri à Judæis legerentur: tùm factum fuisse ut arctiori quàm anteà sæpe libri sacri constringerentur, & ex eo tempore *Apocryphi* vocabulum, in sequiorem sensum acceptum fuisse, quasi idem esset liber Apocryphus qui spurius & dubiæ fidei. Interim Scriptores nòn laudat à quibus lepida ista commenta hauserit, quæ tamen parùm absunt à fabulis Judaicis. Lubens à viro docto quæsierim, quod olìm festivus ille Cardinalis Hippolytus Atestensis

ſtenſis ab Arioſto; *doue ha trovato tante Cojonerie?* Illi tamèn aſſentior in eo quod ſcribit de Apocryphis, ſi per libros Apocryphos nòn alios intelligat quàm illos qui à Judæis ad Chriſtianos cum reliquis veteris Teſtamenti libris tranſierunt, quippe partem maximam in Eccleſiâ Romanâ, inprimis poſt Synodi Tridentinæ decretum, tanquàm Canonici leguntur. Fieri potuit ut libri iſti qui inter Apocryphos olim recenſiti fuêre, quòd illos Canon Judaicus minimè approbaret, Prophetas etiam habuerint auctores. Nec contra iſta pugnat Joſephi auctoritas qui affirmat à temporibus Artaxerxis certam nòn fuiſſe apud Judæos Prophetarum ſucceſſionem, adeóque qui ab eo tempore conſcripti ſunt, libris Propheticis nòn debere adnumerari. Nam Prophetarum munus tùnc omninò Judæis ſublatum fuiſſe veriſimile nòn eſt: quamdiu enim ſtetit Judæorum Reſpublica, tamdiu fuêre apud eos Scribæ publici qui res ætatis ſuæ chartis committerent, iique Prophetæ appellabantur quià Spiritûs ſancti numine afflati erant, quanquàm nòn fatidici. Imò nè quidèm neceſſe eſt illos qui tùnc temporis res Judaicas ſcriptis complectebantur Prophetas fuiſſe, quià Synedrii magni aſſeſſores, quos à Deo inſpiratos novimus, illorum opera recognoſcebant. Verùm cùm publica Senatûs Judaici auctoritas ejuſmodi libros in Canonem librorum ſacrorum nunquàm retulerit, mirum videri nòn debet Patres pleroſque nòn recepiſſe illos tanquàm Divinos, ſed ut Apocryphos & dubiæ fidei, comparatè ſcilicèt ad alios ſacri codicis libros qui certæ erant fidei. Idem enim illis nòn fuit liber dubiæ fidei qui ſpurius atque adulterinus, ut exiſtimare videtur Voſſius, ſed certa ab incertis hoc titulo ſignare voluerunt: aliàs libri iſti priſcis Patrum noſtrorum ſæculis in Eccleſiâ lecti nòn fuiſſent, ſi quid ſpurii & adulterini in illis deprehenſum fuiſſet. Minoris tantùm illi erant momenti quàm libri ſacri, eóſque idcircò Eccleſiaſticos potiùs quàm Divinos Patres appellabant. *Legi quidèm*, inquit auctor expoſitionis Symboli quod tribuitur Ruffino, *in Eccleſiis voluerunt, nòn tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam.* Ruffinus. Quâ etiàm ratione eoſdem libros in ſuis cœtibus legit Eccleſia Anglicana. Nòn puto tamen quemquam hactenùs cogitâſſe, ſi Voſſium excipiamus, de introducendâ in Eccleſiam librorum Sibyllinorum lectione.

Novi quidèm Patrum nonnullos librum qui inscribitur Pastor multùm veneratos fuisse, Tertullianum quoque Enochi libellum quasi Divinum obtrudere conatum: imò contendisse Judæos à contextu Scripturarum libros complures semovisse, qui Religionem Christianam illustrabant. Cui etiàm sententiæ adhærere visus est Origenes, qui in epistolâ, quàm scripsit Africano de historiâ Susannæ, asserit Judæos multa à suis libris sustulisse nè legerentur illa à plebeiis hominibus. Verùm ista & alia id genus, quæ perpaucorum sunt, quæque ab iis proferuntur ut suæ potiùs hypothesi quàm veritati serviant, communi Patrum sententiæ apponi nequeunt. Nam ipse Tertullianus commune illud Ecclesiæ placitum verbis suis hoc loco videtur confirmare; *scis*, inquit, *Scripturam Enoch nòn recipi à quibusdam, quià nec in armarium Judæorum admittitur*. Itaque temporibus illis judicabatur istud Apocryphum, seu dubiæ fidei, quòd Judæi in suum Canonem nòn admiserunt. Aliud etiàm sentit aliis locis Origenes quàm quod scripsit Africano. Verùm hoc loco Susannæ historiam & alia additamenta, quæ præfert Græca LXX Interpretum editio, nòn aliâ ratione tueri potuit quàm recurrens ad libros Apocryphos ac supponens Judæos in exscribendis suis codicibus nòn paucos à plebeiorum cognitione removisse quæ in istis Apocryphis expressa fuerint. Didicerat forsàn Origenes à Judæis, quorum frequenti commercio utebatur, Esdram ejusque socios nòn omnes qui tùnc exstabant libros in publicum edidisse, & hinc confici posse existimabat Græcos Interpretes ea sumpsisse quæ in Hebræis codicibus nòn leguntur. Sed hæc sententia à communi priscorum Judæorum consensu recedit, qui perfectam & in omnibus accuratam contextûs Hebræi concordiam agnoverunt. Neque aliam ob caussam inventa fuisse videtur ab Origene & aliis nonnullis quàm ut veritas Hebraica cum Græcis exemplaribus, de quorum sinceritate nòn parva erat dubitandi ratio, conciliaretur. His accedit Origenem nòn tàm ex suâ mente in hâc ad Africanum epistolâ loquutum fuisse, quàm ut codices, qui tùnc in Ecclesiis legebantur, defenderet.

Tertul.

Origenes.

Tertull. de hab. mul.

Origen.

Objicit præterea doctissimus Vossius virum inexhaustæ doctrinæ Clementem Alexandrinum scribere Apostolum Paulum remisisse ad Sibyllas & Hystaspis vaticinia & commendâsse eorum lectionem. Si quæratur autem à Vossio ubinam hoc dixerit Paulus, statim respondit sufficere nobis debuisse hoc Cle- Clem. Alex.

mentem virum sanctum & cum multis Apostolicis conversatum affirmâsse; verùm si responsionis istius habeatur ratio, priscos Ecclesiæ Patres ab omni prorsùs errore immunes fuisse necesse est, quo nihil absurdius fingi potuit. Nôrunt quippe qui aliquam rerum Ecclesiasticarum cognitionem habent quàm vafrè prisci illi Patres, atque inprimis Clemens Alexandrinus, cum Judæis ac Gentilibus disputârint. Contendit etiàm Vossius librum Enochi, aliósque similes libros fatidicos ex eo solum rejiciendos nòn esse, quòd in Fragmentis aliquot quæ supersunt multa superstitiosa & Magica contineantur, cùm Balaamus Magus & Incantator fuerit, qui tamen futura Christi mysteria manifestè prædixit: quasi verò ea quæ de Balaamo in Scripturâ referuntur ad præsens institutum trahi possent, & hoc exemplo libros quos nòn solùm mendaciis superstitionibúsque & fabellis refertos esse constat, sed & ab Impostoribus, qui clarissimorum virorum ementiti sunt nomina, profectos, tueri liceret. Eâdem arte febricitantium Judæorum somnia in Zohare, Rabboth & Midras ab eodem spiritu quo profectum est Evangelium inspirata fuisse auctor est Guilhelmus Postellus, qui affirmare veritus nòn fuit ex doctrinâ Zoharis, tanquàm

Postell. de Orig. c. p. 17. quæ *à spiritu sancto & spiritualibus auctoribus pendet eductum esse Evangelium. Chalanni*, inquit idem Postellus, *Syri, Indi, Chaldæi, Magi, Gymnosophistæ, Ægyptii & Prophetæ eâdem sunt origine.* A quo nòn multùm discedere videtur optimus Vossius, cui

Liber Zorob. auctor fuerim ut Zorobabelis vaticinium, quod de Messiâ clarè loquitur, fuítque à Judæis sermone haùd impuro & Prophetico editum, in fatidicorum suorum classe collocet. Sed his valere jussis id quod nostri est instituti persequamur.

Præter hactenùs allata de libris Apocryphis animadvertendum est nòn solùm Judæos sibi Canonem Scripturarum condidisse; sed & suum quoque Canonem habere Ecclesiam quæ auctoritate suâ communivit plures libros quos Judæi expunxerant. Ità Augustinus asserit libros Maccabæorum nòn à Ju-

August. lib. 18. de Civit. Dei, cap. 36. dæis, sed ab Ecclesiâ pro Canonicis accipi: quod de duobus tantùm primis Maccabæorum libris intelligendum est: tertium enim Ecclesia non minùs quàm Synagoga respuit. Cui etiàm sententiæ videtur accessisse Hieronymus; etsi passim in suis

operibus

operibus strenuissimum Canonis Judaici defensorem se praebeat. Ruffino enim objicienti Hieronymum nullam Scripturae sacrae auctoritatem tribuisse in suâ Bibliorum editione Susannae historiae, hymno trium puerorum ac Beli Draconis narrationibus, quas appellaverat fabulas, respondet doctissimus Pater, nòn se quid sentiret dixisse, sed quid Judaei contra Christianos dicere soleant explicâsse. Dixerat tamen Hieronymus Origenem, Eusebium, Apollinarium & alios Graeciae Doctores pro his visionibus, quae nullam Scripturae auctoritatem praebeant, Porphyrio noluisse respondere. De libro quoque Judith haec scribit idem Hieronymus; *hunc librum Synodus Nicena in numero sanctarum Scripturarum legitur computâsse:* ad quae haec animadvertit Erasmus; *nòn affirmat approbatum hunc in Synodo Nicenâ, sed ait* legitur computâsse. Revera Hieronymus Praefatione in librum Regum, tùm Judith tùm Tobiam in Canone esse negaverat. An contraria his locis loquitur Hieronymus, qui secum etiàm in hoc dissidere videtur, quòd eosdem Tobiae & Judith libros apud Hebraeos inter Hagiographa legi affirmet, qui & jàm alibi scripserat hosce libros nòn exstare in Canone Judaeorum, adeóque inter Apocrypha reponendos. Quae sint illa Hebraeorum Hagiographa, de quibus his locis loquitur Hieronymus, fatetur se ignorare Josephus Scaliger, quià Hagiographa à Judaeis longè ante Hieronymi saeculum in Scripturarum Divinarum Canonem recepta fuerint. Sed in hoc decipi Scaligerum putat D. Huëtius, quòd nulla Hagiographa extra Canonem Hebraeos habuisse censuerit, affértque adversus Scaligerum famosam illam *Bath kol*, seu *filiam vocis*, cujus ope Judaei scriptiones Hagiographas & à Deo inspiratas ediderint. Verùm mera sunt otiosorum hominum somnia, quae Doctores recutiti de *Bath kol* commenti sunt. Deindè constat illos nunquàm in suum Canonem recepisse libros Judith & Tobiae. Itaque ficta sunt ea quae de duplici apud Hebraeos Hagiographorum genere à D. Huëtio & aliis proferuntur, refellique possunt nòn solùm Josephi & Hieronymi testimoniis qui Tobiam, Judith aliósque libros Graecè editos, quos nùnc Canon Ecclesiae Romanae comprehendit, neque Propheticis neque Hagiographis à Judaeis ádscribi palàm testantur; verùm etiàm Judaeorum recentiorum auctoritate qui in recensendis libris sacris nullam planè de illis mentionem faciunt; sed

Ruffin.

Hieron lib. 2. Apol. adv. Ruff.

Hieron. praef. in Judith.

Erasm. Schol. in hanc praef.

Hieron. praef. in Tob. & praef. in Judith.

Scal. animadv. in Chron. Euseb.

Huët. Demonstr. Evang. prop. 4. de lib. Judith.

Bath kol.

eos tantùm laudant tanquàm scripta sententiosa, quibus tamen nihil Divini inesse crediderunt. Si igitùr hâc nostrâ ætate, imò jàm priscis Ecclesiæ sæculis, inter Canonicos numerati fuerint, id tribuendum est Ecclesiæ judicio, nòn Synagogæ. Quare duplex Canon statuendus est, Ecclesiæ scilicèt & Synagogæ: à primo non malè dici possunt Ecclesiastici libri illi quos Ecclesia, nòn habitâ ratione Judaici Canonis, in suum Canonem voluit admitti & legi in suis cœtibus. Constat enim indè jàm ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis legi & cani consuevisse in congregationibus fidelium libros hosce, quos miratur Erasmus hodiè passim legi & cani in Templis. Sed rem ità esse discere potuit Erasmus ex libro Invectivarum Ruffini adversus Hieronymum.

Erasm. Schol. in Præf. Hieron. in Dan.

Hæc omnia egregiè illustrat Sixtus Senensis ab initio Bibliothecæ suæ, ubi libros Scripturæ sacræ in duas classes partitur. In primâ eos recenset, quos Protocanonicos seu Canonicos primi ordinis appellat, & hi sunt qui ex communi tùm Judæorum tùm Christianorum consensu extra controversiam recepti sunt; in alterâ autem classe eos reponit quos vocat Deuterocanonicos, seu Canonicos secundi ordinis, *qui olim*, inquit, *Ecclesiastici vocabantur*: illi nimirum de quibus inter Catholicos aliquando fuit anceps sententia, quíque serò ad notitiam totius Ecclesiæ pervenerunt. Primi generis libris adscribit in veteri Instrumento eos solùm quos in suum armarium admisit Synagoga; ad alterum verò genus revocat illos qui priscis Ecclesiæ sæculis inter Apocrypha scripta à plerisque numerabantur, quibus etiàm adscribit volumen Esther, quòd de illius auctoritate nonnulli Patres dubitaverint, utì jàm annotatum fuit. Sola de auctoritate Hieronymi restat difficultas, qui contra Judæorum omnium fidem, imò & sui ipsius testimonium scripserit libros Tobiæ & Judith apud Hebræos inter Hagiographa exstare. Miror Scaligerum aliósque viros rei Criticæ peritos nòn animadvertisse in Hieronymi Præfationibus in Tobiam & Judith legendum nòn esse *Hagiographa* utì nùnc legitur, sed *Apocrypha*. Licet enim desint codices manu exarati quibus lectionem hanc suffulciam, ipsamet Hieronymi verba illam manifestè ostendunt; *librum utique Tobiæ*, inquit doctissimus Pater, *quem Hebræi de catalogo Divinarum Scripturarum secantes his*

Sixt. Senens. lib. 1. Bibl. S.

Hieron.

quæ

quæ Hagiographa memorant mancipârunt. Quis nòn statim deprehendat legi debuisse *Apocrypha*, non *Hagiographa*, cùm liquidò constet Judæos de Catalogo Divinarum Scripturarum Hagiographa nunquàm resecuisse. Similis prorsùs ratio est Præfationis Hieronymi in Judith, ubi etiàm pro voce *Hagiographa* reponi debet *Apocrypha*: sic enim in eâ hodiè legimus; *apud Hebræos liber Judith inter Hagiographa legitur, cujus auctoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt minùs idonea.* Si idonea nòn est libri istius auctoritas ad res fidei stabiliendas, haùd dubiè non est è libris Hagiographis, qui extra controversiam Canonici & inspirati apud Judæos habentur; sed ex Apocryphorum numero, seu Scriptorum qui sunt dubiæ & incertæ fidei, quales existimavit libros Judith & Tobiæ Hieronymus. Hactenùs de Apocryphis quæ quidem fusiùs quàm postulabat instituti ratio explicavimus. Sed rem disputantium contentionibus valdè implicatam enodare à proposito nostro alienum nòn duximus. Hieron. Præf. in Tob.

Satis nòn fuit eruditissimum Vossium novos Prophetas finxisse veteribus longè oculatiores, novum jàm librorum Scripturæ sacræ ordinem hactenùs inauditum procudit. Libri Mosis ipso auctore quinque constituunt volumina, nòn vero unum ut Judæis visum est: & ut id à nemine possit vocari in controversiam, novæ illius distributionis rationes evidentissimas profert; *constat autem*, inquit, *vel ex ipsis sacris literis, ut alias gentes, ità quoque veteres Hebræos nòn in codicibus, quod serum demùm factum, sed in voluminibus & continuatis pellibus libros suos descripsisse.* Quid necesse fuerit ut ad veteres Hebræos recurreret Vossius minimè capio, cùm etiàm ætate nostrâ Judæi in libris qui Synagogarum usui serviunt, ejusmodi voluminibus utantur: nec ideò tamen Legem in quinque partiuntur volumina; sed eam ex antiquo more, quem etiàm Christi temporibus obtinuisse crediderim, unico volumine comprehendunt. Mox ulteriùs progressus vir doctus affirmat ætate Aquilæ, quem vocat futilissimum Interpretem, Judæos, vel ipsum Aquilam; nequissimam & ineptissimam sacrorum librorum divisionem odio Hebdomadum Danielis commentos esse, eósque pervertisse sensus & ordinem Scripturæ inducendo novam distributionem, Legis videlicet Prophetarum & Hagiographorum. Utrùm nova

va librorum distributio, modò libri integri sint, illorum sensum pervertat, judicent perspicaciores. Verùm nè minutiora consectari videar, dico longè probabilius esse Aquilam in vertendis sacris codicibus sequutum fuisse ordinem librorum quem ætatis ratio illius exemplaria Hebraica præferebant, cùm mutationis illius nulla appareat. Sed id fecit, inquit Vossius, odio Hebdomadum Danielis quem rejecit extremo penè inter Hagiographos loco: quasi verò Judæi non æquè fidem adhibeant Danielis de Messiâ vaticiniis ac Christiani. Miratur illorum simplicitatem Vossius qui Rabbinis credunt asserentibus *Cetuvim*, seu libros Hagiographos, spiritûs sancti afflatu conscriptos; *si Rabbinos*, inquit, *consulas, ridebunt utpote gnaros quid per spiritum sanctum intelligant.* Cùr jàm factus Rabbinista Vossius Rabbinos istos nòn laudavit, ut ex illis cognoscamus quid per *Cetuvim* intelligant? Novi quidèm Judæos de germanâ vocis illius significatione inter se nòn convenire; etsi omnes sentiant *Cetuvim*, seu Hagiographos nòn minùs Divinos esse & Canonicos quàm reliquos veteris Instrumenti libros. Negotium istud ità explicat subtilissimus Abravanel; *dicti fuêre* Cetuvim, *quià scripti fuêre in spiritu sancto; si vero ita sit, nomen* Cetuvim *ad id institutum nòn est ut denotet sermones hosce scriptos fuisse in libro, nòn vero ex ore exceptos; verùm ut denotet scriptos fuisse in spiritu sancto & in illo gradu, neque fuisse cum ipsis spiritum Divinum nisi in ipsâ suâ scriptione in hâc linguâ & sapientiâ.* Prophetiam in diversos gradus dividi, quorum unus alterum superet, affirmat R. David Kimchi: quos gradus subtiliùs explicat R. Moses Ben Maimon. Sed valere jussis ejusmodi subtilitatibus, quæ ex Philosophiâ Aristotelis & Averrois desumptæ sunt, constat Judæos hâc in re cum Josepho consentire, quòd libri omnes qui exstant in illorum Canone verè Divini sint ac Prophetici, quià scilicèt à Prophetis conscripti fuêre. Undè R. Don Joseph Ben Jechaia, qui Commentariis suis Psalmos illustravit, eósque cum Patribus suis ad *Cetuvim*, seu Hagiographorum, classem revocat, illos cum Lege Mosis comparat, maximámque indè colligit Psalmorum dignitatem. *Idcircò*, inquit Magister iste, *dignitas libri illius maxima est quòd sequatur Legem Divinam, ejúsque formam ac perfectionem imitetur.* Illud confirmat Patrum suorum auctoritate, qui Psalmos Prophetis ipsis videntur anteposuisse; quando-

Aquila.

נקראו כתובים לפי שנכתבו ברוח הקורש :

R. D. Kimchi Præf. in Psalm.

Ramb. in More Nev.

R. Don Joseph Jech. præf. in Psalm.

doquidèm illos Mosis Pentateucho adjungunt. Itaque, fatentibus ipsis Rabbinis, neque Danielis neque Davidis minuitur auctoritas, etsi in Prophetarum classe nòn recenseantur. Hæc enim eodem loco mòx subjungit R. iste Joseph modò laudatus; *neque mirum est librum Psalmorum multa continere vaticinia de tempore Messiæ, cùm etiàm in spiritu sancto interdùm exstent de rebus futuris vaticinia.* Hâc arte Judæi cum Christianis facili negotio conciliabuntur. Quódque videtur dignum animadversione, Talmudici Doctores librum Jobi volunt ab ipso Mose scriptum, qui tamen in classe *Cetuvim*, seu Hagiographorum, collocatur. Talm. Baba bathra.

Quis credat Vossium è Rabbinistâ fieri Doctorem Talmudicum? Contendit Judæos, etiàm fatentibus antiquis Rabbinis, multa sacrarum literarum loca expunxisse, utilitate suadente & verba & sensus immutâsse. *Nihil à me*, inquit vir ille Talmudicus, *hìc fingi cognoscet, siquis Talmudicos adeat libros in quibus pluribus locis hæc legas; bonum est ut evellatur litera de Lege & ut sanctificetur nomen Domini.* Verùm nòn licet omnibus adire libros Talmudicos, utì doctissimo Vossio. Crediderim decretum istud Talmudistarum rectè explicari posse verbis R. Mosis Ben Maimon, qui cum plerisque Judæorum Magistris ità Legis Mosaicæ immutabilitatem defendit, ut quasdam illius constitutiones Synedrii magni auctoritate ad tempus rescindi posse existimet. Asserit Magister ille Talmudicus Deum quidèm prohibuisse Deuter. iv. nequid ad verbum suum adderetur, neque etiàm quidpiam ex eo detraheretur; verum permisisse omnium temporum & ætatum sapientibus, seu, domui judicii magni, sepes constituere ad judicia Legis stabilienda in rebus quibusdam quas volunt innovare ad sartam tectam conservandam Legis auctoritatem: Deum præctereà facultatem illis sapientibus concessisse quædam præcepta Legis tollere & quædam prohibita permittere in certâ quâpiam re & casu nòn autem in prepetuum. Hæc sumpta sunt ex Latinâ libri More Nevochim editione à Buxtorfio publicatâ. Similia his habet auctor libri cujus nomen Cozri, quíque Hebraicè & Latinè etiàm à Buxtorfio editus. Roganti enim Cozri quomodò potestas illa innovandi quidpiam in Lege Divinâ stare possit cum verbis illis Deuteronomii; *nòn ei addes nec quidpiam ab eâ detrahes;*

Ramb. More Nev. part. 3. cap. 41.

Cozri. 3.

detrahes; respondet Judæus, hæc verba dici solùm de multitudine, nè quid ex suo ingenio innovet, sapiátque ex suâ scientiâ: nòn verò de senatoribus Synedrii magni, quia scilicèt nòn unius fuit Mosis sanctiones condere, sed & aliorum quoque Prophetarum sacerdotúmque & Judicum quibus idem spiritus Dei interfuit. Is est ni fallor genuinus Talmudicæ doctrinæ sensus quæ in eversionem verborum contextûs sacri trahi nòn potest, cùm de tollendâ literâ, imò dictione necnòn sententiâ aliquâ inter explicandum contextum illum agatur, minimè verò de mutandis eradendísque ejusdem contextûs literis aut dictionibus. Morinus, à quo Isaacus Vossius id omne quod Rabbinologiam sapit in suis operibus mutuatus est, postquàm nihil nòn commentus fuit ut ostendat sacros codices à Judæis deditâ operâ corruptos fuisse, demùm B. Augustini sententiam his verbis amplectitur; *S. Augustini sententiam de libris Judæorum ab ipsis de industriâ nòn depravatis lubentes amplectimur.* A quo tamen se in eo discedere profitetur, quòd Augustinus actionem illam incredibilem judicaverit, quià fieri nòn potuit gentem tam longè latéque diffusam conspirâsse in pervertendis codicibus tam multis & tam longè latèque dispersis; ipse vero Morinus Augustino perspicacior contendit actionem istam *nòn modò Judæis esse credibilem, sed etiàm ab iis haberi alterum fidei fundamentum.* Utrùm autem illud à Morino firmis probationibus demonstratum fuerit nòn est hujus loci expendere: satis enim est ostendisse Morinum, à quo in plerisque dependet Vossius, adduci nòn potuisse ut crederet Scripturæ sacræ libros à Judæis de industriâ depravatos fuisse; etsi Talmudistarum de evellendâ literâ è Lege pronuntiatum nòn ignoraverit.

J. Mor. lib. 1. Exerc. 1. cap. 6.

August.

Jàm Vossius relictis Talmudistis ad Græcos Interpretes venit, totúsque est in asserendo id omne quod superest linguæ Hebraicæ acceptum ferri debere LXX Interpretibus: absque illis nè unum quidèm verbum rectè exponi posse, nullas omninò versiones à Judæis seu ad mentem Judæorum factas bonas inveniri quæ nòn sint à LXX desumptæ Interpretibus; ubicunque ipsi deseruntur ipsam quoque ibi deseri veritatem; demùm ab illis Judæis petendam esse sacrarum literarum interpretationem, qui florente & superstite etiamnùm linguâ Hebraicâ sacros verterunt libros, sed nòn ab istis Judæis qui Christianæ fidei sunt hostes

hostes, quique sponte suâ fatentur se nescire Hebraicè. Jàm his ferè similia pro evertendis hodiernis codicibus Hebraicis & stabiliendâ veterum Interpretum auctoritate produxerat Joannes Morinus, quæ cùm à Ludovico Cappello, teste in præsenti materiâ locupletissimo, quem haùd immeritò plurimi facit Vossius, gravissimis argumentis castigata fuerint, malim verbis doctissimi illius viri quàm meis optimo Vossio respondere. Prima itaque de Morino ait Cappellus (nos verò de Vossio,) facile esse ignaræ plebi fumos vendere & *ad populum phaleras* jactare. Deindè veniens ad LXX Interpretes negat, contra Vossii mentem, linguam Hebraicam fuisse illis vernaculam, quæ scilicèt in captivitate Babylonicâ, à quâ plusquàm CC. annis distabant, deperdita fuerit. Addit illos ex Chaldaicæ & Syro, Chaldaicæ quâ Judæi tùm utebantur, linguæ affinitate potuisse studio, labore ac frequenti sacrorum Scriptorum lectione atque diligenti examine linguæ Hebraicæ nòn mediocrem sibi comparare scientiam. Multa etiàm potuisse illos ad linguæ illius & sacrorum librorum intelligentiam ex patrum suorum traditione habere necessaria. *At eos*, inquit Cappellus, *omnia vidisse, omnia intellexisse, nullibì lapsos esse aut allucinatos nemo dixerit, nisi qui Hebraicè nihil scit & qui eorum translationem cum Hebræo textu nòn contulit, etiàm in iis locis in quibus illi nòn secùs quàm nos hodiè legerunt, ubi videre est frequentes eorum pueriles & pudendos lapsus, sæpè lapsus à genuinâ vocum & phraseon significatione & sacrorum Scriptorum mente atque scopo.* Hæc & alia ejusdem generis plurima Criticæ suæ sacræ inseruerat Cappellus, quæ expungi curavit Morinus, quià ad illius palatum nòn faciebant. Illa autèm sumpsimus ex sermone Apologetico ejusdem Cappelli adversùs Bootium. Quid autem ad hæc respondeat Vossius nòn video, cùm & ipse noverit Cappellum ad scribendum opus suum Criticum nòn accessisse animo à Rabbinis præoccupato. Imò Semi-Rabbini isti quos sæpiùs traducit Vossius de Cappello ejúsque libro gravissimè conquesti sunt. Audiamus iterùm verba ejusdem viri docti & in hoc studii genere exercitatissimi, quibus diversum planè & à Vossii sententiâ alienum fert judicium de versionibus illis quæ post LXX Interpretes ex Hebræo factæ sunt; *tribuatur sanè veteribus illis translationibus*, ait Cappellus, *sua cuique laus, gloria & honor ob earum antiquitatem*

Lud. Capp. in apol. adv. Boot.

Id. Capp. ibid.

tiquitatem & perpetuum Eccleſiæ uſum; *at nè tamen ubi manifeſtò vitioſæ ſunt aut mancæ & imperfectæ præponatur earum vitium ipſi originariæ veritati atque authentico textui, néve præferantur illæ perversâ quâdam & iniquâ ac jurgioſâ & contentioſâ prorsùs invidiâ aut potiùs damnandâ quâdam* κακοηθείᾳ *aliis longè melioribus atque accuratioribus tranſlationibus.* Potuit igitùr melior & accuratior fieri ſacrorum codicum tranſlatio auctore Cappello quàm ſit Græca illa LXX Interpretum verſio. His & alia complura poſſent adjici quibus in præſentiâ ſuperſedeo nè ſim moleſtus. Deindè cùm Cappellus nòn ſit ex eorum hominum ſectâ quos facetiſſimus

Voſſ. in epiſt. ad Andr. Colv.

Voſſius appellat *aſellos caſſos lumine & intellectu, togulâ cinctos Profeſſoriâ, pro clypeo geſtantes Biblia Maſorethica cum omnibus ſuis punctis*, facilè crediderim eum abſque ullo negotio ad viri tàm eximii ſententiam de Græcâ LXX Interpretum verſione acceſſurum.

Iterùm inſtat Voſſius contendítque omnes Judæos qui Chriſti præceſsêre tempora agnoviſſe hanc ſolam verſionem velùt legitimam; uſque ad tempora Aquilæ nullam aliam lectam fuiſſe in omnibus Judæorum Synagogis præter illam LXX Interpretum, ut in Ægypto, Aſiâ & reliquâ Syriâ, ità quoque in Judæâ à temporibus nimirùm Alexandri Magni nullam præter Græcam auditam fuiſſe linguam in urbibus præſertìm oppidíſque; nè in Hieroſolymitanis quidèm Synagogis aliam præter Græcam perſonuiſſe linguam ſi Hebræa prælegeretur Scriptura acceſſiſſe interpretationem Græcam. Quot verba protulit Voſſius tot effudit commenta. Primò enim ante conditam LXX Seniorum verſionem ab Eſdræ temporibus conſtat nòn aliam in Judæorum Synagogis lectam fuiſſe Scripturam quàm contextum Hebraicum. Non enim ità linguæ ſuæ obliti fuêre Judæi in exilio Babylonienſi quin illa penes Prophetas, ſacerdotes ac viros principes remanſerit, uti rectè monuit Joſephus Albo, præſtantiſſimus Judæorum Theologus: & id haùd invitus agnoſcet Voſſius qui putet LXX Interpretes ſacros vertiſſe libros florente & ſuperſtite etiamnùm Hebraicâ linguâ. Jàm etiàm poſt conditam LXX Seniorum tranſlationem ſaltèm in aliquot Synagogis lectum fuiſſe contextum Hebræum, nec diffiteri poterit vir doctus, qui ſcribat Fl. Joſephum Legem Moyſis in Synagogâ Hebraicè interpretatum eſſe, Hiſtoriam belli Judaici antequàm Græcè ſcriberet linguâ Hebræâ edidiſſe; quo argumento

R. Joſeph. Albo.

Voſſ. in Caſtig. ad Obj. Horn.

mento refellit Vossius illos qui objecerant nescisse patrium sermonem, neque unquàm codicem Hebraicum inspexisse, quibus opponit ipsamet Josephi verba, qui scribat excelluisse se in disciplinis patriis præ ceteris Hebræis, Græcam verò linguam nòn nisi per Grammaticam addidicisse, accuratâ verò pronunciandi ratione caruisse. Ergò etiàm teste ipsomet Vossio qui pugnantia loquitur, nòn modò vilis popellus & ii solùm qui rure & in pagis versabantur dialecto utebantur Syriacâ; sed & viri principes inter quos Josephus qui linguam Hebraicam, aut Syriacam, vocat sermonem patrium, cujus pronunciandi ratio, quià erat paulò horridior, testatur se pronunciare vix potuisse Græcum sermonem, qui Hebraico, seu Syriaco, longè politior erat. Si lingua Græca in urbibus & oppidis erat vernacula, cùr Josephus qui rure & in pagis educatus nòn fuerat, hanc per Grammaticam didicit? Sileo Christum & Apostolos Hierosolymis Syriacè loquutos, utì manifestum est ex libris novi Testamenti. Quare figmentum est quod asserit Vossius de Hierosolymitanis Synagogis, in quibus nòn alia audita fuerit lingua quàm Græca. *Quod si*, inquit vir doctus, *Hebræa prælegeretur Scriptura accedebat interpretatio Græca, à solis quippe doctis intelligebatur vetus Hebraica lingua.* Mirus sanè ratiocinator Vossius, qui ex eo quòd docti solùm linguam Hebraicam intellexerint concludit etiàm Hierosolymis accessisse Græcam interpretationem. Longè verius dixisset his locis ubi lingua Syriaca apud Judæos erat vernacula accessisse lectioni Hebraicæ sacri contextûs interpretationem Syriacam; in iis verò locis ubi apud Judæos vigebat sermo Græcus accessisse Græcam interpretationem. Sic etiàm Hierosolymis in Synagogâ Alexandrinorum qui Græcè loquebantur nòn dubito quin sacer contextus primò Hebraicè pro antiquo Synagogarum usu lectus fuerit, deindè Græcè ab aliquo Interprete ex antiquâ etiàm consuetudine Judæorum, qui indè jam à reditu exilii Babylonici postquàm lingua Hebraica desiit esse vernacula, sibi præpositos habuerunt Interpretes qui verba Hebraica in patrium sermonem converterent, ut ab omnibus etiàm plebeiis intelligerentur. Quo sensu exponenda esse Justiniani verba putaverim quibus probant viri docti priscis temporibus in Synagogis Judæorum qui vulgò Hellenistæ appellantur lectam fuisse publicè Græcam LXX Interpretum versionem.

Joseph. in fin. antiq.

Justinian. Nov. 146.

sionem. Si enim verba Novellæ Justiniani pensiculatiùs considerentur, manifestum erit in istis Synagogis Græcam translationem venisse tantùm in auxilium contextûs Hebraici & velut illius interpretationem, quomodò Hierosolymis aliisque locis vicinioribus lectioni Hebraicæ adjungebatur interpretatio Chaldaico-Syriaca. Minimè tamèn reluctans agnosco cum Vossio etiàm in Judæâ linguam Græcam aliquâ ratione obtinuisse, maximè apud viros primarios & magistratus, ità tamèn ut sermo Chaldaico-Syriacus, quem eorum majores è Babylone reportaverant, prævaluerit: & ut ità credam nòn solùm adducor Josephi auctoritate, sed & compluribus novi Testamenti testimoniis ex quibus liquidò constat Christum & Apostolos Syriacè loquutos fuisse. Verùm de his infrà iterùm locus erit disserendi. Sunt & alia quædam quæ in opusculum suum de Sibyllinis Oraculis adversùs Judæos eorúmque codices Vossius conjecit: verùm cùm ea rursùs inculcet vir doctus in Responsione suâ ad Objecta nuperæ Criticæ, satiùs erit ista omnia in unum collecta expendere. Videndum itaque an hâc in parte felicior successus ei fuerit.

Voss. in Resp. ad Obj. nup. Crit. Primâ fronte laudat Vossius auctorem Criticæ sacræ, quam Simonio tribuit, quòd prisci Interpretes, LXX scilicet & Cappelli Observationes, ei placuerint. Diligentiam quoque ejusdem Simonii, seu potiùs patientiam, in evolvendis Rabbinorum scriptis laudat & admiratur: sed quòd illorum expositionibus traditionibúsque solo auditu propagatis aliquid solidi existimet subesse, & quidèm tantum ut eas sæpè nòn dubitet LXX Interpretum præponere versioni, in eo se cum illo consentire nòn posse palàm profitetur; nec putat quemquam cordatum cum Simonio hâc in parte consensurum. Cordatus tamèn est Cappellus ille quem tanti facit Vossius & quidem meritò; at in hoc, de quo agitur, negotio nè tantillum quidèm Simonius discessit à Cappello qui Morinum ejúsque similiam Vossium perstringit, tanquàm homines intemperantes qui perversâ quâdam & damnandâ κακοηθείᾳ antiquas translationes aliis longè accuratioribus præferant. In hoc prætereà Vossio displicet Simonius quòd scripserit Hieronymum rectè aliquandò recessisse ab antiquis Interpretibus quasi verò antiqui illi ab omni prorsùs errore immunes exstitissent. Neque etiàm

tiàm in hoc Cappellum deseruit Simonius, ubi enim Cappellus loco jàm suprà laudato pueriles lapsus in Græcâ LXX Interpretum versione haud infrequentèr deprehendi annotavit, hanc & Hieronymianam inter se comparat præfértque Hieronymianam utpote quæ meliorem sensum pariat; ac demùm ista subjungit; *sexcenta possent imò innumera ejusmodi proferri loca in quibus ex eâdem cum hodiernâ planè lectione Hieronymus longè aliter & feliciùs multo mentem sacrorum Scriptorum expressit quàm LXX, quià nempè eorum laboribus & translatione adjutus & aliorum, Aquilæ nimirùm, Symmachi, Theodotionis, &c. versionibus sublevatus, illorum hominum σφάλματα, cespitationes, allucinationes & aberrationes deprehendere potuit.* Nec aliud profectò de Hieronymo sentiunt qui Græcæ & Hebraicæ eruditionis habent aliquid, si unum excipiamus Vossium, qui exemplo Ruffini Hieronymum Judaico & à Rabbinis præoccupato animo ad cudendam novam contextûs Hebraici versionem accessisse existimat. Dudùm evanuit auctore in primis Hieronymo illa Græcorum Interpretum Prophetia quam majores nostri nimiùm venerati sunt. Verùm ad id quod è re nostrâ est redeamus.

Lud Capp. in apol. adv. Buxt.

Recentium Rabbinorum expositionibus & eorumdem traditionibus solo auditu propagatis nihil inesse solidi contendit Vossius, eo præsertìm adductus argumento quòd traditiones quæ solo auditu propagantur raro solent ad duo vel tria perstare sæcula. Si res ità sit, quâ ratione fieri potuit ut LXX Interpretes post deperditam à duobus sæculis linguam Hebraicam sacri codicis versionem fecerint in omnibus absolutam qualem fingit Vossius. Dicet haùd dubiè nihil hâc in re mirabile esse: cùm illi Prophetæ fuerint. Sed cuinam credemus, an Vossio affirmanti Græcos Interpretes fuisse Prophetas, an Hieronymo neganti? Verùm inquies Semi-Rabbinus est Hieronymus qui novam & Judaicam contra communem Ecclesiarum consensioonem ausus est translationem cudere; At Sibyllista est Vossius, qui novos Prophetas & Fatidicos hactenùs incognitos commentus est. Judaica illa & Rabbinica Hieronymi versio suos habet approbatores & quidèm innumeros, eósque pietate & eruditione conspicuos. Nemo autem est ætate nostrâ qui sententiam Vossii de unicâ LXX Interpretum versione recipiendâ

am-

amplectatur, si demas quosdam Socini discipulos, qui avidè illius opinionem arripiunt. Juvat rem ipsam avidiùs introspicere naturámque traditionis cui contextûs Hebraici lectio innititur manifestam facere.

Res quidèm Religionis, maximè quæ ad doctrinam à sensibus paulò remotiorem pertinent unius traditionis ope absque scriptis per plura sæcula vix servari posse facilè concesserim. De rebus vero quas vocant disciplinæ & ceremoniarum diversum planè ferri debet judicium, quia scilicèt res istæ fermè quotidiè in usum veniunt. Hoc potissimum traditionis genus prisci Ecclesiæ Patres suis suffragiis approbant. Jàm dico eamdem omninò esse linguarum rationem, quæ licèt emortuæ nec ampliùs vernaculæ sint, adhùc apud Doctores obtinent vigéntque in Scholis. Ad hanc traditionis speciem revocamus linguæ Hebraicæ apud Judæos traditionem. Ex hâc proculdubiò factum est ut etiàm hodiernis temporibus Samaritæ eosdem Legis Mosaicæ codices habeant atque Judæi si paucula excipias. Demùm ex illâ quoque traditione ortum ut Judæi nòn modò Orientales & occidentales de contextûs Hebraici lectione inter se consentiant; sed & illi qui *Carraim* apud illos nomen, ex eo reportàrunt quòd, rejecto Talmude aliísque traditionibus parùm constantibus, Scripturæ adhæreant & cum reliquis Judæis de ratione legendi sacri codicis in omnibus concordent. Explodenda igitur nòn est temerè traditio illa quam Carræi, qui plerasque Judæorum traditiones respuunt, integram amplexati fuère. Huc quidèm multa possem congerere sumpta ex Judæorum libris, quibus probant majores suos indè jam à Zorobabelis & Esdræ temporibus Scholas habuisse tùm apud Babylonios tùm apud Hierosolymitanos; sed his & aliis ejusdem generis prudens supersedeo quòd nòn sint ad palatum doctissimi Vossii cui Rabbinologia multùm displicet. Nòn ignoro complures Judæos, illos maximè qui sunt è classe Grammaticorum, existimare nòn solùm sacros codices in exilio Babylonico variè distractos ac miserè depravatos fuisse, uti sentiunt RR. Kimchi & Ephodæus, sed & linguam ferè deperditam. Et cum his consentiunt etiàm Judæi qui sunt è sectâ Carræorum. Ità enim scribit de hoc

argumento

argumento Aaron Ben Joseph, doctissimus Carræus; *exules fuerunt Israëlitæ ex terrâ suâ in alienâ, obsignatáque est visio ac Prophetia, parùmque absuit quin lingua Hebraica deperdita fuerit. Surrexerunt sapientes Israëlitæ quibus Deus addidit spiritum & pertrectârunt Scripturam quæ apud nos libros XXIV complectitur.* Ex quibus manifestum est linguam Hebræam antiquitùs omninò sepultam nòn fuisse, etsi post reditum Judæorum è Babylone Hierosolymis nòn ampliùs vernacula fuerit; sed à Legis tantùm Doctoribus conservata. Sic dicitur Esdras scribæ peritissimi munus præstans legisse ex pulpito Legem *coram multitudine virorum & mulierum.* Ex eo potissimùm tempore suos ducunt Paraphrastas Judæi qui Legis verba sermone patrio exponerent ut ab omnibus intelligerentur; nec aliundè suam duxisse originem crediderim Græcam LXX Interpretum versionem, de quibus posteà mira commenti sunt Judæi; eorùmque somnia tàm avidè arripuit Vossius, ut existimaverit illos solùm à Christianis audiendos esse. Tùm in Synagogis & Scholis locorum ubi lingua Græca erat vernacula lecta est Græca illa Judæorum Alexandrinorum translatio, quæ intra breve temporis spatium ad reliquos Judæos qui Græcè loquebantur pervenit, quòd lingua Græca esset lingua dominantium. Nòn ideò tamen relicta est contextûs Hebraici lectio, ad cujus duntaxàt auxilium veniebat Græca interpretatio. Neque id diffitebitur Vossius qui asserat Josephum & Philonem, qui erat Alexandrinus, Hebraicè doctos fuisse. Quandonam igitùr periit lingua Hebraica? An tempore Aquilæ, quem futilissimum vocat Interpretem Vossius. Verùm ipse etiàm agnoscit Origenis tempore Alexandriæ, & Hieronymi ætate Tiberiade, celeberrimas fuisse linguæ Hebraicæ Scholas. Conservatas autèm fuisse post Hieronymum Tiberiadis Scholas nemo ignorat, quibus tandèm Criticorum illorum familia, qui vulgò Masorethæ appellantur, nota est. Masoretharum autem nomen obtinuerunt, quòd Masoram, seu legendi contextûs Hebraici traditionem, ab omnibus Judæis tùnc receptam beneficio notarum quarumdam, seu punctorum vocalium, intra certos limites clauserunt. En traditio Judaica, cui plurimum quidèm tribuit Simonius; sed à quâ nòn totus dependet, cùm nòn parvi etiàm faciat traditionem, seu lectionem contextûs Hebraici,

Aaron Ben Joseph Præf. Comm. in Pentat. כמעט היתה לשון עבר נשכחת מהם וגו׳.

Nehem. cap. 8.

Hebraici,

Hebraici, quam Græci Interpretes sequuti sunt. Imò eam interdùm Masorethicæ præferre nòn dubitat, quià scilicèt neque à Græcis Interpretibus, utì Vossius; neque à Latino, utì plerique Ecclesiæ Romanæ Theologi; neque à Judæis, ut turba Protestantium præoccupato ad scribendum animo accessit.

Verùm, inquit optimus Vossius, Judæi Christiani nominis sunt inimici, adeóque ab istis peti nòn debuit sacri codicis lectio: quasi verò ars aliqua ab aliis sumi possit quàm ab illis qui artem illam tractant. Sed iterùm instat Vossius fatetúrque lectionem hanc à Judæis quidèm petendam esse, verùm à priscis illis qui Christi tempora præcesserunt, minimè verò à recentioribus Rabbinis qui illam penitùs ignorant. Et in hoc etiàm cum Vossio consentit Simonius quòd traditionem lectionis Hebraicæ sumat quoque ab illis antiquis Judæis; in hoc verò ab eo discedit quòd nòn ab iis solùm, sed & ab Aquilâ, Symmacho, Theodotione, Hieronymo aliisque omnibus Interpretibus sacrarum literarum hauriendam illam esse putaverit: quià nimirùm ars quælibet ex uno aut altero perfici nequit, sed ex omnibus simùl collectis. Nullius Magistri legibus addictum se profitetur Simonius; negat ex vulgaribus Grammaticorum regulis perfectam haberi posse linguæ Hebraicæ cognitionem, quià sunt speciaIiores & intra angustos nimiùm præceptionum limites clauduntur. Censet prætereà ad vetustos recurrendum esse Interpretes exemplo Hieronymi, qui nòn modo ætatis suæ Magistros consuluit; sed & modò LXX Interpretes, modò Aquilam, modò Theodotionem, & quemlibet alium sequitur, cujus interpretatio sibi videatur commodior. De novâ instituendâ versione etiàm ætate nostrâ quæ ceteras omnes superet nòn desperat. Neque enim verum est ut sæpiùs inculcat Vossius unum duntaxàt Hieronymum à LXX Interpretibus recedere ausum fuisse. Imò reliquos Patres sæpiùs videas ad Aquilæ vel Theodotionis vel Symmachi versiones recurrere, quòd hæ meliorem interdùm sensum pariant. Longiùs profectò recedunt à Vossio qui putet sublatis LXX Interpretibus simùl quoque tolli omnem quæ superest linguæ Hebraicæ cognitionem, absque illis nè unum quidèm verbum rectè exponi posse, Aquilàm & alios Interpretes peccâsse ubicunque à vetere recesserunt versione, illum futilissimum esse Interpretem, qui ex Græcâ

câ tantùm LXX Seniorum translatione Hebraicè doctus nòn novas potestates vocibus Hebraicis affinxerit, sed eas solùm retinuerit significationes à Græcis illis interpretationibus positas, diverso tamen ordine, & alias notiones aliis locis accommodans. Istum tamen Aquilam, cujus versionem plenam futilibus vocabulis affirmat Vossius, haùd infrequentèr laudavit Origenes qui de Aquilâ loquitur tanquàm de homine qui verborum proprietates investigans, eorúmque significationibus diligentèr inhærens, eadem aptissimè interpretari studuerit, ὁ κυριώτατα ἑρμηνεύειν φιλοτιμούμενος Ἀκύλας. Si autèm easdem Aquila linguæ Hebraicæ notiones diversis locis diversâ tantùm ratione applicuerit, expendenda sunt illa loca, judicandúmque an rectè ab illis Interpretibus discesserit. Constat Hieronymum aliquandò prætulisse Aquilam LXX Senioribus quòd hi Judæis favere sibi viderentur. Similitèr Origenes putavit Aquilam locis compluribus dictiones contextûs Hebraici convenientiùs expressisse quàm LXX, nec ab eo dissentit Theodoretus. Commentum igitùr est quod fingit Vossius, inter omnes scilicèt antiquos Christianos neminem fuisse cui nòn majus Hebraicæ veritatis lumen affulserit quàm omnibus sæculi nostri Rabbinis & Semi-Rabbinis Christianis: nam ut optimè à Ludovico Cappello annotatum fuit, nihil est simùl cœptum & perfectum. Septuaginta Interpretum translatio ab Aquilâ, Symmacho, Theodotione & ab Hieronymo emendata est, & quotidiè emendatur, non secùs ac Hieronymiana, à viris Græcè & Hebraicè doctis. Illa reliquis Scripturæ sacræ versionibus in eo solùm præstat, quòd prima sit omnium translationum, à quâ proindè qui posteà sequuti sunt Interpretes nòn pauca ad instituti sui rationem hauserint. Nec dubito quin Philonis tempore Alexandriæ aliisque locis, ubi floruit lingua Græca, dictionum Hebraicarum Lexica exstiterint sumpta ex versione LXX Interpretum. His etiàm adjutum fuisse Aquilam in cudendâ novâ suâ translatione nòn inficias ierim. Sed ut credam illum qui ab Origene, Hieronymo aliisque Patribus diligentissimi Interpretis cognomentum reportavit, Judæos ætatis suæ nòn consuluisse vix adduci possim; & ut ità sentiret Vossius non aliundè permotus fuisse videtur quàm ex præconceptâ opinione, solos nimirùm audiendos esse LXX Interpretes quibúscum linguæ Hebraicæ

Orig. Comm. in cap. 1. Genes.

cognitio sepulta fuerit. Id omne quod in Aquilam regerit Vossius de Hieronymo etiàm dici potest, quem tamèn constat Doctores Judæos ætatis suæ in condendâ versione suâ ex Hebræo in Latinum sæpiùs consuluisse, imò & ab istis sæpiùs quàm à Græcis Interpretibus dependere voluisse. Ubique enim testatur in operibus suis Hieronymus se à doctissimis Judæorum Magistris ætatis suæ institutum fuisse. Similis est prorsùs Aquilæ ratio, quem contentiosum aliquandò appellat Interpretem quòd dictionibus Hebraicis pressiùs adhærens verba potiùs quàm sensum exprimat. Undè illum κακοζηλίας quidèm, seu pravæ affectationis, accusat, minimè verò ignorantiæ; cùm hanc potiùs affectationem tribuat Origenes nimiæ illius diligentiæ. Verùm his diutiùs quàm par erat immorati sumus.

Nùnc ad alia transit Vossius. Negat Scripturæ sensum erui posse ex codice muto quem nec legere, nedùm intelligere, quisquam sciat, utpote trunco mediâ sui parte, nec aliis, quàm quas Christianæ fidei inimici apposuêre, instructo vocalibus. Satis nòn fuit Interpretes sacri codicis traduxisse, nùnc ipsosmet codices accusat Vossius. Passim & usque ad nauseam in opusculo objicit mutum esse codicem Hebræum; quasi verò LXX Interpretum temporibus minùs mutus fuerit quàm ætate nostrâ. Hæc est nimirùm Orientalium scribendi ratio, ut sectentur compendia, neque illud vitium magis cadit in sermonem Hebraicum quàm in Arabicum, Chaldaicum & Syriacum, quorum etiàm scribendi ratio compendiosa est. Exemplarium quibus usi sunt LXX Interpretes melior nòn fuit conditio; verùm erat apud Hebræos ut & apud reliquos Orientales certa quædam legendi ratio usu confirmata, maximè apud Magistros, qualis etiàm nùnc exstat. Nam etiàm post inventa puncta vocalia plerique Orientalium libri absque istis editi sunt, neque tamèn minùs eos legunt qui eorum linguas callent, quàm si punctis omnibus instructi editi fuissent. Samaritæ codicem suum ejusmodi punctis nunquàm onerârunt, imò neque ea exhibent Judæorum exemplaria, seu volumina quæ publico Synagogarum usui inserviunt. An ideò isti codices muti sunt? Suas quoque habent vocales Judæi quæ ab istis punctis minimè dependeant, ut & ipse Vossius nòn diffitetur: verùm istas Scribæ pro arbitratu suo modò adjiciunt, modò omittunt. Quare optimè animadvertit sapi-

ens Aben Esra, vanum esse hâc in parte Masoretharum laborem qui nimis anxiè annotant quotiès dictio aliqua plenè scribatur & quotiès deficiat; id est quandonam cum suis vocalibus repræsentetur. *Scriba*, inquit doctus Aben Esra, *interdum scribendo exprimit dictionem plenam, interdum verò deficientem idque causâ compendii.* Si quis tùm antiquos tùm recentiores Interpretes inter se conferre voluerit, deprehendet ex illâ vocalium præsentiâ vel absentiâ aliquid diversitatis in contextu transferendo contigisse. Neque etiàm hodiè hâc in parte consentiunt secum invicem Judæorum Magistri, utì compluribus ostendit Simonius, qui nòn ob hanc causam de Judæorum codicibus detrahit; sed vitium illud, si quod sit, in linguarum orientalium naturam rejicit. Hâc arte Doctores Mahumetani lectionem Alcorani adjectis ejusmodi notis, seu punctis vocalibus, constantem fecerunt, nè in varias partes pro cujusque arbitrio trahi posset. Laudanda est profectò Judæorum hâc in parte diligentia qui punctorum beneficio sacrorum codicum lectioni in posterum consuluerunt. Certum est in quâlibet ætate fuisse Masoram aliquam saltèm apud linguæ Hebraicæ Doctores aspectabilem, quià sempèr certa fuit contextûs Hebraici legendi ratio; etsi illa nonnihil pro diversis ætatibus variaverit, ut ex diversarum translationum collationibus licet judicare. Quare totum istud negotium nunquàm videtur intellexisse Vossius, qui scribat propter vocalium defectum eò miseros Judæos redactos fuisse inscitiæ, ut nè legere quidèm scirent, nisi Hebraica verba Græcis expressa literis adscriberentur, quibus vocalium resarciretur defectus. *Hunc scribendi morem*, inquit, *à Judæis acceptum, in Tetraplis & Hexaplis sequutus est Origenes, Hebraicis & Samariticis opponens eadem Hebraica & Samaritica Græcis expressa literis, additis tantùm vocalibus ut commodè legi possent.* Mira sanè hoc loco, ut & alibi pasṡìm, commentus est doctissimus Vossius: ut enim sileam merum illud esse figmentum quod affert de contextu Hebræo qui literis Samariticis insertus fuerit Hexaplis Origenis, nemo sanus existimaverit Origenem hausisse à Judæis rationem exprimendi contextûs Hebraici Græcis literis; verùm ipse potiùs, ut linguæ suæ hominibus se accommodaret, verba Hebraica primùm Hebraicis literis, deindè Græcis characteribus expressit, ut etiàm Hebraica le-

Aben Esr. Præf in Pentat.

gere possent qui nihil scirent Hebraicé. Judæi siquidèm illis temporibus, ut & hodiernis, contextum suum absque punctis vocalibus facili negotio legebant, nec aliis adjuti literis quàm Hebraicis nòn solùm Rabbinorum libros legunt, sed & alia quælibet opera diversis sermonibus concepta. Sic habent Bibliorum versiones Græcas & Hispanicas nòn Græcis & Hispanicis exaratas characteribus, sed Judaicis, quarum specimina aliquot hîc subjiciam ut peritiores indè judicent an ità miseri sint Judæi ut linguæ suæ dictiones exprimere nequeant nisi externarum linguarum characteribus ; cùm & ipsi aliarum gentium linguas Judaicis literis haùd infelicitèr exprimant. Ità in Græcâ Pentateuchi interpretatione à Judæis Constantinopolitanis editâ, legimus Hebraicis literis או קיריוש *ὁ κύριος*. אי תאוש *ὁ Θεός.* פרוש *πρός.* טו אורוש· *τὸ ὄρος..* אקיני *ἐκείνη.* קי *καὶ*, & alia ejusdem generis innumera quibus Judæi quidèm puncta vocalia adjiciunt, sed quæ videntur inutilia ; cùm etiàm absque his vix alitèr legi possint. Eadem planè ratio est sermonis Hispanici à quo puncta quoque vocalia possunt abesse absque ullo germanæ lectionis detrimento: quo pacto legimus ; אין איל מונטי *En el monte.* אשטאר *Estar.* ויאידי אה דילנטי די ווש אלה טיירה *veedi à delante de vos à la tierra.* איל גרנדי ריאו *el grande rio* אי ואישטרוש פדריש *à vuestros padres.* Ex his manifestum est linguam quoque Hebraicam suis nòn carere vocalibus: possémque hûc congerere alia diversarum linguarum specimina Judaicis expressa characteribus absque ullis punctis vocalibus, quæque ope literarum inprimis אוי seu *Aleph, Vau & Jod*, quas vulgò lectionis matres Judæi appellant, facilè & promptè leguntur. Contigit tamèn ut Scribæ pro suo arbitrio, uti jàm annotatum fuit, haùd infrequentèr vocales istas prætermiserint : undè tandèm orta est nòn minima inter codices Bibliorum manu exaratos discrepantia, quæ adhùc conspicitur in exemplaribus optimæ notæ, longéque major erat ante Criticas Masorethrum notationes, ad quas plerique codices castigantur.

Res etiàm ista exemplo aliarum linguarum, quæ Hebraicæ affines sunt, Arabicæ nimirùm, Chaldaicæ & Syriacæ potest illustrari. Nòn aliis dudùm utuntur literis Persæ & Turcæ quàm Arabicis, quas ad usum suum nationes istæ accomodârunt. De Persis hæc habet Texeira ; *quando los Arabes entraron la Persia y la sennorearon, introduxeron en ella sa characteres y modo de*

Texeir. Hist. Pers. cap. 22.

de escrivir, al qual los Persios se applicaron y accommodaron, de suorte que elvidaron y se perdio totalmente el proprio suyo. Sed frustrà his immoramur: nemo enim ignorat Persas & Turcas nòn aliis uti characteribus quàm Arabicis, qui in negotio de quo agitur Hebraicos omninò referunt. Nec quidquam ad propositum facit quod mòx subjungit exemplum Vossius petitum ex scriptis Homeri & Virgilii operibus si vocalibus destituta ad nos usque pervenissent, quandoquidèm maximum est discrimen inter linguas Græcam & Latinam, atque inter Hebraicam, Chaldaicam, Syriacam & Arabicam; cùm hæ punctis vocalibus destitutæ nòn idcircò vocalibus penitùs destituantur. Adjicit & aliud commentum vir doctus, rationem hanc scribendi, Græcis scilicèt literis, viguisse apud Judæos per annos ferè mille, nempè usque ad tempus Masorctharum, qui ante sexcentos ferè annos, neglectâ hâc duplici scripturâ, sequuti Syros & Arabes apices & puncta invexêre quibus vocalium loco uterentur. Verùm indè jàm ab octingentis annis scripsit R. Saadias opuscula quædam de re Grammaticâ, ex quibus constat etiàm ante illa tempora ejusmodi puncta vocalia Bibliorum codicibus adjecta fuisse. Quorsùm meminit Masoretharum, quos punctorum inventores fuisse nòn diffiteor, cùm & ipsi diù ante Magistrum Saadiam floruerint? Verùm, inquit Vossius, adeò recentia esse puncta vel ex eo satìs est manifestum quòd nullus liber, nullúmque appareat monumentum, quod quidèm quingentis annis sit vetustius in quo ista compareant. Simili ratione dixerim ante sexcentos annos nulla fuisse Hebraica Bibliorum exemplaria, quòd nòn inveniantur ætate nostrâ quæ majorem præferant antiquitatem: sed pudet in his refellendis, quæ apertè falsa sunt, longiùs detineri. Monumenta produxit Simonius longè antiquiora in quibus puncta compareant. Invehitur prætereà in Judæos Vossius, eósque pravas & perversas vocales plerisque vocabulis aptâsse colligit ex propriis nominibus quæ in Evangeliis & in veterum Judæorum pasśim occurrunt monumentis; *ut necesse sit*, inquit vir doctus, *aut ineptissimè & nullo judicio hodierna esse apposita puncta, aut Christum & Apostolos omnésque adeò veteres Judæos Prophetarum & proavorum ignorâsse nomina.* Verùm nòn animadvertit optimus Vossius illa eadem nomina hodiernis

R. Saadias.

diernis etiam temporibus à Judæis diversarum nationum diversâ ratione efferri ac scribi si in patrium sermonem transferantur. Ea siquidèm alitèr scribunt Itali, alitèr Hispani & alitèr Germani. Ad antiquam tùm scribendi tùm pronunciandi rationem magìs accedunt Hispani, quià simplicior est illorum pronunciatio; Judæi verò Germani à genuinâ tùm scriptione tùm pronunciatione ceteris omnibus longiùs recedunt: ídque manifestò colligitur ex libris quos Italicè vel Hispanicè vel demùm Germanicè conscripserunt, in quibus dictiones Hebraicæ diverso planè modo & aliis literis exprimuntur. Constat tamèn illos hanc scriptionis diversitatem ex diversis Hebraicorum exemplarium lectionibus nòn hausisse. Sed pronunciationis vitium quod ex vulgari sermone oritur, secum etiàm trahit scripturæ vitium; undè factum est ut plerique Hebraistarum, qui ex Grammaticâ Hebræâ Buxtorfii Hebraicè sciunt, pravè quoque & more Germanorum dictiones Hebraicas scribant. Illud omne jàm à Leone Modenâ verbis paucioribus annotatum fuit, qui ut genti suæ faveret Italorum pronunciationem ceteris præfert; *nella pronuncia di essa lingua Hebrea*, ait Magister ille, *sono talmente poi tra di loro differenti, che à pena sono intesi; Todeschi da gl' Italiani e Levantini ne vi è chi più chiaro & conforme alle regole della vera Grammatica Favelli che Italiani.* Eamdem fuisse linguarum omnium sortem discere possumus ex priscis Grammaticis, illúdque argumentum optimè tractavit Erasmus Dialogo de rectâ Latini Græcíque sermonis pronunciatione, ubi observat Maximilianum Cæsarem ab aliquot diversarum nationum oratoribus se præsente Latinè salutatum, omnes tamèn qui aderant hisce orationibus credidisse nullam Latinè pronunciatam fuisse, sed vulgari quamlibet sermone. Galli orationem nòn malè Latinam adeò Gallicè pronunciatam fuisse testatur idem Erasmus, ut Italis aliquot eruditis qui tùm aderant Gallicè nòn Latinè dicere crederetur. Ad quam Galli orationem Doctor aulicus tàm Germanicè respondit ut nemo vulgari linguâ dicere potuisset magìs Germanicè; in hunc enim modum exorsus est; *Cæsarea Maghestas penè caudet fidère fos, & horationem festram lipentèr audifit.* Haùd absimilitèr Judæi Germani sermonem Hebraicum Germanicè pronunciant & scribunt, & indè maximè orta est nominum pro-

Leo. Mod. Hist. de Rit. Hebr. par. 2. cap. 1.

Erasmus.

Eras. sub. fin. Dial. de pron. Lat. & Græc. serm.

priorum diversitas quæ in Pagnini, Munsteri, aliorúmque recentiorum Interpretum versionibus deprehenditur, si cum Evangeliis & antiquioribus monumentis illa comparentur. Sed tempus est ut ad alia cum Vossio transeamus.

Incertam esse vocum Hebraicarum expositionem propter defectum vocalium contendit vir doctus, in eâque etiàm sententiâ Simonium esse existimat, qui etiàm crediderit indè factum ut Rabbini codices Hebræos lxxii facies habere affirment. Verum quidèm est Simonium interpretationum contextûs Hebraici diversitatem ex parte tribuisse vocalium, quæ modò adsunt modò absunt inconstantiæ. Sed lxxii. facies illas, quas codices Hebræi præ se ferant, ex Judæorum opinione longè alitèr explicavit; nec est profectò cur istud Judæorum pronunciatum adeò frequentèr objiciat Vossius quod nòn videtur intellexisse. Unus enim simpléxque Scripturæ sacræ sensus nòn minùs à Judæis quàm à doctissimo Vossio comprobatur. Nomine autem lxxii. facierum veniunt tantùm sensus allegorici qui tot sunt quot otiosi Magistri possunt comminisci. Commune enim est effatum nòn modò apud Judæos qui sunt è sectâ Carræorum, sed & apud Rabbanistas, quibus inest eruditionis aliquid & judicii, אין מקרא יוצא מידי פשוטו *Scripturam nòn abire extra sensum simplicem*, seu, ut vocant, *literalem*, quem unicum amplexari se profitetur doctissimus Aben Esra, spretis illis lxxii. faciebus, seu sensibus allegoricis & Cabbalicis, quos plerique Judæorum maximè qui incolunt regiones orientis sectantur. Quare Judæis ipsis illi mihi videntur ineptiores qui ex Rabbinorum libris varia fabularum monstra congerunt, ut Doctoribus istis recutitis creent invidiam. Ejusmodi portentis pleni sunt libri Talmudis & antiqui Medraschim, seu Commentarii allegorici. Hoc sensu dicunt Magistri Mosem nòn esse mortuum, R. Simeonis Ben Jochai & Regis Ezechiæ temporibus visum nòn fuisse arcum cœlestem quià justi erant; eo tempore quo Jonathan Paraphrasi Chaldaicæ operam dabat aviculas super eum volitantes momento exustas fuisse. Sexcenta ejusdem generis prætereo, quæ Judæi sapientiores בדרך דרש *sensu allegorico* dici existimant. Ad quam etiàm classem revocanda sunt ea omnia quæ de lxxii. Scripturæ faciebus commenti sunt Magistri.

R. Aben Esr. Præf. in Pentat.

Cesset

Gesset itaque Vossius illis objicere veritatem constare nòn posse ubi adeò multiplex est sensus.

Tergiversatus eodem loco vir doctus multa affert de nomine Prophetæ quæ sunt extra propositum planéque inutilia: quasi enim illum puduerit Græcos Interpretes Prophetis adscripsisse, illos affirmat verè Prophetas esse qui rectè Scripturas interpretantur, cùm Propheta idem sit quod Interpres & προφητεύειν interpretari. Quasi vero de hoc Prophetiæ genere in præsentiâ agatur. Derisus fuerat à Simonio Vossius qui rancidam de LXX Interpretum Prophetiâ sententiam renovare studebat, nòn aliis ad id permotus argumentis quàm ex odio illorum quos vocat Semi-Rabbinos. Quò autèm tendant illa quæ prolixiùs comminiscitur vir acutissimus ut ostendat nòn apud Græcos tantùm sed & Ægyptios somniorum, futurorum & similium interpretes vel indices appellatos fuisse Prophetas nòn ità sum oculatus ut videam. Contendit etiàm Idolorum cultoribus Deum sæpè contulisse donum Prophetiæ. Sed quid hæc facient ad præsens institutum? Græcam versionem divinitùs inspiratam appellat & illius auctores Spiritu sancto aut Prophetico afflatos, earúmque θεοπνευστίαν multis conatur adstruere. Nòn malè igitur Simonius objecit Vossio Prophetiam illam jampridèm & ab Hieronymi temporibus à LXX Interpretibus sublatam esse. Imponit ipse potiùs Simonio cùm illum in jus vocat quasi crediderit Stephanum Protomartyrem nòn Græco aut plebeio Syriaco, sed Hebraico sermone ultimam suam absolvisse concionem. *Quid integrum in Evangeliis supererit*, inquit vir ad superstitionem usque religiosus, *si istiusmodi admittamus commenta?* Verùm fingendis commentis ità assuetus est Vossius, ut nova cudere hoc loco veritus nòn fuerit quæ posteà commentitiis rationibus refelleret. Verisimilem putavit Simonius Hieronymi opinionem, qui scripsit credibile non esse Stephanum in suâ ad Judæos Hierosolymitanos concione testimonia veteris Instrumenti aliundè produxisse quàm ex Hebræorum codicibus. De verbis concionis quæ constat sermone Syriaco expressa fuisse nòn loquitur Simonius, sed de Scripturæ locis quæ in illâ concione à Stephano laudata sunt. Quare Vossii commentum est quòd Simonio tribuit, eum existimâsse

istimâsse plebem tempore Apostolorum gnarum fuisse veteris linguæ Hebrææ, cùm ipse potiùs passim affirmet plebem Hierosolymitanam Syriacè loquutam; in Synagogis Hierosolymitanis, ubi Syriacus sermo vigebat, lectam nòn fuisse Legem Græcè sed Hebraicè, cui statìm adjungebatur interpretatio Syriaca, nòn verò Græca utì commentus est Vossius: at de his jàm suprà fusiùs dictum fuit.

Iterùm malignè Simonio objicit Vossius ab eo scriptum Aristæi inter commentitia ob id repositum fuisse, quòd Judæis solenne fuerit fingere & scribere incredibilia, cùm ea quæ Moysis & Prophetarum scriptis continentur magìs sint incredibilia; ac si ex eo solùm quod Judæis solenne sit fingere incredibilia probaverit Simonius commentitiam esse Aristæi Historiam. Firmissimas & ex ipso Aristæi opusculo desumptas rationes profert, ostendítque Philonis Herennii testimonio quod refert Origenes Judæos illius temporis multa confinxisse parùm verisimilia. Nec miror Vossium ejusmodi Impostores cum Moyse & Prophetis conferre nòn dubitâsse, qui jàm illos inter Prophetas retulerit. Scribit tamèn vir doctus in eodem opusculo ubi, ut & ferè semper, parùm consentanea loquitur in Judæorum scriptis peregrinam rem esse veritatem, tantam inscitiam & barbariem, tantam figmentorum copiam in iis occurrere ut nihil verius sit illo Satyrici dicto,

——— Ære minuto
Qualiacunque volunt Judæi somnia vendunt.

Malignè similitèr & contra mentem Simonii alia nonnulla subjungit Vossius, quibus inutile est respondere cùm Simonii liber nùnc Latinè & Gallicè omnium teratur manibus, etsi Gallica recens editio, quæque ex eo sumpta est Latina, innumeris scateat erroribus. Jàm ut fortiùs premat Simonium Vossius, rogat undè suum de Regibus Judæorum hauserit historiam Demetrius Phalereus, si hujus ætate nulla exstiterit Græca versio. Istud quoque comminiscitur Vossius ut fingat sibi adversarium. Demetrii Historiam è Græcâ versione quæ LXX Senioribus vulgò tribuitur desumptam fuisse facilè agnoscet Simonius, qui de ætate auctorum versionis illius nusquàm disputat, verùm de ipsismet illius auctoribus, putátque ea quæ de

L l illis

illis ab Aristæo referuntur nòn abesse à commento. De tempore quo illa instituta & perfecta fuerit à Judæis Alexandrinis dissentientem nòn habebit Simonium Vossius, sed ut credat tot fabellis quæ de illis Interpretibus vulgò circumferuntur, vix adduci potest. Suo interim fruatur judicio delicatissimus Vossius, qui somnia plusquàm Rabbinica tàm avidè arripit, & quià jàm factus oculatior vir doctus ad scribendum se accinxit, nòn solùm Moysis Pentateuchum à LXX Interpretibus, sed & libros Historicos & Propheticos Græcè fuisse redditos nunc nòn dubitat, etsi olim se dubitâsse profiteatur. Gravissimæ tamèn sunt dubitandi rationes, inprimis quæ ex Josephi, Hieronymi & priscorum Judæorum testimoniis peti possunt. Negaverat Simonius verba Aristæi à Vossio intellecta fuisse,nùnc ad illorum qui Græcè sciunt judicium provocat vir doctus, quorum etiàm decretis penitùs standum esse arbitror, velimque ut ea quoque expendant illi judices quæ ex Eusebio aliisque Scriptoribus Græcis in opus suum transtulit Vossius cum novâ Græcorum verborum translatione; adeò in omnibus novator est vir ille incomparabilis, qui iterùm nova comminiscitur Origenis Hexapla, quæ nemini hactenùs visa fuerint. Probabiliora sunt quæ mòx subjicit de eodem Origene, qui integram LXX Interpretum versionem & fidelitèr descriptam Hexaplis suis inseruerit; nòn verò locis aliquot immutatam, utì suspicatur Simonius. Licet tamèn suspicari cum Simonio Origenem Græcam interpretationem quæ ipsomet teste innumeris erroribus tùnc referta erat ità integram nòn restituisse, quin plura loca sub prætextu castigationis immutaverit, quandoquidem nòn eam solùm ad probatos versionis illius codices recognovit; sed & ad Hebræos & Aquilæ, Symmachi, Theodotionis aliorúmque translationes. Quod vix assequi potuit quin antequam illam versionem in multis vitiârit, maximè cùm Origenes veritatem Hebraicam longè pluris æstimaverit quàm putat Vossius, si credamus Hieronymo, qui ingenium doctissimi illius Patris probè noverat; *de Adamantio autem*, inquit Hieronymus, *sileo, qui cum in Homiliis suis quas ad vulgum loquitur communem editionem sequatur, in Tomis, id est, in disputatione majori, Hebraicâ veritate stipatus & suorum circumdatus agminibus interdùm peregrina linguæ quærit auxilia.* Alitèr igitùr se habuit Origenes cum hominibus eruditis; alitèr cum impe-

Hieron. Procem. in Quæst. Hebr. in Gen.

imperitâ multitudine;&c,ut aiunt,cum paucis ſapiens ea quæ multorum erant loquebatur. His conſentiunt quæ ſcribit adversùs Celſum : poſtquàm enim ex libro Exodi produxit nonnulla ſecundùm vulgata Græcæ verſionis exemplaria, ſtatìm contextús Hebraici lectionem ſubjicit cum hâc animadverſione ; ἀλλὰ ταῦτα μὲν περιεργότερά πως εἶναι δοκοῦντα καὶ οὐ κατὰ τὴν τῶν πολλῶν ἀκοήν. Orig. lib. 5. adv. Celſum. *Sed hæc quæ videntur eſſe curioſiora nec ſatis apta vulgi auribus*, &c. Errat itaque vir doctus qui exiſtimat Origenem nòn alios probâſſe codices quàm Græcos LXX Interpretum. Ignorat œconomiæ illius Leges quas plerique Patrum, inprimis Origenes, ſequuti ſunt, ut jàm receptis à multitudine opinionibus ſe accommodarent. Quam etiàm Origenis œconomiam, ſeu prudentiam, imitantur ætate noſtrâ præſtantiſſimi Eccleſiæ Romanæ Theologi, qui uſum Latinæ editionis populo concedentes veritatis Hebraicæ cognitionem ſibi reſervant. Quià portentoſis Ariſtæi de LXX Interpretum verſione ſermonibus fidem nòn adhibet Simonius, cauſam reddere conatus cùr illa LXX Senioribus attributa fuerit, teſtatur ſe ad eorum ſententiam accedere qui putant à LXXII. Synedrii Hieroſolymitani Senatoribus, qui hanc ſuffragiis ſuis & auctoritate comprobârunt, nomen iſtud reportâſſe. Nihil tamèn affirmat, ſed de re tam obſcurâ & à noſtris temporibus ità alienâ conjecturam facit : in eum tamèn modeſtè ſentientem acritèr inſurgit Voſſius, rogátque ſi ab univerſo approbata fuerit Synedrio Græca illa interpretatio, quî fieri poteſt ut mendoſa miniméque exacta fuerit, ac ſi neceſſe fuerit ut auctoritas Synedrii magni, quàm verſioni illi acceſſiſſe ſuſpicatur Simonius ut publicè in Synagogis & ſcholis legeretur, hanc ab omni prorsùs errore eximere debuerit ? Nòn major illi αὐθεντία ex Senatorum Hieroſolymitanorum decreto accedere potuit quàm Latinæ editioni tributa eſt, poſtquàm Tridentini Patres illam Conſtitutione ſuâ fecerunt authenticam. An idcircò Latinus Interpres à mendis quibus anteà ſcatebat repurgatus fuit ? Minimè. In hoc etiàm decreti utriuſque videtur maxima paritas, quòd ſicùt in occidentis Eccleſiâ ex linguarum Græcæ & Hebraicæ ignorantiâ factum eſt ut Biblia ſermone Latino converſa & lecta fuerint, ità etiàm linguæ Hebraicæ apud Judæos Helleniſtas imperitia fecit ut Judæi Alexandrini ſacros codices in uſum ſuum

Græcè verterint, quæ deindè translatio Græca apud omnes Judæos qui Græcè sciebant obtinuit, eáque forsàn à Senatoribus Hierosolymitanis approbata: dixi forsàn, quià opus nòn est ad illorum auctoritatem recurrere ut ratio exponatur cùr versio ista LXX Senioribus attributa fuerit; sed observanda tantùm est loquutio Judæis admodùm familiaris, quâ res omnes quæ alicujus momenti sibi esse videntur, referre soleant לאנשי כנסת הגדולה *ad viros Synagogæ magnæ*. Quod genus loquutionis plurimos eósque eruditissimos in varios errores perduxit, dùm Judæorum libros nòn satìs cautè evolvunt: cùm nòn tàm quid loquantur Magistri quàm quomodò & quibus de causis ità loquantur animavertendum sit. Ità plerique Rabbini contendunt sacri codicis apices & alia similia suam ducere originem à viris Synagogæ magnæ, de more scilicèt gentis suæ, nòn verò ex rei ipsius veritate. Hoc quoque modo Græcam versionem tributam fuisse LXX Senioribus conjicere longè satiùs est, quàm Aristæi commentis cum Vossio fidem adhibere.

Displicet præterea viro docto quòd Simonius reducere conatus fuerit Hellenisticam linguam à viris doctis explosam, eámque obtrudere sub nomine linguæ quæ in Synagogis potissimùm obtinebat, ac si in illis peculiaris aliqua fuerit lingua quæ nec Græca nec Hebraica fuerit, ut hâc ratione efficiat LXX Interpretes & Græcè & Hebraicè nescivisse. Noverat profectò Simonius quid jàm à Salmasio adversùs linguæ Hellenisticæ defensores scriptum fuerat: sed pace viri illius docti dixerim eum de umbrâ asini disputantem lites de nomine tantùm concitâsse. Imperitiam Hebraici & Græci sermonis Græcis Interpretibus nòn tribuit Simonius sed *κακοζηλίαν* tantùm, seu pravam affectationem Judæis Interpretibus familiarem, maximè in vertendis Scripturis, qui verba Hebraica dùm curiosiùs & ad literam volunt exprimere à communi magísque recepto sermone paululùm deflectunt, specialésque notiones & à vulgaribus distinctas interdùm vocibus quibusdam tribuunt. Ista licet animadvertere in omnibus fermè Scripturæ sacræ versionibus quæ à Judæis conditæ sunt, utì rectè ostendit Simonius, à quo etiàm optimè annotatum fuit, Græcam LXX Seniorum interpretationem plerísque Patribus Græcis vix intellectam fuisse quòd illa Syriacæ vel Hebraicæ

braicæ linguæ aliquid retineret: Sicùt translatio Hispanica Ferraræ edita quæ Judæos habet auctores ab iis qui Hebraicè nesciunt vix legi potest, etsi Hispanicè docti sint. Id etiàm in causâ fuit cùr antiquus Græcæ versionis Interpres nòn paucas dictiones Græcas malè expresserit, vim illarum nòn assequutus. Aliquas etiàm nòn videtur intellexisse ipsemet Hieronymus licèt Hebraicè & Græcè doctus, dùm magìs ad Græca quàm ad Hebraica undè Græca sumpta fuerant attendit. Simonio etiàm objicit Vossius eum nescivisse quinam fuerint Hellenistæ. Fateor nescivisse anteà Simonium quæ contra communem doctissimorum virorum sententiam commentus est eruditissimus Vossius, qui ut ostentet Græcam eruditionem Ἑλληνίζειν esse asserit partes Græcorum sequi, ut Ῥωμαΐζειν, Περσίζειν, Μηδίζειν, Ἀντιγονίζειν, imitari mores & ritus aut stare à partibus Romanorum, Persarum, Medorum & Antigoni, & illis quomodocunque favere. Verùm perindè est ac si dixerim in præsenti negotio, ubi de re Criticâ lis movetur cum Vossio, nòn modò Vossium esse rei Criticæ peritissimum, sed & Canonicum Vuinsoriensem, qui Liturgiam Anglicanam in templo bellè decantet. Constat duplicis generis fuisse Judæos, & διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων distinctam fuisse ab iis Judæis, qui tùm in Judæâ, Samariâ, Babyloniâ aliisque regionibus vicinis Syriaco utebantur Sermone & Hebraicis codicibus. Illi, quià dispersi erant inter nationes quibus lingua Græca erat vernacula, Græcè etiàm loquebantur & Scripturam Græcè legebant, appellantúrque in Actis Apostolorum Ἑλληνισταί. De iisdem quoque exponenda sunt hæc verba Judæorum in Evangelio Joännis; μὴ εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων μέλλει πορεύεσθαι; *numquid in dispersionem Gentium iturus est?* Jàm Simonius, quod erat instituti sui referens, asserit Græcam LXX Interpretum versionem à Judæis maximè Hellenistis approbatam, quià Græcè callebant; secùs verò à reliquis Judæis quibus lingua Græca nòn erat domestica, quales erant Babyloniæ, Palæstinæ, Syriæ & Judææ incolæ quibus omnibus sermo Chaldaicus, sive Syriacus, communis fuit. Nòn inficiatur tamen Simonius etiàm inter hos exstitisse Hellenistas aliquot, nimirùm Hierosolymis erat Synagoga Alexandrinorum & Antiochiæ reperiebantur quoque Judæi Hellenistæ, utì constat ex Actibus Apostolorum. Cùm de contextu Hebræo tantùm

Act. 11. 20.

tùm

tùm & Græcâ illius interpretatione hoc loco ageretur necesse nòn fuit ut Simonius extra viam currens exemplo Vossii Judæos illos vocaret Hellenistas qui pacatiori erant animo & sine cunctatione vectigal pendebant, monebántque jugum à Deo impositum æquo ferendum animo, istos Græcorum partes sequutos fuisse: quasi verò etiàm Hierosolymis aliísque locis ubi Judæi Hellenistarum nomine insigniti nòn fuerunt nulli fuerint Judæi qui æquo animo & sine cunctatione vectigal penderent. Quare igitùr etiàm isti dicti nòn sunt Ἑλληνισταὶ seu φιλέλληνες; Verùm suâ fruatur conjecturâ Vossius, & Hellenismum ad solum nòn referri sermonem judicet. Modò aliquâ ratione ad hanc referatur satìs est. Hellenista quoque fuit Christus, si credamus Vossio, nòn quòd Græci sermonis peritus fuerit, sed quià jubet ut *Cæsari detur quod est Cæsaris*. Quod verò mox subjungit vir doctus de depravatis Judæorum codicibus deditâ operâ in rebus Chronologicis nòn est cùr iterùm illud ad examen revocemus, cùm jam superiori scripto fusiùs demonstratum fuerit in hoc Vossium gravissimè allucinatum esse; nec ea similitèr quæ de Danielis Prophetiâ etiàm Judæis cognita jàm quoque allata sunt hic opus est repetere. Juvat nùnc ea excutere quæ tanquàm minùs commodè à LXX Interpretibus reddita carpserat Simonius, eadémque obstinato animo Vossius tuetur. Expendens verba illa primi capitis Geneseos εἰς ἀρχὰς τῆς ἡμέρας, dicit Simonius ancipitem sibi videri hanc expositionem, quià vox ἀρχὴ *principatum* & *principium* significat. Miratur Vossius Simonium nòn etiàm reprehendisse vocem Hebræam, quæ & ipsa duplicem habet potestatem. Sed diligentis est Interpretis vitare amphibologiam. Locum hunc ante Simonii censuram, tanquàm convenientiùs ab Aquilâ expressum quàm à LXX Interpretibus, notaverat doctissimus Origenes. Deindè animadverterat Simonius ad hæc verba capitis iii. Geneseos ἐπικατάρατος σὺ ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν, præpositionem ἀπὸ huic loco nòn convenire, nec videri ullum constituere sensum: at longè perspicacior Vossius nòn potuisse locum hunc meliùs & exactiùs reddi contendit, nullúmque esse Græcum Scriptorem qui nòn sic loquatur. Græca quidèm esse hæc verba & præpositionem Hebraïcam מ rectè exprimi per Græcam ἀπὸ nòn inficias ierit Simonius; verùm quæstio est utrùm hoc loco, ubi

Gen. 3. 14.

de

de comparativo agitur, utì loquuntur Grammatici, illa præpositio per Græcam ἀπὸ benè reddita fuerit. Græcus Scriptor apposuisset ὅτι ubi sæpiùs LXX & Aquila vertunt ἀπό. Tertiò ad idem caput conjecerat Simonius pro τηρήσει & τηρήσεις legendum τηρήσει & τηρήσεις. Sed delicatior Vossius hoc nòn esse Græcum objicit, quià nòn dicitur τηρέω sed τείρω, undè futurum τερῶ. Minùs tamèn delicatus Grotius futurum τηρήσω nòn improbavit, quod etiàm legit Complutensis editio. Prætereà à τείρω nòn modò fieri in Futuro τερῶ sed & τέρσω nôrunt Grammaticorum filii. Cetera, quià sunt ejusdem generis & parvi momenti, visum est prætermittere, nè minutiora consectari videar. Silere tamèn nòn possum quod peritus naupegus Vossius annotat ad hæc verba capitis vi. v. xiv. Geneseos ποίησον σεαυτῷ κιβωτὸν ἐκ ξύλων τετραγώνων, *fac tibi arcam ex lignis quadratis.* Negat, contra mentem Simonii, ex asseribus aut tabulis ullum construi navigium, sed ex arboribus quadratis ædificari, quæ aptissimæ sunt fabricæ navali, utpote quæ materiem & simùl resinam seu picem ad unguendas exhibeant naves. Quadratas illas arbores quales fingit Vossius, cedrum videlicèt, abietem, piceam, pinum & sapinum construendis navibus aptissimas esse facilè crediderim, sed cùr neget illas deindè ædificari ex plancis, sive asseribus, ad costas ligneas applicatis minimè assequor. Nùnc ad alia quæ majoris sint momenti veniamus.

Denique, ut finem dicendi faciam, Vossius maligno adversùs Simonium animo invidiam illi creare conatur, dùm eum parem facit Spinosæ Judæo in iis quæ habet de incertitudine Scriptorum veteris Testamenti. Mox tamèn, seipsum veluti castigans Vossius, fatetur ingenuè meritò damnatum à Simonio Spinosam velùt indoctum & futilibus nimiùm argumentis quoscunque ferè S. Scripturæ libros abjudicantem ab illis quibus semper attributi fuêre auctoribus. Verùm indoctiores ipso Spinosâ se ostendunt qui libros Scripturæ sacræ statìm tribuendos iis esse existimant quorum nomina præferunt. Damnanda quidèm Spinosæ malignitas, sed nòn statim ea omnia quæ habet de sacris Scriptoribus damnanda sunt, quòd in aliquibus cum viris pietate & eruditione conspicuis consentiat. Verùm cùm hâc in parte Simonius nòn solùm doctissimo Vossio displicuerit, sed & viris haùd inferioris notæ, qui nihil nòn virulenti adversùs illius Criticam sacram evomuerunt jùvat hoc argumentum fusiùs texere.

Displicuit inprimis beatulis istis & delicatulis id omne quod scripsit Simonius de publicis gentis Hebraicæ Notariis, quos cum Josepho & quibusdam Ecclesiæ Patribus vocat Prophetas, qui nòn solùm res gestas suis temporibus chartæ commendabant, sed & ea quæ à prioribus Prophetis scripta fuerant servabantúrque in scriniis publicis recognoscebant, eâdem fermè ratione quâ Esdras post Judæorum è Babylone reditum sacros codices recognovisse, & illi quam nùnc obtinent formæ restituisse vulgò tùm à Judæis tùm à Christianis creditur. Nihil est in hâc Simonii assertione quòd nòn à plerisque Patribus iisdémque doctissimis approbatum fuerit. Adeatur unius Theodoreti, præstantissimi Ecclesiæ Orientalis Theologi, præfatio in libros Regum, ubi totum istud negotium explicat, liberéque ac nullatenùs dubitans asserit complures apud Hebræos fuisse Prophetas, quorum unusquisque scribere consueverit quæ suæ erant ætatis, partem maximam librorum qui ab ipsis conscripti sunt nùnc desiderari, ídque disci ex Paralipomenon historiâ. Addit illos quos nùnc vocamus libros Regum ex scriptis illis longo post tempore desumptos fuisse. Theodoreto consentiunt Diodorus, Procopius & alii nòn pauci. Similitèr doctissimus Masius, quem sequuti sunt Pierius, Sanctius, Cornelius à Lapide aliíque Jesuitæ in libris sacris diù multúmque versati, quorum verba hîc afferre nòn est operæ pretium, cùm illorum libri omnibus sint obvii. Verùm ut res ista fiat illustrior in singulos Scripturæ sacræ libros speciatìm incurrere forsàn nòn erit à proposito alienum.

Theodoret.

Diod. in lib. 1. Sam.
Mas. Præf. Comm. in Josu.
Sanct. Præf. in lib. Reg.
Perer. Præf. in Gen.

Primus in aciem prodibit Moyses quem quinque librorum Legis auctorem esse constans est tàm Judæorum quàm Christianorum traditio. In eo tamèn religiosiores fuisse videntur Judæorum Magistri qui nè quidèm dictionem unam, imò nec syllabam, exstare in Lege contendunt quæ à Deo profecta nòn fuerit & Moysi dictata; secùs Christianorum plerique, qui aliqua libris Moysis vel ab Esdrâ, vel ab aliis qui eos recognoverunt, longo post tempore adjecta fuisse liberè affirmant. Nec ipse Hieronymus singula Pentateuchi verba, qualis nùnc exstat, Moysi tribuere ausus est, sequutus hâc in re communem Doctorum Ecclesiæ sententiam, qui Legem universam

universam ab Esdrâ scribâ peritissimo recensitam recognitámque fuisse constantèr asseverant. *Sive Moysem dicere volueris*, inquit Hieronymus, *auctorem Pentateuchi, sive Esdram ejusdem instauratorem, non recuso.* Verùm utrum Moyses ipse eam quàm sub ejus nomine habemus historiam totam literis mandârit, vel ex parte à Notariis illis qui res ætatis suæ conscribebant, chartis excipi jusserit, major est difficultas. Tamen in quamcunque partem res cadat, Moyses totius Legis auctor & scriptor censebitur, ut optimè à Simonio jàm annotatum fuit, quià scribæ illi siqui jàm à Moysis tempore exstiterunt, ab eo in omnibus pendebant. Nihil quidèm in universâ Lege reperias, quod ejusmodi scribarum auctoritatem stabiliat. Sed nisi jàm ab illis temporibus ab ipso Mose constituti fuissent, aliquid Hebræorum Reipublicæ defuisset, quo nec Ægyptii, nec aliæ Orientis nationes caruêre. Jàm à Moysis temporibus fuisse apud Hebræos annalium scriptores Sanctius Jesuita doctissimus nòn dubitavit asserere his verbis; *Sentio fuisse in superioribus sæculis verba dierum, Commentarios, Ephemerides & curam diligentem & sedulam, ne obscuraretur temporum oblivione quos quisque natales & posteros haberet: quod à tempore Moysis mihi videtur omninò certum.* Parco recensendis aliorum nominibus qui eadem sentiunt. Miror tamèn nuperum Scriptorem ex ordine Seraphicorum zelo plusquàm Seraphico accensum sententiam hanc in Disquisitionibus Biblicis tanquàm impiam damnâsse, illiúsque auctoribus dira imprecatum. Verùm ut audio, Seraphicus ille Doctor, cùm nihil sciat Hebraicè neque Græcè, audacissimæ tamèn est inscitiæ, & ex eorum sectâ qui *quæcunque ignorant blasphemant.* Offendit præthereà nonnullos, & fortasse delicatulum Vossium, in Criticâ sacrâ Simonius, quòd aliqua libris Moysis posteà adjecta fuisse affirmaverit. Sed nòn etiàm hâc in re novator est Simonius, qui consentientes sibi habet peritissimos Scripturæ sacræ Interpretes Masium Pereriúmque qui hujus verba ferè integra in Præfationem suam in Genesim transtulit, Bonfrerium, Cornelium à Lapide, & alios benè multos. *Placet etiàm mihi*, inquit Pererius, *eorum sententia, qui existimant Pentateuchum longo post Mosem tempore interjectis multifariàm verborum*

Hieron. adv. Helv.

Sanct. Proleg. 4. in Paralip.

Epist. Cath. Judæ v. 8.

Perer. præf. in Pent.

borum & sententiarum clausulis veluti sarcitum & explicatiùs redditum, & ad continuandam historiæ seriem meliùs esse dispositum. Simili ratione Bonfrerius expendens verba quædam Geneseos quæ suspicatur à Moyse scribi nòn potuisse, hæc habet; *malim dicere aliquem alterum scriptorem Hagiographum nonnulla posteà addidisse, quàm Moysi Prophetam agenti omnia adscribere.* Haùd absimilitèr ad eundem locum Cornelius à Lapide ait; *hæc verba videntur addita post Mosem ab eo qui Mosis diaria digessit.* Quid quòd & ipsemet D. Huëtius Spinosæ objicienti libris Mosis nonnulla assuta fuisse, ità respondet ut ab eo vix discedere videatur: *Fatemur*, inquit, *Scripturæ reparatorem Esdram, sicubi se darent obscuriores aut difficiliores loci, huc & illuc de suo nonnulla in libros sanctos explicationis causâ infarsisse. Præterea cùm tot disputationibus propagati sint codices sacri, ut nullius unquàm libri tot exstiterint exemplaria, quid mirum, si quod aliàs sæpè evenit factum hic quoque sit, & adtextæ ad oram à viris piis ac doctis notæ in ipsum fortè contextum irrepserint?* Denique illa quæ ad calcem Deuteronomii habentur de Moysis morte & sepulturâ à Josuâ, vel potiùs à Synedrii magni Senatoribus, quorum dux fuit Josue, reliquo contextui vulgò creduntur adjecta. Ea siquidèm quæ tùnc gerebantur in acta publica referri mos erat ab iis quorum fuit illa describere, quo sensu dicitur Josue nonnulla *scripsisse in volumine Legis Domini*, fœdus scilicèt quod cum populo percusserat. Multa quidèm in ipsomet Pentateucho exstant quæ Legis libros à Moyse scriptos fuisse manifestè ostendunt; sic in Exodo legimus; *scripsit Moyses universos sermones Domini*: & in Deuteronomio; *postquàm ergò scripsit Moyses verba Legis.* Sed hæc & alia ejusdem generis complura de quibusdam tantùm Legis partibus, quarum in his locis fit mentio, exponenda esse demonstravit Simonius: undè & Hieronymus Oleaster, vir Hebraicè doctus & in sacris literis apprimè versatus, negat posse ex Scripturis probari efficacissimè Moysem ipsum Legis quam sub ejus nomine habemus Scriptorem fuisse. Hactenùs de Moyse & ejus libris; nùnc reliquos historiæ sacræ libros expendamus.

Bonfrer. Com. in cap. 36. Gen. v. 31.

Corn. à Lapide Comm. in cap. 36. Gen.

D. Huët. Demi. Evang. Prop. 4. cap. 14.

Exod. 24. Deut. 31.

Hieron. Oleast. Prol. in Pent.

Primus

Primus post Pentateuchum occurrit liber qui dicitur Josuë, quémque à Josuâ scriptum fuisse nòn secùs atque à Moyse Pentateuchum firmissimè probare videntur verba illa ; *scripsit quoque* (Josuë) *omnia verba hæc in volumine Legis Domini.* Jos. 24. 26.
Josuë nimirùm defuncto Moyse, vel illius Scribæ eo mandante ea quæ tunc temporis gerebantur in acta publica conjecerunt: quo sensu *volumini Legis* quasi addita fuisse dicuntur. Mirum tamèn quàm secum diffideant qui hoc argumentum tractârunt ; ità ut nè ipse Augustinus Josuam scripti quod sub ejus nomine circumfertur, extra controversiam auctorem esse ausus sit affirmare. *Si ab illo*, inquit, (Josuâ videlicet) *conscriptus liber qui appellatur Iesu Naue, vel si ab alio scriptus est*, &c. Similitèr Theodoretus auctor est hunc à Josuâ scriptum nòn fuisse, sed ex libro posteriori excerptum. E recentioribus autem doctissimus Masius pluribus ostendit, minimè dici posse ea omnia quæ in Josuæ historiâ nunc exstant ab eo profecta fuisse, quæque suprà allata sunt de Scribis illis publicis & de illorum muneribus gravissimis rationibus confirmat, & id ad alios etiàm Scripturæ libros extendit. Talmudistarum quidem sententia est Josuen scripsisse librum suum & octo versus Legis ; sed ab his discedere veritus nòn est Magister acutissimus R. Isaac Abravanel, & ut ità sentiret nòn modò his verbis, quæ referuntur ad calcem libri Josuæ, *& post hæc mortuus est Josuë filius Nun*, &c. adductum se fuisse asserit, sed & ob alias quæ passìm in ipso Josuæ contextu reperiuntur loquutiones, quarum auctorem Josuam esse potuisse inficiatur. Hujus generis sunt, primò illud quòd habetur de duodecim lapidibus, quos posuit in medio Jordanis alveo, de quibus nimirùm dicitur, *sunt ibi usque in præsentem diem* ; deindè id quod refertur de circumcisione, cuistatìm hæc subjungit scriptor libri Josuæ ; *vocatum est nomen loci illius Galgala usque in præsentem diem.* De quibusdam etiàm populis, quos Israëlitæ penitùs nòn deleverant, hæc leguntur ; *habitaverunt in medio Israël usque in præsentem diem.* Præterea & alia multa quæ eodem planè modo enunciantur in historiâ Josuæ, & quæ ab ipso Josuâ scribi nòn potuisse pluribus contendit idem Magister Abravanel. *Si Josuë*, inquit Magister ille, *scripsisset hæc omnia, nàm diceret*

Aug. in Jud. qu. 12.
Theodoret.
Mas. Comm. in cap. 10. Josu.
Talm. Baba bathra.
R. Abrav. Præf. in Jos.
Jos. 4. 9.
Jos. 6. 9.
Id. Abrav. ibid.

Usque in præsentem diem? Addit ea quæ in Josuæ historiâ leguntur de Danitis qui urbem *Leschem* expugnaverint, quæ tamèn evidens est sub finem Judicum contigisse, adeóque post ipsius Josuæ obitum. Verùm ista & alia ejusdem rationis benè multa, quibus consultò supersedere visum est, nòn probant Josuam, vel illos quibus præerat scribas, ea quæ suorum erant temporum in acta publica nòn retulisse; sed tantùm alios posteà Scribas eadem acta recognovisse, interjectis aliquot connexionis & explicationis causâ.

Neque aliâ profectò ratione contextus fuisse videtur liber qui *Schophetim*, seu *Judices* appellatur, quià similes in eo loquutionum formulæ apparent. Quare D. Huetius Dorothei sententiam de hoc libro amplexatur, qui Dorotheus auctor est Scribas illius temporis quæ sub Judicibus gesta fuerant, ea in Commentaria retulisse, ex quibus posteà Samuël librum Judicum composuerat. Quis autèm fuerit Dorotheus ille in præsentiâ nòn disputo, satis est indè confecisse nudiustertiùs natam nòn esse Simonii opinionem quæ Scribas publicos in gente Hebræâ statuit, quorum fuit res suorum temporum describere, ex quorum posteà Commentariis alii Scribæ, seu Prophetæ, qui hos exceperunt, historias contexuêre, quas legimus sub Josuæ, Judicum, Samuelis & Regum nominibus. Hanc quoque sententiam confirmant Syri, ad calcem enim historiæ Judicum in exemplari Syriaco hæc verba leguntur; *Liber autem Judicum, quamvis annotatum nòn sit nomen ejus qui ipsum scripsit, notum tamèn est quòd ab aliquo sacerdotum filiorum Aaronis, qui temporibus Judicum istorum sacerdotio functi sunt, scriptus sit.* Librum Ruth Dorotheus modò laudatus ad eosdem Scribas refert, idque videtur longè verisimilius quàm aliorum sententiæ quibus nihil inest firmitatis. De utroque hæc habet Sixtus Senensis; *dicitur Samuelem librum Judicum collegisse, eique adjecisse Ruth Moabitidis historiam; sunt qui Ezechiam, & qui Esdram putent utriusque voluminis auctorem.*

De libris autem Regum hæc annotavit Theodoretus, plurimos scilicèt fuisse Prophetas apud Hebræos, quorum quisque scribebat res suæ ætatis, & indè factum esse quòd primus liber Regum apud Hebræos & apud Syros nominetur Prophetia Samuelis. Deindè mox addit; *qui ergò Regnorum libros*

Pseudo Dor.

Ex cod. Usser. Tom. 6. Polygl. Anglic.

Sixt. Sen. Bibl. S. lib. 1.

Theodoret. præf. in lib. Reg.

libros scripserunt ex scriptis illis acceptâ occasione post plurimum tempus scripserunt. Et post nonnulla interjecta hæc affert de libris Paralipomenon. *Fuerunt aliqui alii Historiographi eorum quæ ab illis fuerant prætermissa, qui de his conscriptum librum appellârunt Paralipomena.* Sixtus Senensis de primo & altero librorum Regum, quos Samuelis nomine insigniunt Judæi, hæc subjicit *Liber Samuelis partìm à Samuele Prophetâ, partìm à Nathan & Gad Prophetis creditur esse conscriptus. Samuel enim collegit facta Heli, Saulis, Davidis ac sui ipsius gesta, quæ in primo Regum usque ad mortem suam referuntur. Nathan verò & Gad Prophetæ scripserunt libros Regum à morte Samuelis usque ad finem libri secundi.* Quæ hoc loco scribit Sixtus Senensis, licèt à veritate minùs aliena crediderim in genere, tamèn si in specie & minutatìm expendantur, nequeunt esse vera ex omni parte: quandoquidèm à Samuele ea omnia quæ usque ad illius mortem narrantur scribi nòn potuisse complura ostendunt. Vix enim credibile est eum de rebus quæ suâ ætate gerebantur & quarum fuerit ipse testis oculatus hæc scripsisse; *propter hanc causam nòn calcant sacerdotes Dagon & omnes qui ingrediuntur templum ejus limen Dagon in Azoto usque in hodiernum diem.* Neque ea similitèr quæ paulò post narrantur de arcâ Domini quæ erat usque in diem illam in agro Josuæ Bethschemitis. His accedit Samuelem hujus clausulæ, quæ in illius historiâ legitur, nòn videri auctorem; *olim in Israël sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum; qui enim Propheta dicitur hodiè, vocabatur olim Videns.* His tamèn nòn obstantibus credibile est historiam quæ nomen Samuelis præfert, ab illo verè conscriptum fuisse usque ad ea quæ de illius morte referuntur. Illa autèm quæ in contrarium adducta sunt probant duntaxat Scribæ alicujus, seu Prophetæ, putà Hieremiæ, ut quibusdam visum fuit, recognitionem accessisse, qui nonnulla explicationis causâ addiderit. Alii tamen malunt tribuere has additiones Esdræ & illius Collegis. Syri librum Primum & Secundum Regum, qui Tertius & Quartus numerantur in Latinis codicibus, dicunt scriptos fuisse à sacerdote quodam nomine Johanan.

Sixt. Sen.

1 Sam. 5. 5.

De libris Chronicorum, seu Paralipomenon, à quibus illi fuerint

fuerint collecti est etiàm dubitandi ratio. Judæi plerique illorum auctorem faciunt Esdram. Ità R. Salomon & R. D. Kimchi hanc esse traditionem patrum suorum asserunt, qui Esdræ quoque adjungunt socios Aggæum, Zachariam & Malachiam Prophetas; ita tamèn ut illi nòn tàm historiam de novo scripsisse dici queant, quàm vetusta Chronica Regum Judæ & Israel compilâsse, rejectis iis quæ minùs suo instituto convenire videbantur, additis etiàm nonnullis interdùm quæ in aliis Scripturæ sacræ libris prætermissa fuerant, undè nomen Paralipomenon ortum apud Græcos, quod ab his deindè ad Latinos transiit. Quare rectè Hieronymus appellat librum Paralipomenon veteris Instrumenti epitomen. Sixtus Senensis affirmat libros Paralipomenon nullum habere certum auctorem. Refert tamèn Judæorum eâ de re sententiam, quibus etiàm suffragatur Hugo Grotius, qui libros hosce scriptos fuisse ab Esdrâ existimat, & ab iis dictos *divre hajamim*, *verba dierum*, seu excerpta ex Regum diurnis. Librum qui Esdræ nomine prænotatur, partem maximam ab illo digestum & descriptum fuisse res ipsæ quæ habentur in illius contextu videntur indicare. Nehemias autèm in fronte operis auctorem se profitetur libri illius quem Judæi secundum Esdræ nominant.

R. Sal. Comm. in Paral.
R D. Kimch. præf. in Paral.
Hier. In epist. ad Paul.
Grot. ad lib. 1. Paralip.

Liber Psalmorum à Judæis appellatur *Sepher tehillim*, seu liber laudum, quem Augustinus totum esse Davidis aliquando sensisse videtur, qui etiàm nòn dubitat illos quos longo post Davidem tempore conditos fuisse manifestum est, etiàm Davidi referre quòd hic nòn modò Cantor sed & Propheta exstiterit. Neque etiàm ab eá opinione divellere potuerunt Augustinum Asaphi, Idithi & aliorum Cantorum nomina quibus Psalmi aliquot tribuuntur, quià materiam ipsis suppeditare potuit David, quam posteà adornârunt accommodârúntque ad varios cantus, quorum erant periti. Verùm longè rectiùs Hieronymus qui Psalmos eorum esse asserit, *qui ponuntur in titulis, David scilicèt, Asaph & Idithun, filiorum Core, Eman Ezrahitæ, Moysis, Salomonis & reliquorum quos Esdras primo volumine comprehendit.* Hieronymo consentiunt plerique Judæi. Ità sapiens Aben Esra affirmat Psalmos eorum esse quorum nominibus prænotantur, etsi

Hieron. ad Sophron.
Aben Es. præf. in Psal.

etsi complures sint qui nullum nomen præferant. In hoc tamèn castigat Hieronymum Magister ille, quòd nòn absolutè pronunciet Psalmos ab iis esse conditos, quorum nominibus prænotantur, sed eos qui Davidis & Salomonis præferunt nomina, vel illorum esse, vel de illis à Cantoribus compositos. Christus tamen universum Psalmorum opus tribuisse videtur Davidi, cùm ait; *ipse David dicit in libro Psalmorum.* Luc. 20. 42. Sed communem Judæorum sententiam sequutus est Christus. Illi enim Psalmos Davidis nomine prænotabant, nòn quòd reverâ Psalmorum omnium auctorem illum agnoscerent; quandoquidèm res ipsa contrarium apertè demonstrat: sed quòd præcipuus illorum Scriptor esset, & in sacris codicibus; *egregius Psaltes Israël appelletur.* Scribit tamèn jam laudatus Aben Esra nòn deesse inter Magistros suos qui totum Psalterii opus Davidi tribuant, quem etiàm agnoscunt Prophetam.

Liber qui vulgò dicitur Proverbiorum commendatur à nomine Salomonis quod illius frontem occupat, etsi universa operis illius ratio demonstrare videatur hoc nihil esse præter varia sententiarum excerpta, quæ cùm à Salomone tùm ab aliis Scriptoribus collectæ in unum posteà corpus conjectæ fuerunt. Salomonem multas composuisse Parabolas probant ista quæ de seipso habet; *cùmque esset sapientissimus Ecclesiastes docuit populum & enarravit quæ fecerat & investigans composuit Parabolas multas,* Eccles. 12. 9. quæ usque ad tria millia Lib. 3. Reg. numerantur libro iii. Regum; sed quæ hodiè nòn exstant cap. 4. 32. si paucas exceperis quas repræsentant sacri codices. Primis novem capitibus illius operis nomen Salomonis præfigitur, deindè sequuntur & alia quindecim capita, quæ ejusdem Salomonis nomen præferunt; & hæc secundam esse illius Parabolarum, sive sententiarum, partem existimavit Aben Esra. Pars verò tertia earumdem Parabolarum Aben Esr. sumit initium ab his verbis capitis xxv. *Gloria Dei est* Comm. in *celare verbum,* quæ distinctio ab iis profecta est qui Scri- cap. 10. pturæ sacræ libros in ordinem quem nunc servant re- Prov. degerunt. Salomonem enim ipsum nomen suum totiès Parabolis suis præfixisse vix credibile est; sed Scribas potiùs qui opus illud in partes suas divisêre. Ità versum

hunc

hunc quem initio capitis xxv. legimus; *Hæ quoque Parabolæ Salomonis quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Juda*, putat Aben Esra esse Sobnæ qui Regis Ezechiæ Scriba erat. Sobnam quidèm & alios qui Regi Ezechiæ erant à commentariis, sententias istas quarum prima est illa, *Gloria Dei est celare verbum*, ex integro volumine decerpsisse lubens agnosco: cùm & verba hæc, *quas transtulerunt viri Ezechiæ*, id apertè demonstrent. Partem quartam Parabolarum Salomonis habemus initio capitis xxx. ubi legitur in editione Latinâ *verba congregantis*, & in contextu Hebraico, *verba Agur*. Quis sit autem ille *Agur*, sive *Congregans*, nòn conveniunt inter se Scripturæ Interpretes. Prisci Judæi, teste R. Salomone, ità volunt appellatum fuisse Salomonem quasi dixerimus *colligentem sententias*: id enim Hebraicè sonat dictio *Agur*, cujus similitèr sensum expressit Latinus Interpres dùm reddidit *verba congregantis*. Eamdem opinionem

R. Levi Com. in cap. 30. Prov.

illustrat R. Levi Ben Gersom, ubi ait; *videtur Salomon Aguris nomen ipse sibi imposuisse ratione habitâ sententiarum quas in hoc libro collegit.* Sed forsàn meliùs Aben Esra & eum sequutus Grotius suspicantur Agurem istum fuisse temporum illorum Theognidem, aut Phocylidem, ex cujus scriptis sententias quasdam selegerit Salomon ipse, quásque cum aliis sententiis in unum volumen conjecerit. Additur demùm pars quinta Proverbiorum Salomonis, quæ intra caput xxxi. quod & ultimum est, clauditur, ídque Regis Lamuelis nomine. Quis autem sit Lamuel ille, ignoratur. Judæi plerique existimant Salomonem indicari, nòn secùs ac per Immanuel, ut auctor est Aben Esra, indicatur Messias, & appellationis istius rationem sumit ex eo quòd Lamuel significet *illis Deus*, quià nimirùm Salomonis temporibus, ait idem Aben Esra, Deus unus ab Hebræis colebatur. Sed de originatione vocis Lamuel nòn est cùr simus soliciti, maximè cum LXX eam nòn exhibeant, & diversâ planè ratione verba contextûs Hebraici legerint ac converterint.

Librum qui Hebraicè dicitur *Coheleth*, & apud nos Ecclesiastes, Latinè possumus appellare Concionatorem; licet plerique Judæi recentiores dictionem *Coheleth* velint significare hominem congregantem, quòd scriptum illud multas com-

complectatur de rebus diversis sententias. Ità sentiunt R. Salomo & R. Aben Esra; &, ut ille inquit, Salomon qui operis hujusce auctor est, in alio loco vocatur *Agur* ob eamdem rationem, vel ut loquitur R. David de Pomis, *titolo del libro nomato Ecclesiastes composito da Salomone significa congregatore percongregare, & racorre in quel trattato diverse opinioni de gl' huomini la maggior parte de quali sono false.* Judæi tamèn nonnulli, teste R. Salomone, in interpretandâ voce istâ *Coheleth* cum LXX. conveniunt; ea siquidèm indicari arbitrantur hominem qui in cœtu aliquo concionatur. De scriptore autem illius operis minimè consentiunt inter se Magistri: Talmudici enim Doctores tribuunt illud Ezechiæ, Rabbini autem recentiores Salomoni, & pro his pugnant verba contextûs, in quo multa exstant quæ vix de alio quàm de Salomone exponi possunt. Itaque verisimile est Doctores Talmudicos voluisse duntaxàt scriptum illud à Rege Ezechiâ & à viris illius consessûs excerptum fuisse ex Salomonis operibus. Christiani quoque Interpretes nòn alium Ecclesiastæ Scriptorem agnoscunt quàm Salomonem, si perpaucos excipias, inter quos est Hugo Grotius, qui seriùs illud scriptum compositum fuisse affirmat sub nomine Salomonis, & in illius rei argumentum habere se testatur multa vocabula ex eo collecta, quæ nòn alibi exstant quàm in Daniele, Esdrâ & Chaldæis Interpretibus. Auctor est Hieronymus, priscos Hebræos inter cetera Salomonis scripta quæ antiquata sunt, de hoc quoque obliterando cogitâsse, *eo quòd vanas asserat Dei creaturas*; quâ in re concordat Hieronymus cum Talmudistis ac Judæis recentioribus: sed Doctores istos multa ex suo ingenio commentos esse nemo ignorat.

R. Dav. de Pomis in Lex. Hebr.

Hieron. Com. in cap. 12. Ecclef.

A quo scripta fuerit Historia quam sub nomine Estheris legimus, incertum est. De tempore tamèn quo illa condita fuerit, omnes ferè tùm Judæi tùm Christiani consentiunt. Sive enim auctores illius sint viri Synagogæ magnæ, utì sentiunt Doctores Talmudici, sive Esdras, quæ Patrum nonnullorum sententia est, sive Mardochæus, ut probabiliùs existimat R. Aben Esra, & liber ipse testari videtur, de tempore quo scripta fuerit historia Estheris lis nulla movebitur. Undè nec malè conjicit Hugo Grotius Esdram

 libro

libro suo & historiæ quam scripsit Nehemias, attexuisse historiam Estheris, quæ medio temporum eorum quæ duobus illis libris narrantur contigerat, quam à Mardochæo quoque scriptam fuisse agnoscit idem Grotius.

Canticum Canticorum nòn alium auctorem habere quàm Salomonem, docet ipsa operis Inscriptio quòd illius nomine prænotatur. Constat præterea ex libro iii. Regum eumdem Salomonem Parabolas, sive sententias, & Cantica composuisse. Liber autèm ille, teste R. Aben Esra, quià fuit Canticorum Salomonis præstantissimum, sortitus est nomen Cantici Canticorum, quasi dixeris excellentissimum carmen. Dubitàrunt tamen nonnulli utrùm opusculum istud quale nùnc exstat, à Salomone scriptum fuerit, an verò ex integro illius Canticorum volumine excerptum. Carmen autèm illud quo Salomon cum Salamitide loquens inducitur tanquàm sponsus cum sponsâ, explicatu difficillimum est nòn solùm ob loquutiones paulò audaciores frequentioresque similitudines quæ à nostris consuetudinibus abhorrent; sed etiàm quòd nomina interloquentium nòn annotentur ut in libro Jobi. Nam præter Salomonem & illius Sponsam, interloquentes, etiàm sunt duo chori Juvenum & Virginum.

Aben Esra Præf. in Cant.

De libro Jobi mirum est quàm secum diffideant Judæorum Magistri. Rem verò gestam in hoc opere nòn narrari putant Doctores Talmudici, quibus assentiuntur R. Moses Ben Maimon & alii pauci; sed esse figmentum, seu Parabolam, quæ ingens pietatis simùl & patientiæ exemplùm ostendat: & his suffragantur etiàm Christianorum nonnulli. Imò nec defuère qui nòn solùm operis istius argumentum confictum existimàrunt, sed & Jobi quoque nomen volunt ex primis libri verbis desumptum, ubi legimus *Jobad jom.* Illa enim quæ verbis istis prævia sunt, Prologi instar addita fuisse arbitrantur. Sed Ezechelis Prophetæ testimonium, qui Noë, Danielis, Jobique simùl meminit, demonstrat commentitium nòn esse Jobi nomen, & eos qui ità sentiunt acerrimè impugnat sapiens Aben Esra, qui suspicatur illum fuisse ex posteris Esau, idque denotari ex loco Huz undè ortus dicitur. Similitèr rem uti narratur gestam

Aben Esr. Comm. in cap. 1. Job.

gestam fuisse docent Jobi & illius amicorum nomina & alia complura quæ his adjunguntur, etsi nòn pauca sint quæ ad Parabolam magìs quàm ad historiæ veritatem accedant. De auctore verò scripti illius longè minùs adhùc constat: alii quippe illud ad Moysem referunt, alii ad Isaiam, alii ad ipsummet Jobum aut ad ejus amicos. Neque etiàm inter se consentiunt qui operis hujusce auctorem faciunt Moysem: sunt enim qui ab eo solùm ex alienâ linguâ Hebraicè conversum putant. Sed his prætermissis, siquid etiàm in re obscurâ licet suspicari, illos minùs recedere à verisimilitudine arbitror qui operis illius confectionem ad tempora Captivitatis Babylonicæ revocant: dictio enim sæpiùs vix Hebraica est, scatet loquutionibus Chaldaicis, & sapit hominem qui ex alieno commercio sermonem Hierosolymitanum infecerat. Quo sensu explicanda sunt Hieronymi verba asserentis Jobum se convertisse ex Hebraico Arabicóque sermone & Syro. Quibus omnibus accedit Judæos, quorum res tùm temporis videbantur desperatæ, magna ex illo opere tulisse solatia. Rem itaque dudùm gestam Scriptor narrat: & quià Poëtam agit, licèt argumentum quod tractat nòn sit fictitium, orationem floridam & figuratam adhibet, verísque interdum adjicit quæ sunt tantum verisimilia, servato tamen sempèr personarum loquentium decore. Jàm de Prophetis nonnulla subjiciamus.

Prophetæ à B. Augustino appellantur enunciatores verborum Dei hominibus: illi enim veluti Divinæ Legis Interpretes concionabantur ad populum, quem doctrinam à Mose traditam docebant stabilitâ illius auctoritate. Deindè minas & promissiones quas Moyses in genere tantùm promulgaverat, hi suæ ætatis rebus accommodabant, ídque Oratorum more; undè fit ut comparationum similitudinibus, metaphoris & hyperbolis abundent, simplicíque ac nudâ rerum narratione haùd contenti, eas verbis exaggerent: *Neque enim*, ut auctor est Hieronymus, *simplex à Prophetis historia & gestorum ordo narratur, sed ænigmatum plena sunt omnia, aliúdque in verbis sonant, aliud tenetur in sensibus, ut quæ æstimaveris planâ & inoffensâ currere lectione, sequentium rursùs obscuritatibus*

Aug. qu. in exod.

Hieron. præfat. lib. 18. Comm. in Isai.

tatibus involvantur. Nòn ità autèm futura vaticinantur Prophetæ, quin jàm facta sæpiùs referant, ut evidentissimè probari potest ex Zachariæ Prophetiâ, quæ magnam partem rei præteritæ & quæ tùm gerebatur, narratio est. Quomodò diligentissimus Scripturæ Interpres Joànnes Mercerus in explicandis verbis quibusdam Prophetæ Amos, Judæorum expositionem improbat, qui de rebus futuris ibi agi contendunt cùm de re jàm præteritâ agatur, móxque verba ista subjungit, quæ notatu digna sunt; *laboramus penuriâ librorum sacrorum, ac sæpè in Prophetis pleraque legas facta, quæ in sacris historiis quæ hodiè exstant nòn reperias.* Prophetas similitèr testatur Hieronymus in suis narrationibus nòn attendere interdùm ad rerum ipsarum ordinem quo gestæ fuerint. *In Prophetis*, ait, *historiæ ordo nòn tenendus, cùm in præsentiarum sub eodem Rege priora posteà & posteriora antè dicantur.* Præposterum illum ordinem tribuit Pseudo-Dorotheus Scribis qui Prophetarum vaticinia ex illorum ore excepta referebant in chartas; quasi Prophetæ ipsimet conciones quas habebant ad populum nòn commendâssent literis. Idem observavit de Hieremiæ vaticinio Cornelius à Lapide, qui existimat Baruch Scribam illius Prophetæ omnes ejus Prophetias diverso tempore editas in unum volumen collegisse, neglecto temporis ordine quo editæ fuerant. Fatetur & ipse Joànnes Calvinus Prophetarum vaticinia eo quo decebat ordine disposita ad nos usque nòn pervenisse; nòn indè tamèn illorum Divinitati quidpiam detrahi arbitratur. *Qui diligentèr*, inquit, *& cum judicio versati sunt in Prophetis, mihi concedent nòn sempèr fuisse quo decebat ordine digestas illorum conciones; sed ut ferebat opportunitas, indè conflatum fuisse volumen.* Existimat sacerdotum operâ, quorum officium erat Prophetias ad posteros commendare, libros Prophetarum, etsi his infensissimi essent sacerdotes, conservatos fuisse. Scribit præthereà idem Calvinus Prophetas postquàm concionem habuêre ad populum, brevem illius summam collegisse, quæ valvis affixa ab omnibus legeretur, posteáque à ministris Templi indè ablata in thesaurum reponebatur in perpetuum rei illius monumentum: undè confectos fuisse conjicit qui nùnc exstant Prophetarum

Merc. in cap. 9. Amos.

Hieron. Comm. in cap. 25. Hierem.

Doroth. de vitâ & morte Proph.

Cornel. à Lap.

Calv. præf. in Isa.

rum libros. Verùm ex verbis Isaiæ & Habacuc, quos veritatis illius testes profert Calvinus, id unum probari posse videtur, Prophetas vaticinia sua apertè ac dilucidè, ut ab omnibus intelligerentur & legi possent, super tabulas descripsisse: de valvis autèm Templi, quibus illa affixa fuisse putat, nulla prorsùs fit mentio. Paritèr brevem duntaxàt eorumdem vaticiniorum summam ab ipsis Prophetis collectam fuisse, non verò integras conciones ab iis descriptas, fingit perperàm: quanquàm illas quas nùnc habemus Prophetias integras esse, nemo rei Criticæ peritus dixerit. Verùm defectus ille, siquis sit, à Prophetis nòn videtur profectus. Idem Calvinus & eum sequuti Genevenses, Inscriptiones quæ Prophetarum nomina, & editarum Propheticarum annos indicant, à Sacerdotibus, quorum fuit illas in Templo asservare, majoris lucis causâ adjectas fuisse suspicantur. Hæc siquidèm sunt illorum verba; *il semble que ces titres ayent esté ajoûtez aux revelations des Prophetes par les Sacrificateurs & Levites qui avoient charge de garder les Propheties au thresor du Temple aprés qu' elles avoient esté proposées au peuple suivant la coûtume des Prophetes*. Quam Genevensium opinionem suffragio suo comprobavit Hugo Grotius. Id tantùm inter hunc & illos est discriminis, quòd has Inscriptiones nòn Sacerdotibus & Levitis tribuat, sed viris Senatûs magni qui Prophetarum scripta collegerunt, prænotaverúntque tempora scriptionis. Hoc videtur probabilius, quià in confesso est fermè apud omnes, Senatum cui Esdras præfuit, nonnulla sacris codicibus connexionis & explicationis causâ adjecisse. Ità quoque Thomas putat Inscriptiones quæ Psalmis aliquot apponuntur, eumdem Esdram auctorem habere, factásque fuisse, *partim secundùm ea quæ tùnc agebantur, & partim secundùm ea quæ contigerunt*. Demùm verisimile etiàm est historias illas, quæ Prophetarum quorumdam concionibus insertæ reperiuntur, ab iisdem Senatoribus additas fuisse dùm sacros codices recognoscerent formaréntque quem nùnc habemus Scripturæ Canonem. Secundùm quam rationem putant nonnulli verba illa quæ leguntur Hieremiæ capite li. *Hucusque verba Hieremiæ*, Prophetæ hujus vaticinium claudere, capútque quod sequitur Prophetiam nòn esse,

Genev. in edit. Bibl. an. 1665. præf. in Isai.

Grot. annot. in cap. 1. Amos.

Thom. Comm. in Psal. 6.

se, sed historiam, quæ ex fine libri iv. Regum sumpta fuerit. Et in hoc Judæorum Magistri consentiunt cum pluribus Doctoribus Christianis. Auctor est enim R. David Kimchi, verba illa, quæ usque ad finem vaticinii Hieremiæ allata sunt, ad hujus Prophetiam nòn pertinere; sed eum qui librum hunc descripsit, huc conjecisse deportationis historiam qualis extat in fine libri Regum. Conjicit Abravanel Esdram, seu Synagogæ magnæ Senatores, supplementi illius auctores esse, quo etiàm modo Ezechiæ Regis historia ex libri ii. Regum capite xviii. in Isaiæ Prophetiam translata est. Ex his omnibus facilè dignoscetur qui fuerint apud gentem Hebræam Prophetæ, quale illorum officii munus, & quæ eorumdem scribendi ratio. Prætereà id etiàm videtur animadversione dignum, quòd Prophetæ nòn solùm conciones ad populum habuerint, ediderintque de rebus futuris vaticinia, sed & historias suorum temporum ordine digestas in acta publica retulerint. Quo pacto Isaias qui Regis Oziæ gesta descripsisse dicitur, nòn minùs historici quàm Prophetæ nomen reportabit. Vel potiùs Prophetæ nomen apud Hebræos ista omnia complectitur; ità ut quicunque Divinæ voluntatis erant interpretes, seu vaticinia ederent, sive res suorum temporum conscriberent, Prophetæ appellarentur. Ex quo haud dubiè venit ut prisci Judæi *Neviim*, seu Prophetarum, nomine insignierint Josuæ, Judicum, Samuelis & Regum historias, quòd hæ descriptæ essent à viris qui in eorum Republicâ Spiritu sancto afflati, Prophetæ nominabantur. Quo etiàm sensu verè affirmavit Josephus apud gentem suam nòn à quibuslibet libros componi, sed à Prophetis tantùm. Vim quoque vocis illius probè assequutus est Jonathan qui pro dictione Hebræâ *Navi*, *Propheta*, aliam quæ significat Scribam in suâ Paraphrasi interdùm substituit; quasi qui Prophetæ appellantur, iidem sint atque Scribæ. Neque aliud sapientissimus Esdras in sacris codicibus nomen obtinet, quàm Scribæ peritissimi. Verùm de Scriptoribus sacris satis supérque hactenùs dictum sit. Libros Apocryphos, seu quos nòn admittit Judæorum armarium, silentio præterire visum est, quià illorum auctores, ut præfert nomen *Apocryphi*, occulti sunt

R. David Kimchi Comment. in cap. 51. Hierem.

ſunt & incerti. Ceſſet itaque doctiſſimus Voſſius optimum Simonium & de literis ſacris benè meritum allatrare, qui de Scriptoribus veteris Teſtamenti nihil in publicum edidit, quod jam à viris graviſſimis iiſdémque pietate & eruditione conſpicuis approbatum nòn fuerit. *In malevolam animam nòn introibit ſapientia.*

FINIS.

CHRISTIANI KORTHOLTI,

S. Theol. D. & Profess. Primarii,

DE

VARIIS SCRIPTURÆ EDITIONIBUS

TRACTATUS THEOLOGICO-HISTORICO-PHILOLOGICUS;

Quo de Textu divinarum literarum originario, diversis ejus Translationibus, & celebrioribus operibus Biblicis, fuse agitur, quæque de Scripturarum fontibus, versione LXXvirali, Targumim, ac Latina Vulgata, Card. Bellarminus, hujusque propugnatores, Jacobus Gretserus & Vitus Erbermannus, minus recte disputant, solide refelluntur.

KILONI,
Impensis Johannis Sebastiani Richelii,
Anno cIɔ Iɔc LXXXVI.

SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,

DN. RUDOLPHO AUGUSTO,

DUCI BRUNSVICENSI AC LUNÆBURGENSI,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO;

S. P. D.

CHRISTIANUS KORTHOLT, D.
Academiæ Holſatorum Chriſtian-Albertinæ hodie Pro-Rector, & Collegii Theologici Decanus,

QUi OCTAVII AUGUSTI Cæſaris vitam moresque deſcribit Svetonius, præter varias virtutes alias, ut Juſtitiam, Lenitatem, Benignitatem, Modeſtiam, Humanitatem, vel præcipue & hoc in eo comendat, quod

ſtudia liberalia ab ætate prima & cupide & laborioſiſſime exercuerit, in magna quamvis mole rerum & legerit, & ſcripſerit, & declamaverit quotidie, multa varii generis proſa oratione, ligata etiam nonnulla, compoſuerit, ingenia denique ſeculi ſui omnibus modis foverit. Mihi quidem animus non eſt, cum OCTAVIO AUGUSTO nunc TE componere, Sereniſſime Dux RUDOLPHE AUGUSTE, quæque cum Ipſo communes TIBI ſunt, Virtutes omnes perſequi, ut qui haud ignoro, quam invitus laudes Tuas audias: id interim tacere heic non poſſum, in eo AUGUSTUM exacte TE referre, quod, ſublimi conſtitutus loco, nataliumque ſplendore fulgens, ſapientiæ ſtudia infra Tuum illud faſtigium nequaquam æſtimas; imo non unius Auguſti, ſed Philippi inſuper Macedonis, Alexandri M. Julii Cæſaris, Hadriani, Antoninorum, ſimiliumque heroum indolem hocipſo TE exprimere, quibus, tametſi aliis fuiſſent virtutibus deſtituti, vel ſola literarum admiratio, inque viros eruditione pollentes benevolentia, immortalem nominis gloriam peperiſſet. Quin his omnibus eo TE illuſtriorem facit doctrina Tua, Domine, quo excultâ ab illis humanâ præſtantior eſt, in quam TU omni ſtudio incumbis, divina ſapientia. Non accepta aliunde loquor, ſed quæ coram ipſe expertus ſum atq; intuitus, quæ ex colloquiis Tuis, quæ ex tot clementiſſimis literis didici quibus aliquot jam annos me dignatus es. Biblia ſacra unice in amore ac delitiis TIBI ſunt: hæc

ſcru-

ſcrutaris; hæc commentariis illuſtras; de his & coram ſermones, & epiſtolares frequenter συζητήσεις inſtituis: huc denique omnia Tua, ipſa etiam, quibus adeo delectaris, Poëtica ſtudia, refers. ut vere Beatis illis annumerare TE liceat, quorum oblectatio eſt in Lege Domini, quique de Lege illius meditantur interdiu ac noctu: quorum palato ſuaviora melle ſunt præcepta Dei, & qui plus ea diligunt quam aurum purgatisſimum. Neque vero ita Scripturarum ſacrarum ſtudio duceris, ut in nuda earum notitia acquieſcas; ſed ut Conſiliarii Tui ſint, ceu ſancto olim Davidi, divina teſtimonia, utque obſerves illa ex toto animo, & pedes Tuos ad ea referas. Vix umquam congregationi ſacræ Hamburgi me intereſſe memini, quin TE piorum cœtui admiſtum conſpexerim, Princeps religioſisſime, & ita quidem conſpexerim, ut maximum illum CONSTANTINUM in TE intueri mihi viderer. Hunc enim ſicut nulla ratione adduci potuiſſe Euſebius memorat, ut ſedens de rebus divinis verba facientes audiret; quod nefas eſſe diceret, ubi de DEO inſtituta ſit oratio, remiſſe ac molliter auſcultare: ſic neque TU aliter quam ſtans capiteque detecto Verbum DEI excipis, Domine; isque mos TIBI perpetuus. Pietatem præterea infucatam ſpirant omnes aliæ actiones Tuæ, omnes ſermones. Ex abundantia cordis os Tuum loquitur. Quæ latent in mente, identidem ad linguam recurrunt. Serioq; teſtor, & ſine adulatione ulla, quod num-

quam TE accesserim, quin melior ex conversatione illa recesserim.

Atque talis cum sis, Serenissime Princeps, non dubitat augustum in conspectum Tuum prodire, Tuoque illustrissimo nomini dicare se & consecrare, meũ hoc de Variis Scripturæ S. editionibus opusculum. Nec enim displicere TIBI posse sat scio, aut esse ingrata, quæ ad promovendum salutare illud studium Biblicum ullo modo faciunt. Accipe ergo paginas istas vultu sereno, solitaque me clementia constanter complectere; qui non desinam, dum vixero, & revereri & amare tantum Principem. Sic TE, Dux auguste, salvum diu & incolumem cum celsissima familia præstet Numen benignissimum! Scribo Kilonii Holsatorum, die XI Martii, qui CONSTANTINO in fastis sacer, anni cIↃ IↃc LXXXVI.


AD

Ad Christianum Lectorem Admonitio.

Ne te turbet forsan, Lector amice, methodi ratio qua in Tractatu hoc meo sum usus, tribus verbis monendum duxi, cum initio manum opusculo isti admoverem, non aliud mihi fuisse propositum, quam examen dumtaxat eorum instituere quæ de Variis Scripturæ editionibus secundo de Verbo Dei libro Bellarminus disputat, lectisque ejus accurate vestigiis, longius in hoc argumento non progredi, quam ipse, ejusque πρόμαχοι, Jesuitæ Gretserus & Erbermannus, præirent: mutasse tamen postea consilium, & in usum Academicæ Juventutis addidisse aliqua de Versionibus Orientalibus quas Bellarminus non attigit. Quod ubi gratum iis fuisse intellexi qui sacra hæc studia æstimant, in iterata hac editione adjiciendа censui præterea, quæ tum de Latinis recentiorum translationibus, tum de traductionibus Bibliorum in linguas vulgares, mihi fuere comperta. Quod dum ita præstiti, ut tamen immutatam data opera reliquerim priorum capitum seriem, quibus nempe κατὰ πόδα Bellarminus mihi fuit sequendus, inde factum, ut a disquisitione de Scriptura Hebræa, Chaldæa, & Syra, per interiectam Græci Latinique textus considerationem, utpote illis ab auctore hoc proxime subjunctam, divulsa fuerint quæ de Samaritana ceterisque interpretationibus Orientalibus opere nostro tradimus. Præter hæc, de quibus monendum te existimavi, Christiane lector, unum te volo rogatum amplius: ne scilicet iniquum te statim præbeas censorem, si quando, ubi de Versionibus Bibliorum vulgaribus ago, non semper acu rem tetigi (ecquis enim adeo esset lynceus, ut in argumento tam vario, & ubi aliena sæpius fide oportet niti, nihil ipsum fugeret?) sed candide mecum communices de quibus tibi quam mihi heic constat rectius: ut ita corrigere liceat inposterum, data occasione, commissa forsan in hac editione παροράματα. Ita vale, qualicumque hoc meo labore fruere, & siquid inde fructus collegeris, DEO mecum gratias age.

CON-

CONSPECTUS LIBRI



DE
VARIIS SCRIPTURÆ SACRÆ EDITIONIBUS.

CAPUT I.
DE
SCRIPTORUM V. T. TEMERE NIMIS CREDITO INTERITU.

I.

Basilius M. an doceat, Esdram de novo restituisse Scripturæ libros antea deperditos.

OCcupatus in quæstione Bellarminus, sub initium libri II de Verbo Dei, utrum Scriptura Sacra universa perierit tempore captivitatis Babylonicæ, quando civitas eversa, templumq; incensum est, ac deinde ab Esdra fuerit rursum reparata, Spiritu sancto ei suggerente & dictante omnia, sicut ante fuerant? *Ita sentire videtur*, ait, *Basilius in Epistola ad Chilonem: Hic campus, inquit, in quo secessu facto, Esdras omnes divinos libros ex mandato Dei eructavit. Hæc ille. Addunt quidam in eandem sententiam Irenæum, Tertullianum, & Clementem Alexandrinum; sed illi non aperte hæc docent.*

II. Verumenimvero, quod de Irenæo, Tertulliano, & Clemente, affirmat Cardinalis, idem de Basilio quoque non immerito dici posse videtur; nec

ipſum ſcilicet aperte hoc docere, quod de Eſdra perſuaſum ſibi iverunt nonnulli. Verba Baſilii ſic habent: *ἐνταῦθα πεδίον, ἐν ᾧ ἀναχωρήσας Ἔσδρας, πάσας τὰς θεοπνεύστους βίβλους προστάγματι θεοῦ ἐξηρεύξατο.* Quæ verti poſſunt ita: *Heic ſita planities, in qua Esdras, reverſus* in patriam ſuam, *omnes divinitus inſpiratos libros ſonora voce prælegit.* *ἀναχωρέω* enim ſæpe ſignificat *redeo, revertor.* Vide Stéphanum in Theſauro. & *ἐξερεύγομαι* idem etiam eſt quod *ſonora voce pronuncio, eloquutionem inſtar ſcaturiginis exuberantis ebullire ſino.* Vide Pſ. CXIX, 171. CXLV, 7. Matth. XIII, 35. Confer quoque Oſ. XI, 10. Amoſ. III, 4. ubi leoni rugienti tribuitur. Videtur ergo reſpicere Baſilius ad hiſtoriam Nehemiæ IIX annotatam, ubi, in planitiem, ante portam aquarum, congregatis Iſraelitis, in eminentiori loco conſtitutus Eſdras ſacras literas prælegiſſe dicitur.

In quæſtione de Scriptura deperdita Pontificii non conſentiunt.

III. Quidquid autem hujus ſit, ad ipſam de Scriptura plane deperdita opinionem quod attinet, eam improbabilem ſibi videri ait Bellarminus: cui heic adſtipulantur ex Pontificiis illuſtrioribus alii non pauci, nominatim Card. Baronius ad ann. CLXXX, 12. ſeqq. Gilbertus Genebrardus libro II Chronographiæ, ad annum mundi CIƆ CIƆ CIƆ IƆ CXXXIIX, Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro, tit. *Biblia*, Benedictus Pererius præfat. Commentarii in Geneſin, Auguſtinus Torniellus in Annalibus, ann. mundi CIƆ CIƆ CIƆ CD XLVII, 4. Leonhardus Marius prolegom. Commentarii in Pentateuchum, quæſt. III, ſect. I, Cornelius a Lapide in Deuter. III, 14. Jacobus Bonfrerius prolegom. in libros Moſis, Nicolaus Serarius proleg. Biblic.

blic. cap. XII, Marianus Victorius in scholiis ad Prologum galeatum Hieronymi, Martinus Becanus Analogia V. & N. Testamenti cap. I, quæst. IV. Quamquam nec desint ex eadem schola, qui contrarium tueri satagant, uti, v. c. Card. Hosius, in Confessione Petricoviensi cap. LXXX, Sixtus Senensis libro I Bibl. S. tit. *Esdræ libri duo*, & libro II, voce *Henoc*, Leo de Castro præfat. in Esaiam cap. XLIII, aliique.

Salmeronis de ea assertio.

IV. Quin Alphonsus Salmeron, ex novem primis Loyolæ sociis unus, qui & Tridentinæ Synodo Romani Pontificis nomine interfuit, Tom. I. Comment. in N. T. proleg. IX, can. IV, scribere non dubitat, *Esdram Prophetam restituisse omnes libros sacros, qui interciderant tempore captivitatis Babylonicæ*, COMMUNEM *fere* OMNIUM DOCTORUM ESSE CONSENSUM. Ubi quidem Ebermannus, Salmeronem cum Bellarmino (qui, teste in vita ipsius Fuligatto lib. II, cap. V, Salmeronis Commentarios recognovit ipse ac censuit,) conciliaturus, in suo Bellarmino Vindicato, obvertit, non dicere Salmeronem, Scripturam universam PERIISSE tempore captivitatis Babylonicæ; quandoquidem vox INTERCIDERANT, qua utitur, non magis significet interitum omnimodum, quam dispersionem & neglectum custodiæ: indeque ipsius dictum bene stare cum sententia Bellarmini; quod scilicet Esdras fuerit instaurator librorum sanctorum, non omnia iterum dictando, sed colligendo & ordinando Scripturas in unum corpus, quarum partes variis in locis invenerat; & etiam emendando, si quæ depravata erant negligentia Scribarum. Verum non sufficiebat hæc nude ita dicere, sed addenda erat proba-

Erbermannus frustra conciliare nititur Salm. cum Bell. p. 51.

Intercidere quid notet Latinis.

tio. Certe promiscue Latinis usurpari τὸ *perire* & *intercidere*, vel ex eo liquet, quod est apud Tullium in Oratione pro Dejotaro: *PEREANT amici, dum una inimici INTERCIDANT*. Opponi vero *intercidere* & *extare*, patet ex Plinio, lib. xxxv Nat. Hist. cap. IIX. Si ergo interciderunt Scripturæ tempore captivitatis Babylonicæ, quod affirmat Salmeron, utique non extare potuerunt post illa tempora, & ab Esdra in unum corpus colligi. Sed quale, obsecro, illud est,

Erbermanni inepta Logica.

quod deinde subjungit Erbermannus? Bellarmini *sententia*, inquit, *Salmeronem non adversari, colligitur ex ejus loci scopo. Intendebat enim probare, nullum ex libris canonicis periisse; id vero colligit etiam ex eo, quod Esdras restituerit omnes libros sacros. Sive enim id factum fuerit recensendo & colligendo dispersa volumina, sive deperdita de novo dictando, nil facit ad Salmeronis intentum.* Bella videlicet illatio: Potuit Salmeron, probaturus, nullum ex libris canonicis periisse, obtinere quod intendebat, etiamsi non adversaretur Bellarmino in quæstione de omnimodo interitu Scripturarum; ergo Salmeron non adversatur Bellarmino in ea quæstione. Annon idem hoc est, ac si ita colligerem: Potuit Erbermannus, cui propositum erat conviciis proscindere Protestantes, obtinere quod intendebat, etiamsi non oppugnaret Gerhardi Bellarminum ὀρθοδοξίας testem; ergo Erbermannus non oppugnavit Gerhardi Bellarminum ὀρθοδοξίας testem? Certe heic prorsus ἀπ᾽ ὄνου, quod ajunt, delapsus Jesuita, vel ἀπὸ νοῦ potius, non intelligit quid loquatur.

An litera;

V. Tangit porro Bellarminus heic celebrem istam

istam quæstionem de literis, quibus hodierni Hebræi codices descripti visuntur; sintne videlicet antiquæ illæ & genuinæ, quibus ipse Moses ac Prophetæ in suis libris consignandis usi, num vero ab Esdra demum inventæ? accedensque posteriori sententiæ, *sine dubio*, inquit, *novas literas habemus.* Sed quia ex instituto controversiam isthanc non pertractat Cardinalis, neque nos eidem heic immorabimur. Solum Bellarmino opponimus nunc Collegam ipsius & intimum Card. Baronium; qui, ubi in Annalibus suis, ad ann. CLXXX, 10. seqq. opinionem de Scriptura prorsus deperdita, & ab Esdra divinitus edocto suæ integritati reddita, impugnasset, mox num. XIII subjungit: *Nec rursum, quod ajunt, Esdram literas Hebraicas commutasse, ac proinde non eo charactere, quo olim exarata est lex, post Esdram haberi conscriptam, probatur antiquorum Hebræorum auctoritate. Quod si aliqua ab eo facta est commutatio literarum, de quinque finalibus tantum contigisse potuit. Nam Philo Judæus, & Judæorum disertissimus, illa ipsa lingua ac charactere, quo antiquitus scripta lex est, sic permansisse semper absque aliqua mutatione usq; ad tempora Ptolemæi Philadelphi, qui eam per Hebræos in Græcum transferri curavit, aperte testatur.* & num. XVII: *Si tot ubique locorum extabant vetera exemplaria, quomodo verum esse potest, alio charactere Esdram curasse sacra volumina scribi; cum non nisi unius characteris esse omnes vetustissimi codices reperiantur, nempe Hebraico antiquo charactere conscripti?* Hæc Baronius: præter quem (ut taceam ex eadem schola alios) Bellarmino quoque heic refragatur celeberrimus ille inque Orientali literatura versatissimus

quibus hodierni codices Hebræi descripti, novæ sint & ab Esdra inventa.

Baronius Bellarmino refragatur.

in Vita Mos.

Contradicit

quoque Bell. Kircherus.

tissimus Jesuita, Athanasius Kircherus, in Oedipo suo Ægyptiaco, Tomo II, sive in Gymnasio Hieroglyphico, classe II, capite II, disquisitione II.

CAPUT II.

DE HEBRAICI TEXTUS INTEGRITATE.

I.

Pontificii verius dicuntur odisse editionem Hebræam, quam Protestantes Vulgatam Latinam.

HÆretici hujus temporis, ait Bellarminus, *odio editionis vulgatæ, nimium tribuunt editioni Hebraicæ.* Rectius nos: Pontificii, præpostero amore editionis vulgatæ, nimium derogant editioni Hebraicæ. Non oderunt Protestantes (quos Hæreticorum nomine, more Papistico, heic infamat Bellarminus) versionem vulgatam, sed honorifico eam loco habent. *Debetur sua laus*, inquit Chemnitius noster eo ipso loco quem Cardinalis heic citat, *quisquis fuit vetus ille interpres: multa enim sunt non male reddita. Et utile est, extare certam aliquam versionem, quæ in citationibus allegetur: ita tamen, ut vocabulorum emphasis & sententiæ proprietas ex ipsis fontibus judicetur: ad quos omnino recurrendum est, sicubi minus recte, commode, & proprie interpres reddidisse videtur. Hoc modo nos retinemus & usurpamus veterem versionem.* Pontificii contra, saltim plurimi, iique non postremæ classis, ut versioni vulgatæ sua constet, quam Tridentina Synodus ei tribuit, authentia, codicem Hebraicum adeo depravatum esse contendunt, ut ejus, prout hodie extat, nulla amplius sit certitudo, nec

ad

ad ipsius exemplaria, quando de fidei rebus agitur, tuto possit recurri. Ita enim docent, Porchetus in Victoria adversus Hebræos, parte 1, cap. II, XV, Augustinus Steuchus, Recognit. V. T. ad veritatem Hebraicam, Franciscus Titelmannus in Collatione super Epistolam ad Romanos, & in Apologia pro veteri Interprete, Johannes Mariana in tract. pro editione vulgata, Jacobus Perez, sive Peresius, Valentinus Hispanus, dictus de Valentia, Episcopus Christopolitanus, præfatione in Psalmos, Wilhelmus Lindanus, Episcopus Ruræmundensis, præfatione libr. de optimo genere interpretandi Scripturas, item lib. 1, cap. 11, Melchior Canus, lib. II Locorum Theol. cap. XIII, &, qui illum heic sequitur, Gregorius de Valentia, lib. IIX Anal. fidei cap. V; Thomas Stapletonus Relectione princip. fidei doctrinalium, controv. V, quæst. III, art. 1, Alphonsus Salmeron, Tom. 1 Commentar. pag. 19. Antonius Possevinus, lib. II Bibliothecæ selectæ cap. VI, Christophorus a Sacrobosco, Defens. decreti Tridentini de autoritate editionis vulgatæ parte 1, cap. III, Hector Pintus, Comment. in Dan. VII, Leo Castrius, tract. de translatione Scripturarum, qui præmittitur ejusdem in Esaiam Commentariis, Domin. Garsias, procemio propugnac. religionis Christianæ, Jacobus Bonfrerius, præloquio Pentateucho præmisso cap. XIII, sect. III, Blasius Viegas, Comment. in Apocal. 1, sect. XII, §. II, Joh. Lorinus, Comment. in II Petri 1; 19. Gordonus Huntlæus in Epitome, contr. 1, cap. VI, IIX.

11. Sed unde, obsecro, probat Bellarminus suum istud effatum, Protestantes nimium tribuere editioni

tioni Hebraicæ? *Calvinus enim*, ait, *in Antidoto Concilii Tridentini, nec non Kemnitius in Examine ejusdem Concilii, & Georgius Major præfatione in Psalmos, omnia examinari & emendari volunt ad Hebræum textum, quem purissimum fontem non semel appellant.*

III. Verum, si id est nimium tribuere editioni Hebraicæ, nimium eidem tribuisse necesse est Hieronymum, Augustinum, Hilarium, Cassiodorum, imo ex ipsa Pontificiorum ecclesia Doctores quosdam primarios. Hieronymus quippe, epistola XXIIX, ad Lucinium, *Ut veterum*, inquit, *librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est: ita novorum Græci sermonis normam desiderat.* Quæ verba repetuntur c. *Ut veterum*, dist. X. Idem Hieronymus epistola CXXXV, ad Suniam & Fretelam: *Sicut in Novo Testamento, quando apud Latinos quæstio exoritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo novum scriptum est Instrumentum: ita in Veteri Testamento, si quando inter Græcos Latinosq; diversitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem; ut, quicquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis.* Iterum Comment. in Zach. IIX, 19. *Cogimur ad Hebræos recurrere, & scientiæ veritatem de fonte magis quam de rivulis quærere.* Quæ repetuntur c. *Jejunium*, dist. LXXVI. Confer epistolam CXXXII, ad Vitalem, epistolam CXLI, ad Marcellam, epist. CIII, ad Desiderium, sive præfationem in Pentateuchum, præfationem item in Josue, librum adversus Helvidium, & alia passim loca. Augustinus libro II de Doctrina Christiana capite XI: *Latinæ linguæ homines duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem habent opus, Hebræa scilicet & Græca, ut ad exemplaria præ-*

Testimonia Patrum & Doctorum Pontificiorum pro auctoritate textus Hebræi.

præ-

præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas. Confer ejusdem libri caput XII & XIII. Idem etiam libro XV de Civ. DEI cap. XIII, *Quum diversum aliquid in utrisquè codicibus invenitur*, ait, *ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio.* & capite XIV: *Illa numerorum varietas, quæ inter codices Hebraos invenitur & nostros, si quid habet ita diversum, ut verum esse utrumque non possit, rerum gestarum fides ab ea lingua repetenda est, ex qua interpretatum est quod habemus.* Adde lib. XI contra Faustum Manichæum cap. II. Porro Hilarius in Psalmum CXIIX: *Frequenter admonuimus, non posse satisfactionem intelligentiæ ex Latinitatis translatione præstari.* Cassiodorus libro I Institut. divinarum lectionum cap. XV: *Quod si alia verba reperiuntur absurde posita, aut ex aliis codicibus, quos B. Hieronymus in editione* LXX *Interpretum emendavit, vel quos ipse ex Hebræo transtulit, intrepide corrigenda sunt. — Decet enim, ut, unde ad nos venit salutaris translatio, inde iterum redeat decora correctio.* Franciscus Ximenius, Cardinalis, Archiepiscopus Toletanus, & Hispaniarum Archicancellarius, præfatione in Biblia Complutensia ad Leonem X: *Ubicumque Latinorum codicum varietas est, aut depravatæ lectionis suspicio, (id quod librariorum imperitia simul & negligentia frequentissime accidere videmus) ad primam Scripturæ originem recurrendum est, sicut B. Hieronymus & Augustinus, ac cæteri Ecclesiastici Tractatores admonent; ita ut librorum Veteris Testamenti sinceritas ex Hebraica veritate, Novi autem ex Græcis exemplaribus examine-*

tur. Junge ejusdem prologum de variis Bibliorum Tractatoribus. Card. Cajetanus, (cujus illustria, quibus ab ipsomet Bellarmino aliisque primariis Pontificiis ornatur, encomia recitavimus tractatu de Canone, cap. x, 19.) præfatione in libros Mosaicos: *Intendo juxta Hebraicam veritatem textum exponere, ubi diversa occurrerit sententia in vulgata editione & in Hebraico textu. Non enim interpretis Græci aut Latini, sed ipsius tantum Hebræi textus auctoritas est, quam complecti cogimur & complectimur fideles omnes.* Josephus

Bibl. Jes. p. 281. Acosta, Jesuita, (*vir*, Philippo Alegambe teste, *ingenio præstanti, acri judicio, labore indefesso, facundia doctrinaq; præstans, & qui omne disciplinarum genus didicit & professus est*) libro II de Christo revelato cap. xv: *Quid amplius Latino aut Græco concedendum est, quam ut tunc habeatur interpretatio bona, cum concordat originali linguæ? auctoritas autem divina tota penes illam linguam sit, in qua sacer scriptor edidit primum.* Idem confirmant Benedictus Arias Montanus, qui Concilio Tridentino ipse interfuit, præfatione in opus Biblicum Regium, Ludovicus Vives commentar. in Augustini libr. xv de Civ. Dei, cap. xi & xiii, Johannes Driedo libr. II de Scripturis & dogmatibus ecclesiasticis, cap. I, Marcus Marinus præfat. in Arcam Noæ. Refer præterea huc e Pontificiorum schola, qui, quod jamjam memorati scriptores faciendum dicunt, ac argumentis firmant, ipsa praxi exprimunt, emendando scilicet & corrigendo Latinum textum ex Hebræo & Græco. Quorum catalogum sic satis longum exhibet laboriosissimus noster Gerhardus in sua Confessione Catholica lib. II, art. I, cap. II, pag. 147. seqq.

seqq. nec non Chamier, Tom.I Panstratiæ, lib. xiv, cap. IX, 17. seqq.

III. Atque ita constat, non solos Protestantes omnia examinari & emendari velle ad Hebræum textum, uti Bellarminus lectori persuadere conatur; sed velle idem Ecclesiæ Doctores vetustissimos, velle ex ipsismet Pontificiis scriptoribus doctissimos nominatissimosque. Quamquam, Midianitarum more, mutua heic cæde se truncent, qui alias de concordia tantopere gloriantur. *Iud. 7. 22.* Dum enim, quos paulo ante citavimus, auctores, textum Latinum ad Hebræum & Græcum exigendum, indeque emendandum & corrigendum esse volunt, contra Gregorius de Valentia, *Pontificii Hebræo textui detrahentes.* Tom. III, disp. I, quæst. I, puncto VII, 43. conceptis verbis, *Græci*, inquit, *& Hebraici codices, sicubi a nostra editione* vulgata Latina *dissident, per nostram corrigendi & emendandi sunt.* Sic & Martinus Antonius Delrio, Proloqu. in Pharum Sapientiæ cap. III, reg. VII: *In quibus Hebræa conveniunt cum Latinæ vulgatæ dictis, sunt certæ & infallibilis veritatis; in quibus dissident, sunt corrigenda ex Latino, non contra.* Eodem modo Johannes Eusebius Nieremberger, libro VI de Origine S. Scripturæ cap. XXIII: *Latinus textus non est corrigendus per Hebraicum, sed Hebraicus per Latinum.* & Gretserus in sua Defensione infra capite XI: *Si fontes in dogmate aliquo fidei vel morum à vulgata editione dissentiant, fontes, tanquam turbide fluentes, depurandi & expurgandi sunt ad latinam vulgatam editionem.* *col. 570.* Ad hunc modum illi Jesuitæ: cum quibus confer Melchiorem Canum lib. II Locorum cap. XIII, seq. Johannem Azorium lib. IIX Institutionum Moralium

cap. III, aliosque. Et hocipsum constanter observavit in sua N. T. translatione Germanica Hieronymus Emserus, Græcum textum ex Latino semper corrigens, totiesque malæ fidei Lutherum postulans, quoties, vulgata insuper habita, originali textui Græco is adhæsit.

Locus Es. 9. 6. consideratur.

IV. Sed operæ pretium erit, expendere quæ in textu Hebræo corrupta esse suspicatur Bellarminus. Primum igitur ait, Calvinum, qui alias pro puritate Codicis Hebræi pugnet, Institut. cap, VI, §. XI, (in recentioribus editionibus locus extat lib. I, cap. XIII, §. IX,) contendere, Es. IX, 6. esse legendum: *& vocabitur admirabilis;* cum Hebræus textus hodie non habeat יִקָּרֵא *vocabitur*, sed יִקְרָא *vocabit*.

V. Ubi non urgebo, neque in veteribus Calvini Institutionibus, quas mihi quidem videre contigit, nec in recentioribus, haberi illa verba: *& VOCABITUR admirabilis*; sed ita Prophetæ testimonium citari: *hoc est nomen, quo VOCABUNT eum, Deus fortis, Pater futuri seculi*; tantum mirari subit, proferre talia Bellarminum, qui ipsemet in suis Hebraicæ linguæ Institutionibus parte IV, cap. IV, 7. observandum monet, apud Hebræos *non raro usurpari tertiam personam verbi Activi in Passiva significatione*; idque probat exemplo petito ex Gen. XVI, 14. ubi קָרָא vertendum esse ait (non *vocavit*, sed) *vocatum est*. Sane quemadmodum consequentia nauci est, si ita colligas: Bellarminus contendit, esse legendum Gen. XVI, *propterea vocatus est puteus*; at Hebræus textus modo non habet, *vocatus est*, נִקְרָא sed, *vocabit*, קָרָא; ergo

Bell. Grammatica sua Hebraa oblitus. Conf. infra cap. 13. n. 7.

ergo confessione Bellarmini turbidus heic fluit Scripturæ fons: sic pari ratione nihili est illa Cardinalis argumentatio: Calvinus contendit, esse legendum If. IX, *& vocabitur admirabilis*; at Hebræus textus modo non habet, *vocabitur*, יִקָּרֵא, sed, *vocabit*, יִקְרָא, ergo confessione Calvini turbidus heic fluit ille fons, quem ipse idem ubique purum fluere volebat. Uti enim Bellarminus ex Hebrææ linguæ idiotismo (quem מקרא במסרס *scripturam abbreviatam* vocant Rabbini) ibi קָרָא recte vertit passive, nec ulla e translatione isthac depravati textus Hebræi nascitur suspicio: sic non minus recte ex eodem principio, citra ullam turbati fontis suspicionem, passive heic reddi potest יִקְרָא, quemadmodum sane ita etiam redditur in translatione Latina, a Sancte Pagnino, auctore Pontificio, primum adornata, Benedicti vero Ariæ Montani aliorumque Hebrææ linguæ peritissimorum collato studio ad Hebraicam dictionem diligentissime expensa, ac toti tandem Lovaniensi Academiæ probata, uti ex præfatione liquet. Audiatur quoque heic Jesuita ille celeberrimus, Johannes de Pineda, ad Job. III, 3. scribens: *Latinus interpres leniter atque latine, & quod pro cuiusque palato ad plura referri possit*, (אמר) in qua dictum est, *reddit, & quidem multo, quam alii Hebraizantes, sapientius & verius. Nam quædam sunt in Hebræo Activa, quæ debent Passive & impersonaliter exponi; sicut Gen. 15. v. 6. Et vocabitur nomen ejus; in Hebræo, vocabit.* Idem, commentatus in hunc ipsum Isaiæ locum, multis firmat exemplis Franciscus Forerius, qui Concilio Tridentino inter Theologos interfuit. Adde & Augustinum Steuchum, (quem

 virum

virum æterna dignum memoria, & Italiæ verum ornamentum, appellat Possevinus) ad Gen. IX, 6. Benedictum Pererium, Jesuitam, (*in cujus scriptis*, Philippo Alegambe judice, *tantum apparet ingenium, tanta doctrina atque eloquentia, tanta rerum omnium comprehensio, ut supervacaneum sit lucernam Solis lumini inferre,*) ad Gen. XV, 6. Franciscum Riberam, & ipsum Jesuitam, (cui, teste rursum Alegambe, etiam miraculis auctoritatem fuisse conciliatam credunt Pontificii) in Mich. II, 17. Unde patet, quam inepte ad illa Amesii: *Nihil usitatius est apud Hebræos, quam tertiam personam verbi impersonaliter usurpare, ita ut aliquando active, aliquando passive possit reddi*; notet Erbermannus, Hebraici textus corruptionem *apertissime* a Bellarmino fuisse ostensam, ut ipse Amesius in loco Is. IX non potuerit negare mutationem, sed maluerit excusare. Videlicet hoc est concedere corruptionem textus sacri, eandemque velle excusare, si dicas cum Pagnino, Aria Montano, Pineda, Forerio, Eugubino, Pererio, Ribera, quin ipsomet Bellarmino, verbum activum aliquando ex Hebrææ linguæ idiotismo recte verti passive. Sed hæc manifestiora sunt, quam ut operosius ostendi desiderent.

Bibl. Iesf. p. 61.

l. c. p. 131.

p. 51.

VI. Quod ait porro Bellarminus, Calvinum non ignorasse, vulgatam editionem, quantum ad lectionem loci Es. IX, 6. meliorem esse Hebraica, siquidem reprehendat Judæos, ita lectionem invertentes: *Hoc est nomen, quod vocabit eum Deus fortis, Pater futuri seculi*; & sic epitheta illa: *Deus fortis, Pater futuri seculi*, non ad Filium, sed ad Deum Patrem referentes; id quam sit frivolum, vel cæcus videt.

det. Neque enim eo nomine Judæos arguit Calvinus, quod in Hebræo legant יִקְרָא, sed quod verbum hoc connectant cum substantivo אֵל, quasi id, una cum subjunctis epithetis, heic esset subjectum prædicationis, hoc pacto: *Deus fortis, Pater futuri seculi, vocabit nomen ejus Principem pacis.* Quam construendi rationem oppido absurdam esse, & violentam contextus perversionem, nemo sanus negaverit. Vide se ipsum satis explicantem Calvinum Commentario in hunc Isaiæ locum.

VII. Excipit Gretserus: *non ignorasse Bellarminum, etiam illam lectionem*, & vocabit, *ita tandem explicari posse, ut verum sensum reddat, Christique gloriam & divinitatem nobis prædicet. Sed quæritur*, inquit, *utra lectio hoc melius, aptius, & evidentius contra Judæos, Christi hostes, efficiat; illane*; & vocabitur: *an illa*: & vocabit nomen ejus, &c. *Et nisi prodigiosus stupor Prædicantem* (Hunnium) *haberet, perspicue cerneret, illam lectionem*: *& vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis; longe esse aptiorem ad Christi majestatem & divinitatem à Judæorum perfidia asserendam; & consequenter, primigeniam genuinamque lectionem non esse illam, quam hodie textus Hebræus repræsentat*: *& vocabit; sed illam*: *& vocabitur.* Ad eum modum Gretserus: qui mirabilem, more suo, heic iterum disputatorem agit. *Gretseri exceptio. col. 449.*

IIX. Primum scilicet pervertit statum controversiæ; *Quæritur*, inquiens, *utra lectio hoc melius, aptius, & evidentius contra Judæos, Christi hostes, efficiat.* Neque enim in præsens quæstio est, an, si *Responsio.*

in Hebræo legatur יִקָּרֵא, facilius & evidentius ex dicto Isaiano elici possit sensus, quem intendit Propheta, quam si legatur יִקְרָא, sed, num hæc vox, quæ hodie in codicibus visitur, sit ipsa illa, qua usus fuit Isaias, dum suam ex sancti Spiritus afflatu consignavit prophetiam: an vero humano sive errore sive crimine infarta sit textui sacro vice τοῦ יִקָּרֵא, quod olim ibi extiterit. Nam quod scribit Gretserus, si illa lectio: *& vocabitur*, aptior sit ad Christi majestatem & divinitatem a Iudæorum perfidia asserendam, quam ea altera: *& vocabit*; sequi, primigeniam genuinamque lectionem non esse illam, quam hodie textus Hebræus repræsentat: *& vocabit*; (יִקְרָא) sed istam: *& vocabitur* (יִקָּרֵא) id nihili omnino est; cum non illico, quidquid nobis videtur magis aptum ad convincendos & refellendos, sive Judæos, sive alios veritatis hostes, ita scriptum fuerit ab auctoribus θεοπνεύστοις. Capesis exemplum Urgent orthodoxi pro adstruenda æterna filii Dei generatione verba Psalmi II, 7. *Dominus dixit mihi: filius meus es*, אני היום ילדתיך *ego hodie genui te*. Neo-Photiniani sive Sociniani, uti inter alia ex Catechesi Racoviensi, tit. de Cognitione Christi, cap. I, quæst. XIX, patet, exipiunt, nihil in isto textu haberi de æternitate. *Etenim*, inquiunt, *cum vox HODIE certum tempus designet, proæternitatem denotare non potest.* Heic ergo si quis dicere vellet, Hebræum textum esse corruptum, nec legendum היום, ut nostri habent codices, sed מנצח, cum posterior hæc lectio longe sit aptior ad CHRISTI æternitatem & divinitatem a Socinistarum perfidia asserendam; si quis, inquam,

inquam, cum in modum nugari vellet, annon piorum omnium indignationem eſſet provocaturus? Ejusdem vero rationis eſt, de qua paulo ante loquebamur, Gretſeri argumentatio.

IX. Qui nec porro dextrum ſe magis Theologum præſtat, dum ita pergit: *Quid inde conficias, ſi hoc modo cum Judæis* Iſaianum locum *explices: Et nomen ejus, hoc eſt, ſtatuet, decernet, imponet, ſive indet, Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis. Annon, qui locum Iſaiæ in hunc modum explanat, Judæorum & Arianorum cauſam agit ac propugnat?* Nam quorſum id monet, obſecro? An, ut propugnati ſive Iudaiſmi ſive Arianismi reos agat Proteſtantes? Ita vero ejus erit, nominare illos, qui e Proteſtantium eccleſia locum Iſaiæ iſtum in modum explanarint. Noſtrorum ſane unanimis eſt ſententia, יִקְרָא aut vertendum eſſe cum Jonathane Chaldæo paſſive, aut, ſi activum retineatur, ſubintelligendum Nominativum convenientem; ut ſenſus ſit: hic vel ille, quicunque vocaverit, ille vocabit eum Admirabilem, Conſiliarium, Deum fortem. Atque ita nomina illa in textu expreſſa dicimus heic eſſe, non, ut Judæi ſomniant, Dei nominantis, ſed filii nominati. Sicut alias quoque exemplorum Biblicorum inductione conſtat, *in ſenſu nomenclaturæ, nomen poſtpoſitum phraſi* קרא שמ, *ſive* קרא *active, ſive paſſive ſumatur, eſſe, non denominantis, ſed denominati*: uti in ſua Schola Iſaiana ad præſentem locum bene notat noſter quondam Collega, D. Auguſtus Varenius, Theologus Roſtochienſis. Vide inter alia Gen. IV, 25. 26. V, 2. 3. XXV, 25. 26. XXXIIX; 30. Quo

Gretſeri calumnia.

Ejus depulſio.

observato, sponte sua ruunt, quæ præterea heic pro Judæis adversus Hunnium nostrum declamat Gretserus.

x. Et tantum de loco Is. IX, 6. ubi nihil in Hebræo esse corruptum (ut superioribus id adhuc adjiciamus) ipsa etiam Masora testis est, dum monet, verbum וַיִּקְרָא sexies in Scriptura occurrere deficiente particula את. Falsa namque foret hæc nota, si ex Passivo verbo Activum heic esset formatum. Vide Masoram magnam fol. 54. b. & parvam ad Gen. XXXV.

Locus Ierem. 23, 6. expenditur.

XI. Deinde Bellarminus, pro ostendendo fonte ex ipsius Calvini professione corrupto, urget, quod hic velit, Jeremiæ XXIII, 6. esse legendum: *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus Justitia nostra*; cum fons Hebraicus constanter habeat יקרא *vocabit eum*, non יקראוהו *vocabunt eum.*

XII. Ubi rursus missum facientes, quod minus curate denuo verba Calvini citentur, ut qui non habet (in editionibus quidem mihi visis) τὸ *vocabunt*, sed ita: *Nihil dilucidius Jeremiæ loco quæri potest, hoc fore nomen, quo VOCABITUR germen Davidis, Jehova Justitia nostra*; id missum facientes, inquam, dicimus, Sanctem etiam Pagninum, & Ariam Montanum, Pontificios celebratissimos, in sua translatione Latina legere heic: *vocabunt eum*; neque tamen propterea fingere depravationem textus Hebraici, & pro יקרא cum Bellarmino substituere יקראוהו, sed pro genuina nobiscum agnoscere lectionem, quam hodierni codices exhibent. Ita 1 Regg. XXII, 38. vulgata Latina habet: *& LAVERUNT currum ejus*; quomodo item LXX: ἐ ἀπένιψαν, Hebræi vero codices constanter legunt,

legunt, וישטף *& lavit*; Amos. IV, 2. Latina habet: *& levabunt vos in contis*; LXX: καὶ λήψονται, at Hebræus textus, ונשא *& tollet*. Numquid ergo & heic fontem turbidum fluere dicet Bellarminus? Sane Glassius noster, cum ipsa LXXXII V. T. loca collegerit, quæ corrupta esse Jesuita Jacobus Gordonus Huntlæus, aliique nonnulli, vel suspicantur, vel palam affirmant, memoratorum illorum nec minimam facit mentionem, ac si depravationem & ipsa in fonte passa esse cuiquam crederentur. Scilicet observandum heic, quod in canonibus, Commentario in Prophetas majores præmissis, canone XVI, monet Cornelius a Lapide: *Prophetæ utuntur multiplici Enallage*; & speciatim quidem *Enallage Numeri, ut à singulari transeant in pluralem, & è contrario, præsertim cum agunt de populo, vel cœtu hominum: hic enim collectivè, quà populus, est singularis, distributivè vero, quà multos complectitur, est pluralis. Quocirca tunc singulare nomen aut verbum accipitur collectivè, & significat QUISQUE.* Confer Christophorum de Castro, Jesuitam itidem celeberrimum, ad locum Ieremiæ, de quo in præsenti agimus: ubi, quod verba ista a plurimis Hebræis per enallagen numeri explicentur, operose probat: quamvis ex ejusdem quoque Castrii sententia verbum singulare יקרא recte referatur ad substantiva, quæ præcesserunt, Juda & Israel; ut ita fluat textus: *In diebus ejus* (germinis Davidis) *salvabitur Juda, & Israel habitabit in confidentia: & hoc est nomen ejus* (germinis) *quod vocabit* (Juda & Israel) *illum, Ihova Justitia nostra.* Quæ expositio, utique satis commoda, si admittatur, nemo tam erit ineptus,

ut dicat, qui locum Jeremiæ ita reddit: (quemadmodum a Calvino illum reddi ait Bellarminus (*hoc est nomen, quod VOCABUNT* (Iuda & Israel) *eum, Dominus Justitia nostra*; eoipso textum Hebræum arguere alicujus depravationis. Etenim quid notius, quam in Latina lingua, per syllepsin, quam vocant, numerorum, duobus nominibus singularibus addi verbum plurale? quomodo Virgilius Æneid. II, 316.

furor iraque mentem
præcipitant.

De loco Ps. 22, 17. XIII. Ulterius fontis Hebræi corruptionem demonstraturus Bellarminus, in exemplum affert decantatissimum illud, ex Psalmo XXII, 17. כארי, *Nemo*, inquiens, *Christianorum est, qui non legat: foderunt manus meas & pedes meos; textus vero Hebraici legunt* כארי *chaari*, *id est*, *sicut leo*, *non*, *foderunt*, *quod dicitur* כרו *charu*.

XIV. Hic nimirum ille locus est, quo inprimis triumphare solent ἀφθαρσίας Hebraicæ hostes, quique adeo eruditos vehementer exercuit. Eorum videlicet nonnulli, cum cetera fontium Hebræorum integritatem constanter defendant, in hoc uno fere corruptionem agnoscunt: alii vero ne heic quidem mendum ulla ratione in textum irrepsisse, admittere volunt, sed כארי retinendum docent. Quamquam non eodem modo suam hanc illi sententiam tueantur. Vide inter alios, qui fuse materiam isthanc & ex instituto persequuntur, Salomonem Glassium lib. I Philologiæ sacræ, tract. I, parte II, sect. II, num. XLIX, Christophorum Helvicum Appendice III Elenchi Judaici, (quæ est disputatio XIV Tomi

Tomi IV Giessensis) num. XLVI, Gisbertum Voetium parte I Dispp. Theolog. selectarum, disp. IV, quæ est de Insolubilibus Scripturæ, num. IV, Io. Henr. Hottingerum lib. I Thesauri Philologici cap. II, quæst. IV. Quidquid sit; Bellarmino sane, quo cum nobis in præsentia res est, nullo heic negotio in occursum iri potest. Etenim paulo inferius §. *Dicet aliquis*, diserte is, *In Masoreth*, ait, *monent Rabbini*, *in Psal. 22. scribi debere* כארו *charu*, *non* כארי *chaari*; *ex quo evidenter colligitur, errore scribarum nunc legi* כארי *chaari.* Quæ si vera (nobis autem id heic perinde est, quibus κατ' ἄνθρωπον cum antagonista nunc agere placet) si, inquam, describentium tantummodo errore in textum sacrum irrepsit τὸ כארי, idque notarunt Masoretæ, quid nobis locum istum objicit Cardinalis? qui utique, ejuscemodi sphalmata quædam in codice Hebræo occurrere, haud imus inficias. *Cum enim* (verba recito Glassii, viri in talibus exercitatissimi, quæ habentur loco paulo ante laudato, parte I, pag. m. 7.) *textus sacri, à scriptura Mosaica primordio ad solutam usque captivitatem Babylonicam variè descripti fuerint, fieri facilè potuit, ut scribarum incuria quædam σφάλματα ortographica, non quidem in sententiis, sed in aliquibus elementis, irreperent, & continuata deinceps serie in plura diffunderentur exemplaria. Isti igitur incommodo ut remedium adhiberent Masoræ autores, (quos ab ipso Esdra & reliquis* אַנְשֵׁי כְּנֶסֶת הַגְּדֹלָה *viris Synagogæ magnæ, eruditè deducit* Buxtorff. *in Tiberiade seu Comment. Masoretico) voces in contextum plerorumque voluminum diu receptas reliquerunt integras, (nec enim religionis causa quicquam ausi mutare)*

Textus Hebræus quo sensu a Protestantibus dicatur incorruptus.

Masoretæ.

re) sed emendationem, vel ex fide aliorum probatorum exemplarium, vel suo, eoque sano, judicio, in margine indicarunt. Ita Glassius: qui, quæ dixerat, evidentibus statim exemplis it probatum, (v. c. quod 1 Sam. IV, 13. in textu scribitur יך, Masoretæ vero in margine reponant יד, ubi prius mendosum esse, in aprico,) & deinde subdit: *Ex hujus igitur generis Masoreticis notis si quis corruptelas sacri Hebrai textus (prout nostris temporibus extat, & a nobis Christianis usurpatur) probare satagat, eum ἀῤῥωστίᾳ mentis laborare merito dicemus, cum illarum vocum, quæ olim mendosè erant scripta, emendationem à viris doctissimis, & ex probatis authenticisque exemplaribus, adornatam, notæ illæ exhibeant.* Idem paulo post, ubi demonstraturus erat, quod ne quidem per inscitiam vel incuriam a librariis textus V. T. Hebræus fuerit depravatus; *Hic verò,* ait, *distinguendum esse videtur inter tempus Masoretarum labores antegressum, & inter tempus eosdem insecutum. In illo, per tot librariorum transcriptiones, textui sacro quædam illata fuisse menda, non negamus, uti supra etiam dictum. Postquam autem Masora non sine divino ductu conscripta fuit, potuisse hactenus, vel posse ad consummationem usque seculi, universale erratum corruptelamque textui Hebræo inferri, quin statim animadverti, & puritati pristinæ restitui queat, fortiter negamus.*

p. 8. *p. 19.*

Explicatur status controversiæ amplius.

XV. Ubi, dum UNIVERSALIS ERRATI mentionem Glassius facit, alterum, quod adversus Bellarminum heic observandum, nobis suggerit. Scilicet, quando textus Hebræi integritatem propugnamus, *non est quæstio de unius vel alterius codicis depravatione,*

ne, quæ in puncto, vel accentu, vel litera, vel etiam integra dictione occurrit, sive ex incuria, sive data opera fuerit facta: sed hoc quæritur, an textus Hebræus in se ac UNIVERSALITER IN OMNIBUS CODICIBUS ita sit corruptus, ut ex aliorum probatorum & integrorum exemplarium inspectione mendum illud corrigi nequeat: quæ sunt verba Gerhardi nostri, lib. II Confess. Catholicæ, artic. I, cap. II, th. II. cui, & paulo ante laudato Glassio, ex Reformatis heic, inter alios, ὁμόψηφος est doctissimus vir, Andreas Rivetus, dum in sua ad Scripturam S. Isagoge, cap. IIX, 18. ita hanc in rem scribit: *Controversia non est de QUIBUSDAM codicibus Ebrais, sed IN UNIVERSUM de OMNIBUS: vel de levibus quibusdam erratis in multis exemplaribus, ex scriptorum vel incuria vel inscitia admixtis; id enim negari nec potest, nec debet. Sed status controversia is est; an nulla hoc tempore reperiantur exemplaria Ebraica eousque pura, ut, ex collatione, in omnibus ad salutem necessariis veritas deprehendi possit lectionis, quam Sp. Sanctus suis amanuensibus dictavit.* Similiter alii. Quæ cum ita sin, apparet sane rursum, immerito sententiæ nostræ opponi τὸ כארי.

XVI. Etenim non omnes in universum codices Hebræos legere כארי, sed extare olimque extitisse exemplaria כארו exhibentia, non uno ostendere licet documento. Et primo quidem illa Græcorum translatio, (quam heic sequuntur versiones Syriaca, Arabica, Æthiopica) ὤρυξαν, clare evincit, legisse eos in suo, quo usi sunt, exemplari, כארו vel כרו, uti etiam Gretserus heic monet, & Bellarminus ipse in sua Psalmorum explanatione, ubi comma hoc interpreta-

Non omnes Codices legunt Caari.

col. 451.

pretatur. Porro quod nec Aquila Ponticus, *homo eruditiſſimus linguæ Hebraicæ, & verbum de verbo exprimens*, uti eum laudat Hieronymus ad Iſ. XLIX, 5. quique, (ut idem ait Hieronymus epiſt. CXXXIIX, ad Marcellam) *verborum Hebræorum diligentiſſimus explicator*; quod, inquam, nec Aquila iſte in Hebræo legerit כארי, ut quidem illud notat, *ſicut leo*, inde perſpicuum eſt, quod in verſione ſua, vixdum exacto centeſimo a CHRISTI aſcenſione anno edita, habet ἤσχυναν, utique non Nomen, ſed Verbum plurale in fonte ſe legiſſe innuens: quemadmodum & Hieronymus in translatione ſua ex Hebræo reddit *fixerunt*. Quin Gretſerus in genere de omnibus verſionibus ex Hebræo affirmare audet, quod *concorditer aſtipulentur illi lectioni, Caru, non illi, Caari.* Amplius R. Jacob ben Chajim, (qui vixit circa annum Domini cIↄ Iↄ, & a Daniele Bombergo, primo Typographo Hebraico, ad correcturam Hebraicorum fuit adſcitus, cujus etiam inſtinctu Biblia Hebræa cum Moſora magna & parva in ordinem redegit, præloque commiſit) in Maſora magna, in ordine literarum Alphabetico אר, ad vocem ארי, & inde ad כארי Pſalmi XXII, *In aliquot libris emendatis*, ait, *reperi ſcriptum* כארו. Iohannes item Iſaac, ex Judæo Pontificius, & Profeſſor Colonienſis, libro II adverſus Lindanum, ſuum quondam diſcipulum, pag. 112. *Ego*, inquit, *Johannes Iſaac, ipſa veritate & bona conſcientia teſtari poſſum, quod huiusmodi Pſalterium apud avum meum viderim, ubi in textu ſcriptum erat* כארו. Et Wolfg. Fabricius Capito lib. I Inſtit. Ebr. cap. XIII, ſe apud Vangiones in membranaceo ac vetuſtiſſimo

libro

libro margini hanc vocem adſcriptam vidiſſe memorat. Sic quoque Gerhardus in Exegeſi Loci de Scriptura, cap. XIV, 330. *In Bibliotheca*, ait, *Academiæ noſtræ* Jenenſis *habetur codex Hebræus manuſcriptus, qui legit* כאור. Ad quem Codicem & alibi idem provocat Gerhardus; uti ante eum jam in publica diſputatione provocaverat olim, teſte in Harmonia ſua Biblica, ad h. l. Dn. D. Walthero, Petrus Piſcator, & ipſe Jenenſis Theologus. Quid? quod Gilbertus Genebrardus, Hebraicarum literarum in Pariſienſi Academia Profeſſor, & poſt Aquenſis Archiepiſcopus, in ſuis ad præſentem locum notis doctiſſimorum Judæorum teſtimoniis probare ſatagit, optima & antiquiſſima exemplaria habere כאור; ſicut & Petrus Lansſelius, qui, teſte Ph. Alegambe, Græcæ, Hebrææ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, linguarum notitia polluit, & præcipuas Germaniæ bibliothecas luſtravit, in ſua Juſtini Mart. editioni Pariſ. ſubjuncta Diſpunctione, ut vocat, notarum Caſauboni, cap. XV, bis teſtatur, in vetuſtiſſimis Codicibus Hebraicis reperiri כרו. Quin ipſe Huntlæus, ille acerrimus alias præ ceteris Hebraicæ veritatis impugnator, tomo I Epitomes, Controv. I, cap. X, *Scio*, inquit, *non paucos libros Judæorum habere in ipſo textu* כאור. *h. e. foderunt*. Addeſis Gerardum Veltuykum, in appendice libri, quem inſcripſit, Itinera deſerti, Dieguum Payuam Dandrada, lib. IV Defenſionis Tridentinæ fidei, pag. 616. Petrum Galatinum, de Arcanis Catholicæ veritatis libro I, cap. IIX, ac lib. IIX, cap. XVII; & obſerva inſuper, quod Biblia Complutenſia, an. CIↃ IↃ XX, cura Card. Ximenii, & cum pri-

Biblioth. ſcriptor. Soc. p. 386.

vilegio Papæ Leonis x, edita, legant כארו. Sed quid opus his immorari diutius, cum ipse Bellarminus, quo cum nobis res est, non admittat universalem loci nostri Davidici depravationem; uti ex his, quæ supra ex eodem producebamus, facile liquet, & agnoscit insuper Apologeta ejus Gretserus? Ad alia itaque pergo.

col. 455.

De loco Ps. 19. 5.

XVII. Provocat nempe amplius auctor noster ad Psalm. XIX, 5. ubi Hebraici codices legunt: *In omnem terram evixit* קום *linea* sive *perpendiculum eorum*; cum tamen LXX verterint, φθόγγος αὐτῶν, & horum versionem approbaverit Apostolus Rom. x, 18. imo & Hieronymus ad literam reddiderit ex Hebræo: *exivit sonus eorum*. Unde necessum esse ait, aut Paulum & Hieronymum reprehendere, aut certe fateri, fontem hoc loco non esse purum. Verisimile autem esse putat, legi debere, קולם, quandoquidem una litera tantum addita, ex קום fiat קולם. Eadem repetit in Explanatione Psalmorum, ubi hunc locum interpretatur.

LXX Interpp. & N. T. scriptores non semper singula verba locorum V. T. exprimunt.

XIIX. Verumenimvero, si, quotiescunque vel in sua translatione LXX, vel in citationibus ex Veteri Testamento Evangelistæ & Apostoli, in uno vel altero verbo discrepant a textu Hebræo, illico inferendum sit, Hebræum textum esse corruptum, corruptus quoque erit in Hebræo locus Mich. v, 1. in aliquot verbis discrepans a textu Græco Matthæi II, 6. corruptus erit locus Is. XXIIX, 16. itidem discrepans tum a versione LXXvirali, tum ab allegatione Paulina Rom. IX, 33. corrupti erunt in Hebraico textu multi loci alii, quos tamen depravationis nec insimulant Pontificii, nec insimulare possunt, ni ipsi suæ

trans-

translationi vulgatæ, Hebræum codicem heic sequenti, dicam scribere velint. Scilicet LXX Interpretibus, & Evangelistis atque Apostolis, *cura fuit, non verba & syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere*; indeque *non* semper in translatione & allegatione sua *verbum expresserunt e verbo, sed* παραφραστικῶς *eundem sensum aliis sermonibus indicarunt: sensum quæsiverunt, non verba; nec magnopere de ordine sermonibusq; curarunt, dum intellectui res pateret*; uti loquitur ille Scripturarum doctissimus interpres Hieronymus, epistola CI, ad Pammachium, de optimo genere interpretandi: ubi etiam, quod dicit, pluribus in medium allatis exemplis it probatum. Quemadmodum ergo alias non semel, sic etiam in exprimendo loco Psalmi XIX, ad sensum magis quam verba attenderunt LXX & Apostolus, pro linea seu norma substituentes prædicationem vel doctrinam, quod nihil aliud quam ista per eam a Davide intelligatur; sicut & ipse Paulus doctrinam Apostolicam alias κανόνα, *normam & lineam*, appellat Gal. VI, 16. Philipp. III, 16. Atque hoc est, quod ex ipsismet celebrioribus Jesuitis nobiscum fatetur Martinus Antonius Delrio, quando in Adagiis suis sacris, adag. DCCXXIV, affirmat, LXX & Paulum *vocasse sonum ipsam prædicationem, quæ revera*, inquit, *est PERPENDICULUM ædificii cœlestis*. Subscribunt quoque huic sententiæ, quod videlicet sensum Psalmi respexerint LXX & Apostolus, magni nominis Doctores Pontificii, Benedictus Arias Montanus, Franciscus Titelmannus, Gilbertus Genebrardus, Augustinus Steuchus, in præsentem locum: nec abnuit in suo Commentario Jesuita Iohannes Lorinus; qui insu-

Pontificiorum suffragium.

per Eugubinum, Titelmannum, Bredenbachium, Malvendam, &, (cujus suffragium, quod jure mireris, negare nobis audet Erbermannus) doctissimum Genebrardum, nostræ heic sententiæ adstipulari, ambabus, quod ajunt, manibus largitur. Adde & Johannem Isaac, qui, ut in aliis, ita & hoc loco, Hebraici textus integritatem adversus Lindanum tuetur.

p. 54.

Gretseri exceptio. col. 456.

XIX. Gretserus heic, Hunnium nostrum alloquens, *Quod tu & Junius dicitis*, inquit, 70. *interpretes, Apostolum, & Hieronymum, respexisse ad sensum, & explicare voluisse, quanam sit illa regula seu norma in omnem terram diffusa, nempe ipsam prædicationem Evangelicam; id libenter crederem, nisi compertum haberem, boni interpretis officium hoc postulare, ut, quando verbum æque apte per aliud verbum ejusdem prorsus significationis exprimi potest, non exprimatur per aliud prorsus metaphoricum, ut est* sonus *respectu regulæ, seu lineæ, seu perpendiculi.*

Responsio.

XX. Verumenimvero, si hanc suam regulam, debere nimirum bonum interpretem, quoties fieri id potest, unumquodque verbum per aliud ejusdem prorsus significationis vocabulum exprimere, generaliter de quavis interpretatione intellectam vult Gretserus, oppido fallit. Etenim audivimus supra affirmantem Hieronymum, licere fideli etiam & cordato interpreti aliquando, non verbum exprimere e verbo, singulasque lectori voculas adnumerare, sed παραφραστικῶς eundem sensum ALIIS SERMONIBUS indicare; idque non semel fecisse ipsos etiam scriptores θεοπνεύστους. Quod si paraphrasi & aliis plane sermonibus citra crimen uti potest interpres, quidni unicam

ei vocem metaphorice reddere sit integrum? præsertim si & ipsum illud, quod vertendum est, vocabulum, improprie & metaphorice in textu sumatur: quod in præsenti loco fieri adeo est liquidum, ut ipsosmet etiam Iudæos non omnino id præterierit: R. siquidem Aben Ezra τὸ קו Davidicum diserte exponit per מכתב *scripturam*, (quæ τῆς φθόγγε signum,) *sensus est*, inquiens, *quod SCRIPTURA eorum legitur in omni loco, & docti sensum ejus intelligunt in omnibus locis terræ.* Ad Hieronymum quod attinet, voluit & ille dubio procul τῶν LXX ac Apostoli heic vestigia premere, ut ipsimet cordatiores Pontificii fatentur. Et sane Bellarminus hocipso capite totidem verbis affirmat, *Psalmorum interpretationem Hieronymianam cum textu Hebraico, qui NUNC extat, IN OMNIBUS convenire.* Quod si ita, convenire quoque oportet vocem *sonus*, qua in illa sua interpretatione Hieronymus utitur, cum τῷ קום, quod est in textu Hebraico qui nunc extat. Interim ponamus, legisse Hieronymum in suo, quo usus est, Hebræi codicis exemplo, non, קום, sed קולם, quid inde contra nos? qui, ut jam supra monitum, de *unius vel alterius codicis depravatione* heic non disputamus. Et opponere in tali casu possemus Hieronymiano codici codicem Aquilæ, interpretis longe vetustioris, quem קום legisse, vox κανὼν, qua in sua translatione utitur, evidenter monstrat. num. 2.

XXI. Ultimo tandem loco Bellarminus, pro fontium demonstranda corruptione, urget, *quod INTERDUM desint integræ sententiæ in Hebræo, cum non desint, nec in versione 70. nec Hieronymi translatione.* De loco Ex. 2. 22.

Quamquam non nisi unicum profert exemplum ex Ex. II, 22. ubi deesse ait totum illud: *Alium quoque genuit, & vocavit nomen ejus Eliazer, dicens: Deus patris mei auxiliatus est mihi, & liberavit me de manu, Pharaonis.*

XXII. Merito autem heic Cardinali opponimus, quæ habet ipsemet infra capite VI. Docet nimirum ibi, translationem LXXviralem hodie non extare incorruptam, *sed valde vitiatam in pluribus locis esse; ut JAM TUTUM NON SIT HEBRAICOS TEXTUS EX GRÆCIS CODICIBUS EMENDARE.* & paulo post, *Ista*, inquit, *Græca versio, quam nunc habemus, in pluribus locis dissentit ab Hebræo; multa non habet, quæ sunt in Hebræo; MULTA HABET, QUÆ NON SUNT IN HEBRÆO; ut omnes noverunt, qui in ea versati sunt. Neque videtur* (ita mox pergit) *satis apte hoc argumentum solvi ab iis, qui respondent, textum Hebræum esse corruptum, ubicunque a Græco discrepat. Nam neque hæretici hoc admittunt, qui anteponunt Hebræum textum Græco; neq. Catholici admittere debent, ne fateri cogantur, vulgatam editionem Latinam, qua Ecclesia Catholica tot jam seculis utitur, & quam Concilium Tridentinum authenticam esse judicavit, totam esse coruptam. Nam, excepto Psalterio, Latina editio cum Hebræis codicibus magis convenit, quam cum Græcis.* Porro, quod & hæc ipsa vulgata Latina Pontificiis authentica, aliqua habeat, quæ, saltim eodem loco, non extent in codice Hebræo, nec extiterint unquam, rursum fatetur Bellarminus hoc ipso capite, dum scilicet octo illos versiculos, qui post comma tertium Psalmo XIII editionis vulgatæ inserti sunt, nunquam in Hebræo fuisse, nec ad Psal-

mum

mum istum pertinere, sed ex Rom. III, 13. seqq. ab aliquo illuc esse translatos, cum Hieronymo fatetur. Atque ita patet, vel ipsomet Bellarmino judice vitiosam esse istam collectionem: hic vel ille locus non extat in codice Hebræo, extat autem in editione LXXvirali & vulgata Latina; ergo textus Hebræus, quantum ad illum locum, corruptus est & depravatus.

XXIII. Nec est ut excipiat Cardinalis, tametsi, de quibus jamjam dicebamus, versiculi isti eodem illo loco unaque & eadem illa serie non reperiantur in codice Hebræo, extare nihilominus in eo alibi sparsim. Nam & verba, quæ Ex. II, 22. in Hebræo deesse ait Bellarminus, extant ejusdem libri capite XIIX, 4. Unde & versiculum istum priori loco supervacaneum esse agnoscit Card. Cajetanus, eundemque asterisco notant Lovanienses. Quin &, monente Junio, *inepte illud comma in Exodi 2. inculcatur, si ad argumentum Mosis attenderis & continuationem historiæ. Gersom enim, prior Mosis filius, multis annis præcessit Eliezerum fratrem; quibus annis Israelitæ respexerunt ad Deum, & ad illos vicissim Deus: Eliezer vero sub finem illorum annorum natus est, & adhuc fuit* ἀπερίτμητος, *incircumcisus, quum sese Moses ad reversionem in Ægyptum accingeret, ut plane docet historia Exod. 4. Hanc observationem*, ait, *si qui non vident ad illustrationem gratiæ divinæ & consequutionem historiæ pertinere, ac propterea farcturam istam de Eliezero Exod. 2. adhibent, ii profecto Mosis consilium non vident: sin negant, male merentur de Mose & Ecclesia* DEI. Quibus Junianis licet ne verbulum quidem repo-

col. 475. p. 54. reponere possit, vel Gretserus, vel Erbermannus, nihilominus, quod Hunnius, Junius, & Amesius scribunt, non pertinere locum istum ad cap. II, sed ex capite XIIX a LXX & vulgato Latino eò esse translatum, *ægrorum somnia* appellare non dubitat uterque. Nempe hoc est DEFENDERE, hoc VINDICARE BELLARMINUM!

De punctis Hebræorum. XXIV. Et hactenus quidem de locis illis, quæ in Hebræo codice depravata esse Bellarminus arbitratur. Posset nunc porro in disquisitionem vocari, quod de punctis Hebræorum circa finem capitis affirmat Cardinalis, esse videlicet ea a Rabbinis inventa, & textui sacro superaddita, indeque posse nos, absque mutatione textus, puncta, si velimus, detrahere, & aliter legere. Sed quia hanc de Punctis quæstionem, doctissimorum virorum scriptis adversariis quam maxime, nostro inprimis tempore, nobilitatam, ex professo heic non persequitur auctor, nec nostrum erit, in eadem enodanda hoc loco operosos esse. Solum monemus, refragari, quam Bellarminus heic tenet, opinioni ex ipsismet Pontificiis, Johannem Isaac, & Antonium Rudolphum Cevalerium, qui, quod puncta consonantibus in codice Biblico coæva sint, in suis Grammaticis docent: tum quoque ex eadem schola Marcum Marinum, Brixianum, qui in præfatione editi a se Thesauri linguæ sanctæ, sive, ut inscribit, Arcæ Noe, Judæos ab omni tempore puncta sua habuisse, multis argumentis probare conatur.

XXV. Antequam transeamus ad alia, unum adhuc monendum ducimus. Videlicet, ubi duas de Hebræo textu sententias hoc capite examinasset Bellarmi-

larminus, quarum prima (a nobis hucusque defensa) eorum, qui nullam omnino ejus admittunt corruptionem; altera quorundam Pontificiorum, v. g. Jacobi Christopolitani & Melchioris Cani, contendentium, *Judaeos in odium Christianae fidei studiose depravasse & corrupisse multa loca Scripturarum*; suam tandem subjuncturus ἐπίκρισιν, *His duabus sententiis refutatis*, ait, *restat tertia, quam ego verissimam puto, quae est Driedonis lib. 2. de Ecclesiast. dogmat. & Scripturis, cap. 1. & aliorum, qui docent, Scripturas Hebraicas non esse in universum depravatas opera vel malitia Judaeorum; nec tamen esse omnino integras & puras: sed habere suos quosdam errores.* Etenim cum Palaemonem heic se interponat Cardinalis, & neutram supra memoratarum amplecti velit sententiam, utrique contradicat necesse est. Et priori quidem recte contradicit, dum ait, Scripturas Hebraicas non esse omnino integras & puras; sed habere suos quosdam errores. Ceterum posteriori quomodo contradicat accurate, non satis apparet. Neque enim haec assertio: *Scripturae Hebraicae non sunt* IN UNIVERSUM *depravatae opera vel malitia Judaeorum*; contradicit isti, quae Christopolitano & Cano supra tribuebatur: *Judaei in odium Christianae fidei studiose depravarunt & corruperunt* MULTA LOCA *Scripturarum*; uti palam est. Et certe, argumenta, quibus contra suos illos Pontificios pugnat Bellarminus, non probant dumtaxat, malitia Judaeorum non esse depravatas Scripturas *in universum*; sed potius, omnino nullam corruptionem sacro codici a Judaeorum malitia accidisse. Unde ne quidem illud כארי Psalmi XXII, etsi pro genuino haud agnoscit, ex Judaica

depravatione natum esse admittit; sed scribarum potius errori censet imputandum, §. *Dicet aliquis.* Et speciatim argumentum tertium, quod *ab incredibili religione Judaeorum erga sacros libros* petitur, diserte probat, Judæorum malitia NE VERBUM *fuisse unquam in Lege Hebraeorum* (h. e. Veteris Testamenti Scriptura) *immutatum.*

CAPUT III.

DE TRANSLATIONE CHALDAICA.

I.

Targum non exstat in universam Scripturam.

AIt Bellarminus, *totam Scripturam veterem translatam esse paraphrastice ex Hebraeo in Chaldaeum.* Sed hæc assertio (quæ etiam Pauli Fagii est, præfati in Pentateuchum Chaldaicum a se conversum, & Petri Galatini, lib. 1 de Arcanis Catholicæ veritatis cap. III,) idoneis testibus vix probabitur: cum sane de paraphrasi Codicis universi a Jonathane & Onkeloso adornata, cujus Fagius & Galatinus meminerunt, altum sileat historia, nec ullum umquam Targum in Esdram & Danielem visum sit: quemadmodum neque in Paralipomena tale extitit typis vulgatum, donec anno cIↄ Iↄc LXXX & LXXXIII, ex mscr. una cum versione Latina & Notis, Augustæ Vindelicorum edidit Dn. Matth. Frid. Beckius. Quod num idem illud sit, cujus mscr. in Bibliotheca Cantabrigiensi habetur, dispiciant, quibus facultas ad id & occasio suppetit. Meminit hujus Brianus Waltonus, Proleg. in Biblia polyglotta Anglicana XII, 15. *Extat*, inquiens, in

in Bibliotheca Cantabrig. inter Erpenii libros, quos Academiæ donavit Dux Buckingamius, Biblia Hebraica, cum annotationibus marginalibus, in librum Psalmorum, Job, Proverbiorum, partem priorem 1. Chronic. usq. ad cap. 22. v. 6. scriptis, ut ad finem notatur, anno Christi 1347. quando autem primum confecta, vel a quo authore, nondum mihi constat. Sero admodum harum notitiam habui, postquam Biblia nostra absolvimus, idcirco specialem illarum descriptionem aliis relinquimus. Videatur etiam de Erpeniano hoc codice Christ. Ravius diss. II, part. I Alcorani Arabico-Latini, sect XXXVI, & Edmuudus Castellus in præfatione Lexici heptaglotti.

II. Deinde Cardinalis interpretem Onkelos eundem credit esse qui Aquila. Quo ipso enormem committit anachronismum. Etenim Aquila Ponticus, auctor celebris illius versionis Græcæ, sub Hadriano vixit & Antonino Pio; Onkelosum vero, Paraphrasten Chaldæum, vixisse ante natum CHRISTUM, minimum ejus & Apostolorum tempore, communis est sententia. Videantur, ex Hebræis quidem R. Abraham Zachus, in Juchasin fol. 54. R. Asarias in Meor Enajim fol. 48 & R. David Gantz in Tzemach David, fol. 40. Ex Christianis vero Christophorus Helvicus, tract. de Chaldaicis Bibliorum paraphrasibus capite II, Johannes Buxtorfius de Abbreviaturis Hebraicis, abbr. לרא & תא, ac præfatione Grammatices Chaldæo-Syriacæ, Wilhelmus Schikardus in Bechinath Happeruschim, disput. II, Jo. Henr. Hottingerus in Thesauro Philologico lib. I, cap. III, sect. I, pag. 258. & sect. III, pag. 377. Bartho-

Onkelos non est idem qui Aquila.

lomæus Mayerus in Philologia ſacra, parte II, cap. II, theor. IV, pag. 183. Waltonus loco paulo ante citato, num. IX, & proleg. IX, 19. nec non in diſſertatione de Linguis Orientalibus, num. XXVII, Petrus Dan. Huetius de Interpretatione lib. II, cap. III, 6. aliique plurimi.

Errores quos in paraphraſi Onkelos reperiri ait Bell. expenduntur.

III. Amplius ex paraphraſi Onkelos in Pentateuchum loca nonnulla profert Bellarminus, in quibus erraſſe ipſum, textumque originalem non ſatis fideliter expreſſiſſe arbitratur. Quantumvis autem nec nos affirmare auſimus, rem acu ſemper tetigiſſe interpretem iſthunc, an tamen omnia illa, in quibus impegiſſe ipſum Cardinalis credit, revera hujusmodi ſint, ut juſtam effugere cenſuram nequiverint, non præter rem diſquiretur forte.

Locus Gen. 4. 23. conſideratur.

IV. Scilicet ubi primo dicam hoc nomine ei ſcribit, quod, cum Gen. IV, 23. in Hebræo habetur, Lamechum dixiſſe, ſe occidiſſe virum; cui Græca etiam & Latina verſio conſentiant; ipſe in ſua translatione addat negationem, & ſic contrarium ſenſum reddat; reſpondet Junius, Paraphraſtæ verba accipienda eſſe *ἐρωτηματικῶς*, puta ut לא. intelligatur eſſe poſitum pro הלא, atque hac ratione nullam inter Hebraicum & Chaldaicum textum eſſe pugnam.

Gretſeri contra Junium exceptio. col. 461.

V. Et quamquam Gretſerus heic, Bellarminum ſuum propugnare ſatagens, *Junius*, inquit, *hoc ἐρωτήσεως commentum non affirmare, ſed probare debebat. Certe interpretibus Chaldaicæ paraphraſeos non incidit; ut patet ex Bibliis Regiis, & aliis. Et quare non incidit, niſi quia nec dum in cerebro Junii ſatum & inde in lucem prolatum fuerat?* laterem tamen lavat importunus Apologeta.

VI.

VI. Etenim quid probare debuit Iunius? num, quod לא interdum sumatur interrogative pro הלא? Id vero certissimum est; producitque hujus acceptionis exempla inter alios in Lexico suo Valentinus Schindlerus (vide etiam quæ observamus infra cap. XII, 33.) aut num demonstrandum ipsi fuit, τὸ לא heic necessario capiendum interrogative? Sed nec Gretserus demonstrare potuit, non debere ita accipi. Nam quod ait, auctoribus, qui exhibitam in opere Regio versionem Chaldaicæ paraphraseos Latinam adornarunt, id non incidisse, atque hinc conficere vult, repudiandam esse sententiam Junii, sane nimis frivolum est. Neque enim illa versio præjudicare quidquam poterat Iunio, viro in talibus versatissimo. Et solet utique non raro uni succurrere, quod non statim in mentem veniebat alteri. Interim si cui forte non arriserit Junii opinio, dici nihilominus potest, etiamsi verba Lamecho in translatione Onkelos tributa intelligantur negative, non tamen ipsum introduci ut qui simpliciter & absolute, virum se occidisse, neget; sed certo respectu; neget inquam, ita occidisse, ut vel sibi vel suæ posteritati damno id futurum sit & exitio. Sic enim dicitur locutus apud Chaldæum: *Non occidi virum, ut propter eum ego portem peccatum; neque adolescentulum disperdidi, ut propter eum consumatur semen meum.* Quæ non tam versionem nudam esse debere, quam liberiorem paraphrasin, sententiam potius quam singula Hebræi textus verba exprimentem, satis manifestum est. *Responsio.*

VII. Porro ait Bellarminus, Gen. XXII, 18. & *Expenditur*

locus Gen. 22, 18.

alias aliquoties, cum Hebræus textus habeat: *Benedicentur* בזרעך *in ſemine tuo omnes gentes terræ*; & concordet Græcus atque Latinus; quin Apoſtolus Gal. III, 16. obſervari jubeat promiſſiones Abrahæ *factas* & *ſemini* ejus, non *ſeminibus*: Onkelon contra adhibuiſſe heic numerum multitudinis, dum reddiderit: *benedicentur* בריל בנך *propter filios tuos*.

Bellarminus Chaldaicæ linguæ rudis.

IIX. Sed videntur ſane hæc innuere, Bellarminum Chaldaicæ linguæ non ſatis fuiſſe gnarum, & unice heic reſpexiſſe ad verſionem Latinam Ariæ Montani. Eccur enim בנך apud Chaldæum plurale potius ſit quam ſingulare? an forma nominis id jubet, num ratio affixi? neutrum dixerit vel prima Chaldææ Grammatices qui callet rudimenta. Quin conſtat potius, Plurali numero, ut a Singulari (cujus affixum citra controverſiam ךָ) ſecerneretur, affixum יךְ olim addi ſolitum, ut, v. c. in רעיונך, לעבדך, לשנאך, לערך, Dan. II, 4. 29. IV, 16. quamquam ſine Jod legenda ea tradiderint Maſoretæ. Ut ita Singularem inter ac Pluralem, illius affixi ratione nulla ſuperſit differentia. Unde & ipſe Arias, qui hoc loco *h.* בנך pluraliter reddit, alibi, nempe Gen. III, 15. idem vertit in ſingulari, *filium tuum*. Atque hoc eſt, quod ait Iunius: *Hanc formam* (בנך) *accipiunt Chaldæi promiſcue utroque numero.* Quæ verba Gretſero, Chaldaicorum æque ac Bellarminus perito, meræ fuerunt tenebræ. Hinc ridicule ſcribit, Iunio talia affirmanti refragari Apoſtolum Gal. III. Quaſi nimirum Apoſtolus ibi neget, בנך apud Chaldæos formam eſſe utriusque numeri!

Similiter Gretſerus. col. 461.

De loco

IX. Amplius urget Bellarminus, Exodi XII, 43. quando

quando in textu Hebræo legatur, כל בן נכר, *Omnis filius alienigena non comedet ex eo*, agno videlicet Paschali, & concordet Græcus iterum ac Latinus, Chaldæam paraphrasin in odium Neophytorum posuisse, כלבר ישראל ראשתמד *Omnis filius Israel destructus*; quo nomine passim Judæi appellent qui ad fidem Christianam, relicto Iudaismo, convertantur. Ubi Junius: *Onkelos filium alieni Dei, id est, idololatram, interpretatus est, vel qui ad idololatriam desciverit. Atque huic illius interpretationi suffragatur verborum sequentium antithesis, nec sine exemplo est.* Ex. 12. 43.

x. Quidquid vero hujus: quantum ad nomen אשתמד, testis est R. Elias Levita in Thisbite, fuisse id jam tum Antiochi Illustris tempore in usu, & generaliter de quibuscumque religionem mutantibus accipi. Quin fatetur ipse Bellarmini πρόμαχος Gretserus, designare voce isthac Iudæos quemvis in genere apostatam, sive ad idololatras ille desciverit, sive ad Christianos. Unde non erat, cur præcise in Neophytorum odium voce illa Onkelon usum esse scriberet Bellarminus; qui nimirum supponit, Onkelosum esse Aquilam, indeque diu post CHRISTUM vixisse: in quo falli ipsum, jam supra num. II monuimus. col. 462.

XI. Ulterius ait Cardinalis, Levit. x, 6. & XXI, 10. dum textus Hebræus habeat, ראשיכם לא תפרעו *capita vestra non radetis* seu *nudabitis*, concordentq; Græcus & Latinus, Chaldæam paraphrasin contrarium reddere, nempe sic: לא תרבון פירוע, *non multiplicabitis comam.* De locis Lev. 10. 6. & 21, 10.

XII. Ubi dum Iunius ait: *Nomen* (פרוע) *est ab Hebrææ matricis linguæ significatione ductum: quasi dicat,*

cat, non multiplicabitis nudationem vel deglabrationem: concedit equidem Gretſerus, uti פָּרַע ſignificat *denudare, diſcooperire*, ſic nomen inde formatum פֶּרַע, a quo Chaldaicum פְּרוּעַ notare *nudationem*: putat tamen, id nihil juvare Iunium, cum Hebræum פֶּרַע etiam ſignificet *cæſariem* ſeu *comam*. Quaſi nimirum Iunio non ſufficeret, Hebraicum פרע, & conſequenter, quod huic reſpondet, Chaldaicum פרוע, non ſemper & neceſſario notare *comam*, ſed *nudationem* etiam. Dummodo enim hoc admittatur, facile tolletur pugna illa & contradictio, quam inter Hebræum textum & Targum heic intercedere affirmat Bellarminus. Nam quod dicit Gretſerus, ſi Iuniana explicatio locum inveniat, ſecuturum, non abſolute Deum prohibuiſſe ipſam raſuram ſeu nudationem capitis, ſed tantum repetitionem ſeu iterationem ejus; id cujuſcumque etiam momenti eſſe credatur, Bellarmino certe, quatenus is contradictionem, quam Hebræum inter & Chaldæum eſſe contendit, hypotheſi illi, quod פרוע heic notet *comam*, ſuperſtruit, nihil omnino facit. Sed nolumus iſtis immorari diutius.

l. c.

CAPUT IV.

DE VERSIONE SYRIACA.

I.

De Syriaca lingua origine & a Chal-

QUæ hoc capite de origine linguæ Syriacæ, & eiusdem a Chaldaico ſermone diſcrepantia, aliisque ſimilis commatis, neſcio quo conſilio, differit Bel-

Bellarminus, nolumus, quod proprie huc non spectant, in operosam disquisitionem vocare. Videat de iis, qui voluerit, Waltoni dissertationem de Linguis Orientalibus, num. XXXIII, & prolegom. XIII in opus Anglicanum, Hottingeri Smegma Orientale, Edoardi Brerevvodi Scrutinium linguarum capite IX, Georg. Amyræ Grammat. Syr. præludium, Buxtorfii præfationem Grammatices Chaldaico-Syriacæ, Andreæ Masii Epistolam præliminarem Grammatices Syræ, Guidonis Fabricii præfationem in N. T. Syriacum, Joh. Casp. Myricæi præfationem Grammatices Syro-Chaldææ, Bartholomæi Mayeri partem II Philologiæ sacræ, Ant. Possevini Biblioth. lib. II, cap. XVI, Augusti Pfeifferi Criticæ sacræ cap. X digressionem §. 3. seqq. ejusque Introductionem in Orientem dissert. II, & quos ibi citat, Postellum, Bibliandrum, Thes. Ambrosium, Duretum, Roccham, Gesnerum, Bezoldum, Th. Hayne. *daica discrepantia.*

II. Quod Veteris Testamenti Syriaci nullam mentionem injiciat Cardinalis, non adeo mirandum. Quantumvis enim id ipsius tempore in quorundam privatorum bibliothecis Europæis extaret manu exaratum, typis tamen non nisi ante paucos annos edidit Michael de Jay, in splendido illo opere heptaglotto Parisiensi, usus præcipue heic opera celeberrimi istius Maronitæ, Gabrielis Sionitæ, qui primus Syriacum illum textum punctis vestivit (antea enim mss. omnia punctis vocalibus vel prorsus destituta erant, vel, si in una dictione punctum aliquod notatum esset, in alia erat omissum) & Latinam interpretationem adjunxit. Posthac eandem Syria- *Etiam V. T. Syriace extat.*

cam V. T. translationem, ſed, accuratiorum mſſ. adminiculo, longe emendatiorem, ſuo etiam Anglicano Operi inſeruit Clariſſimus Waltonus, additis, quæ in Pariſienſi editione deerant, libro Eſther, Judith, Tobiæ, Epiſtola Ieremiæ, Baruch, hiſtoria Suſannæ, Belis & Draconis, Cantico trium puerorum, II ac III Maccabæornm.

III. Et hæc quidem verſio Syriaca (quam *ſimplicem & antiquam* appellant Maronitæ, quaque ſola in officiis divinis utuntur) ex Hebræo expreſſa eſt. Præter eam vero datur alia quædam recentior ex Græco translata: de qua loquitur Andreas Maſius, præfatus in Joſuam, & ad quam digitum intendit Arias Montanus in admonitione ad lectorem verſioni N. T. Syriacæ præmiſſa, ubi ait: *De Veteris Teſtamenti libris Syriacis non adeo laborandum, eo quod ex iis fragmentis, quæ mihi videre contigit, illam ſacrorum librorum partem non ex Hebraica & primæva lingua, ſed ex Græca ab Origene permixta verſione ad Syros eſſe translatam cognoverim. Quibus verbis*, inquit ſupra memorato loco Waltonus, *duplicem errorem erravit vir alias doctiſſimus; tum quod non aliam habuiſſe Syros verſionem ſcribat, quam quæ ex Græco facta eſt, tum quod, ut magis deprimeret hanc verſionem, dicat factam eſſe ex Græca ab Origene permixta verſione: quorum neutrum verum eſſe, ſatis probatum eſt. Nam verſionem habent ex Hebræo antiquiſſimam, quam in his Bibliis exhibemus: & illa, quam poſtea hauſerunt ex Græco, non erat ex mixta aliqua, ſed ex ea, quam in Origenis Hexaplis puram eſſe & genuinam, omnes veteres, imo ipſe Hieronymus, uno ore affirmarunt.* Hæc Waltonus: quem

quem, qui plura de hoc argumento desiderat, consulere potest, eique jungere Hottingerum, lib. I Thesauri Philologici, cap. III, sect. II, itemque Analect. Historico-Theolog. dissert. II, quæ est de Heptaplis Parisiensibus, num. VIII, seqq. Richardum Simonem Historiæ Criticæ V. T. lib. II, cap. XV, & Disquisit. Critic. cap. XXI.

Quantum titulis & sectionibus capp. editionis N. T. Syriacæ tribuendum.

IV. Bellarminus, etiamsi parum auctoritatis Novo Testamento Syriaco tribuit, adeo ut Latinam quoque editionem præferre eidem non dubitet; (quod quam bene fiat, auctores te docere poterunt modo laudati) *unum tamen*, ipso judice, *est, præter alia, ejus editionis commodum insigne*; *quod* videlicet, *cum in titulis ac sectionibus capitum mentio fiat jejuniorum, venerationis Crucis, precum pro defunctis, vigiliarum, memoriæ Sanctorum, aliarumque ejusmodi rerum, quas Lutherani tanquam Romani Pontificis traditiones detestantur, apertissimi mendacii hac ipsa editio Lutheranos convincit.*

V. Sed, ut nihil de eo nunc dicamus, an illa capitum summaria & additamenta Pontificiorum superstitionibus ita absolute, ut Bellarminus quidem existimat, patrocinentur, Protestantibus vero per omnia adversentur (de quibus alibi) non erat sane, cur de istis titulis & sectionibus tantopere gloriaretur, sibique & Romanæ Ecclesiæ gratularetur Cardinalis.

Vergerii testimonium.

Etenim Petrus Paulus Vergerius, olim Episcopus Justinopolitanns, & duorum Pontificum per Germaniam Legatus, quin & Ferdinando Regi adeo charus, ut pro hujus filia Catharina, una cum Georgio, Marchione Brandenburgico, & Johanne, Archiepisco-

po Lundenſi, in baptiſmo fidejuberet; is, inquam, Vergerius, mirabili tandam occaſione (quam Iohannes Sleidanus libro XXI de ſtatu Religionis deſcribit) ad Proteſtantium Eccleſiam adductus, Dialogo III adverſus Hoſium memorat, ſe domi habuiſſe Moſen Meridinæum, hominem natione Syrum, (qui Widmanſtadio, dum is Novum Teſtamentum Syriacum primus in Europa typis imprimi curaret, Viennæ adfuit) & ab eodem audiviſſe, Widmanſtadium *præter Evangelium Syriaca lingua ſcriptum, habuiſſe ſeorſum aliquot folia, etiam Syriace: ſed quæ ipſe Moſes aperte videret fuiſſe non multorum annorum:* Widmanſtadium *tamen ea quoque curaſſe excudi una cum ipſo Evangelio, teſtatumque fuiſſe in ſuis præfationibus, ea non multo poſt tempora Apoſtolorum ſcripta fuiſſe.* Exhibuiſſe autem folia iſta indicem, *qualem ſolent Papiſtæ affigere editionibus Novi Teſtamenti, hoc eſt, quodnam fragmentum Evangelii debeat legi in die dedicationis Templorum, in die mortuorum, in feſto Virginis, & aliquorum Sanctorum.* Hæc Vergerius, qui ſe ipſe vocat *hominem in dignoſcendis Paparum fraudibus & inſidiis a XXX annis exercitatum*, epiſtola ad Regem Poloniæ. Idem paulo poſt ait, fuiſſe, qui Widmanſtadio, quod minus ſincere cum indice iſthoc egiſſet, publico ſe ſcripto opponere in animo haberet; ſed, quia ſtatim poſt procuratam illam editionem Widmanſtadius obierit, conſilium eum mutaſſe.

Teſtimonium Iunii. VI. Porro de illis titulis ac ſectionibus capitum etiam Junius: *In vetuſtiſſimis* exemplaribus Syriacis *ne apex quidem comparet iſtarum rerum, in recentioribus multis adſcripta ſunt editiones iſtæ ad finem libro-*

librorum, idque aliena manu. Ubi quidem Gretserus, *Scilicet*, inquit, *Junius vetustiora Syriaci Testamenti exemplaria vidit quam Widmanstadius, Ferdinandi Imp. Cancellarius inclytus, qui primus Syriacum Testamentum typis descriptum evulgavit; & quam doctissimus ille Guido Fabricius, interpres Syriaci textus, ut & alii de Bibliis Regiis evulgatis bene meriti; qui nullo in Codice deficere viderunt, quæ Calvinianus iste tam acute videt in vetustissimis exemplaribus deesse. Ubinam delitescunt illa vetustissima exemplaria?* Sed respondeat ei ipse Junius, qui in suo Speculario, ceu vocat, vel Apologia pro Immanuele Tremellio adversus Gilbertum Genebrardum, Tremellium introducit ita colloquentem: *Ego, mi Genebrarde, non improbo editionem Viennensem: nam ad recentiorum Syrorum captum usumque tota accommodata est.—Veruntamen illud amplius diserte professus sum, mihi antiquum exemplum illo antiquius e Bibliotheca Illustrissimi Principis & Palatini Electoris obtigisse, vetustiore stylo, scriptura, & forma. Ex hujus fide non voces solum aliquas ad antiquioris linguæ Syrorum normam revocavi, sed lacunas etiam aliquot explevi, quæ in Viennensi desiderabantur. Hoc tu ipse, ut cæcus vespertilio esses, oculis potes percipere. Itaq; Viennense exemplum non sum sequutus, Genebrarde, ne erres, sed illud cum vetustiore comparatum colui: quo nomine si tibi dolent oculi, apud bonos certe & a malitia tua abhorrentes aliquam gratiam inivero. Tu novam Syriacam præfers, ego antiquiorem. Hæc si non sapit palato tuo, sine alieno sapere.* Hoc dubio procul illud est exemplar Heidelber-

Gretseri auribum. col. 464.

Responsio.

 delber-

delbergense, quod extare, ante annos Ↄ ccc manu scriptum, præfatus in suam Grammaticam Arabicam Rutgerus Spey testatur.

CAPUT V.

DE VERSIONIBUS GRÆCIS.

I.

Versio Græca, quam ante Alex. M. extitisse putat Bell. ficta creditur Baronio.

CRedit, Clementis Alexandrini inductus auctoritate, Card. Bellarminus, ante celebrem illam translationem τῶν LXX extitisse jam olim editionem Græcam, quæ scilicet, priusquam rerum potiretur Alexander Magnus, incertum quo auctore, prodierit, & ex qua Plato ceterique Philosophi non pauca hauserint.

II. Verum hanc editionem merũ commentũ esse, nec umquam fuisse in rerum natura, affirmare non dubitat Bellarmini Collega Card. Baronius, ad ann. Christi CCXXXI, 10. seqq. Et primo quidem urget testimonium Philonis, nominatissimi illius scriptoris Judæi, qui libro II de vita Mosis plane significat, ante perfectam versionem LXXviralem, Scripturam divinam, sine traductione in ullam aliam linguam, delituisse in penetralibus Hebræorum, eodem charactere & idiomate, quo initio fuerat scripta.

Testimonium Philonis.

Verba Philonis sunt: *Lex antiquitus scripta fuit lingua Chaldaica*, (Hebraicam eum linguam intelligere, notaverat jam supra Baronius ad ann. CLXXX, 11. quod Abraham Chaldæus fuerit, & Chaldaica illorum temporum lingua eadem esset cum Hebraica. Vide & Hie-

& Hieronymum in Dan. I, 4.) *manſitque longo tempore in ea, quamdiu legis ipſius pulchritudo non eſt intellecta ab externis hominibus. Poſtquam autem ex quotidiano ejus uſu etiam ad alienos ſenſus quidam permanavit, ſimul glorioſa quoque fama ubique terrarum increbuit, (nam honeſtis rebus ad tempus obeſſe poteſt invidia, illa autem ſe proferunt tandem ſuapte felicitate ingenii) extiterunt, qui indigne ferrent, has leges parti tantum humani generis innotuiſſe, Græcas gentes nullum earum guſtum cepiſſe: dederuntque operam, ut verterentur per idoneos interpretes. Id opus quia magnum erat, & reipublicæ utiliſſimum, non privatis hominibus obvenit, non mediocribus iſtis Principibus & Regulis; ſed Regi omnium celebratiſſimo. Ptolemeus fuit Philadelphus cognomine, tertius ab Alexandro Ægypti Rex.*

III. Porro ad auctoritatem Ioſephi, itidem ſcriptoris inter Hebræos nominatiſſimi, provocat Baronius; cujus verba, lib. XII Antiquit. Jud. cap. II: *Cœpit* Ptolemeus Rex *conferre cum Demetrio, rogans, qui factum ſit, ut tam admirandarum legum nec Hiſtoricus ullus, nec Poëta mentionem fecerit. Tunc Demetrius reſpondit, neminem auſum eam attingere, quam conſtaret divinam eſſe, & omni veneratione digniſſimam: & punitos eſſe quoſdam a cœleſti numine, qui illam temere attrectare non ſint veriti. Theopompum enim, volentem inde quædam ſuis ſcriptis inſerere, mente motum fuiſſe diebus triginta, & per intervalla inſaniæ Deum placaſſe, facile conjicientem, quæ morbi cauſa fuerit, atque etiam in ſomnis admonitum, hæc ideo pati, quod fuiſſet circa res divinas curioſior, eaque voluiſſet proferre*

Ioſephi teſtimonium.

proferre profanis hominibus: quare cum a cœpto destitisset, sanam mentem ei fuisse redditam. Theodecti etiam Poëtæ, cum in quadam tragœdia vellet aliquid e sacris libris admiscere, oculos glaucomate suffusos caligasse: & cum erratum agnovisset, exorato Deo redditam sibi aciem. Hæc Josephus. Unde colligit Cardinalis, nullam antea translationem extitisse umquam, cum alioqui ea non caruisset Demetrius, quippe qui tam ingentem librorum molem collegerat, ut nullus pene eorum, quorum notitia haberetur, reliquus esset. Quod si alicubi Scripturarum versio extitisset, in Ægypto inprimis illam reperiri oportuisse; siquidem in Ægyptum peregrinatos Platonem aliosque Philosophos, ibique res Hebræorum cognovisse, Clemens Alexandrinus, Lactantius, Eusebius, aliique scriptores affirment; ingentem etiam Judæorum multitudinem in Ægypto agere consuevisse, Philo testis sit.

Testimonium Aristæ. IV. Tandem Aristææ etiam locum profert Baronius, quo ostendit, ea de causa initum esse consilium accersendi Ierosolymam Interpretes Ebræos, quod, licet libri Iudæorum innotuissent, nondum tamen, qui eos transtulissent, fuissent inventi. Aristææ verba sic habent: *Demetrius Phaleraus, cum Regia bibliotheca prapositus esset, diligenti cura elaborabat, ut ex universo orbe, quoad fieri posset, volumina compararet, distributis per oportuna loca hominibus, qui libros & emerent & transcriberent; quo studio demum perfecit, ut, quantum in se erat, impleret Regis propositum. Nam præsentibus nobis, cum ab eo peteretur, quot librorum millia congregasset, inquit: Rex, supra ducenta millia jam in bibliothecam redacta sunt, brevique numerum*

merum adimplebo, ut ad quingentorum millium summam ascendam. Nunciatur quoque mihi, Judæorum leges transcriptione dignas esse, & quæ in Bibliotheca tua habeantur. Quid igitur obstat, ait, quod te hoc facere prohibeat? nonne omnia tibi in hunc usum prompta subjectaque sunt? Cum respondisset Demetrius, interpretatione opus, intercipiens Rex, scripturum se inquit ad Judæorum Pontificem, ut omnia perficiantur.

V. Ad Philosophos quod attinet, qui ex vetustissima illa Alexandri M. ætatem antegressa Scripturarum versione nonnulla Judæorum dogmata hausisse creduntur, de iis ita judicat Baronius: *Quæ Philosophi ex Judæis accepisse noscuntur, traditione potius, cum quid rogarent Judæos, ab eis mutuatos esse putamus. Sicut, cum quidam ex illis apud Gymnosophistas versati, quæ ab illis audissent, didicerunt, non quidem quod ab eis libros accepissent; atque in Græcum sermonem convertissent. Sic igitur ex viva illos potius voce accepisse putandum, Judæo homine aliquid illis dictante & interpretante, quam ex aliqua scriptura Græce scripta atque omnibus pervulgata. Quemadmodum Aristoteli accidisse tradit discipulus ejus Clearchus (ut refert Josephus) dum ait, ipsum usum fuisse Hebræo homine ad Scripturæ interpretationem: quæ si Græco sermone tradita antea fuisset, quorsum illi opus interprete? Hæc igitur me quidem magis permovent, quam Clementis Alexandrini auctoritas, asserentis, ante tempora Alexandri & regnum Persarum, Pentateuchum in Græcum sermonem fuisse conversum, ea nimirum tantummodo ratione, quod Philosophi ex Hebræorum scripturis aliqua accepisse noscantur. Sed hæc absque divinæ Scripturæ ver-*

Quomodo Judæorum dogmata innotuerint Philosophis gentilibus.

Lib. 1 contra Apion.

Strom. lib. 1.

sione aliter accidere potuisse, jam diximus. Pergit Cardinalis: *Quin & affirmare possumus, Philosophos ex aliis scriptoribus, qui prosecuti sunt res Hebraeorum, ea de Judaeorum institutis mutuatos esse, ut ex Hecathaeo Abderita, viro insigni, qui vixit temporibus Alexandri, & de ipsis Judaeis integrum librum scripsit, ut tradit Josephus contra Apionem. Idem quoque testatur, historias Aegyptiorum, Chaldaeorum, Phaenicum, atque Graecorum, meminisse rerum Judaicarum: id ipsum praestitisse ait etiam complures Graecos auctores, quos nominatim recenset: ut non adeo mirum sit, si perpauca quaedam Philosophi ex Judaeis accepisse dicantur. Nam ea ipsa, vel ab illis tradentibus, vel ex Graecis ipsis de Judaeis scribentibus, aut Aegyptiorum, vel Chaldaeorum, vel Phaenicum historiis, absque aliqua divinae Scripturae versione vulgata, didicisse perfacile contigit: cum praesertim idem Hecathaeus Abderita, quem citant Demetrius in Aristaea, atque Josephus, testetur, nullum Graecorum ausum fuisse attingere Scripturam Judaeorum, quod sacrosancta esset, nec profano ore tractari deberet: adeo ut, qui ante eum usi essent divina Scriptura, alio quopiam e differente Judaeo, vel alio aliquo modo (ut dictum est) eam visi sint accepisse. Sed & Justinus Martyr nullam aliam, quam septuaginta interpretum, antea factam esse translationem affirmat. His igitur permoti rationibus,* concludit tandem Baronius, *Philonem, Josephum, Aristaeum, aliosque secuti, primam omnium ac principem dicimus divinae Scripturae interpretationem, quae a septuaginta duobus interpretibus, rogante Ptolemaeo Philadelpho, fuit divino elaborata consilio.*

lib. 12. Antiq. c. 2.

adversus Gentes.

VI. Haec adversus Card. Bellarmini hujusque pro

propugnatoris Gretseri opinionem Card. Baronius. cum quo heic porro confer Dominicum Bannes in 1 Thomæ, quæst. 1, artic. IIX, Joh. d' Espeires de LXX Interpretibus tract. II, disp. II, dubio III, Ludovicum Capellum libro IV Critices sacræ, cap. I, Brianum Waltonum proleg. IX in Biblia Anglicana, num. VI. Unde non erat cur scriberet Gretserus : *Quis non potius fidem adhibeat Clementi Alexandrino, auctori vetustissimo, quam Witackero*, (qui scilicet & ipse versionem illam, quæ longe ante Philadelphi tempora extiterit, pro commento habet) *Novatori recentissimo?* Quasi nimirum solus Whitakerus is esset, qui translationem isthanc repudiaret, & non idipsum faceret similiter Baronius. Cum quo idem heic sentire *recentiores plerosque*, testatur ex schola Romana vir magnæ celebritatis Petr. Dan. Huetius, Demonstr. Evang. propos. IV, cap. XII. ubi *ab eruditis in utramque partem multum disputatam controversiam* (sic enim loquitur) an Scriptura S. jam ante Persici imperii excidium Græca lingua fuerit donata ? allatis utriusque argumentis, ita decidit tandem, ut mediam amplectatur sententiam : puta, *non totum Pentateuchum, sed partes tantum quasdam ante Alexandrum Græce redditas fuisse.* Quod quibus rationibus probare nitatur, apud ipsum auctorem legi potest.

CAPUT IV.

DE
INTERPRETATIONE LXX SENIORUM.

I.

AGens de versione LXXII Interpretum (quos LXX *Nam, quia*

de apud veteres Legem vertisse dicuntur 70. de tota id Scriptura capiendum.

numero rotundo ſolemus appellare) Bellarminus, quæſtionem inter alia movet, ſolumne Pentateuchum illi, an omnes V. T. libros verterint? affirmansque poſterius, ad argumentum in contrarium afferri ſolitum, puta quod Ariſtæus libro de LXXII Interpp. Joſephus præfatione in libros Antiquitatum, & libro XII Antiqu. cap. 11, Philo libro II de vita Moſis, ſolius Legis faciant mentionem, reſpondet, Ariſtæum nomine Legis non intelligere ſolum Patenteuchum, ſed omes libros ſacros; cum a Lege, quæ liber erat præcipuus, omnes libri fuerint denominati: cujus rei documenta in ipſo etiam ſacro Codice extent; v. g. Ioh. X, 34. XV, 25. 1 Cor. XIV, 21.

Gretſeri ſententia. col. 470.

II. Verum ingenue heic Gretſerus, *Ut*, inquit, *Philoni, Ariſtea, & ipſi Joſepho, lib. 12. Antiquit. cap. 2. & lib. 2. contra Apionem, quibus locis de ſeptuaginta Interpretibus agit, hac reſponſio accommodari queat, non video tamen, quomodo per eam ſatisfiat illi, quod Joſephus ſcribit in proœmio ſeu capite primo libri Antiquitatum: ubi expreſſè dicit, non totam Scripturam, ſed ſolam legem fuiſſe à 70. Interpretibus translatam. Ait enim, ſe imitari velle ſcribendis Antiquitatum libris, & quidem ex Hebraorum monumentis, Grace ab ſe converſis, liberalitatem & munificentiam ſummi Pontificis Eleazari; qui Ptolomao Philadelpho Gracisq; aliis non inviderit, quo minus fruerentur utilitate, qua ex Hebraorum libris percipitur; addisque:* κἀμαυτῷ δὴ πρέπειν ἐνόμισα, τὸ μὲν ἀρχιερέως μιμήσασθαι τὸ μεγαλόψυχον, τοῦ δὲ βασιλέως πολλοὺς ὁμοίως ὑπολαβεῖν καὶ νῦν εἶναι φιλομαθεῖς. οὐδὲ γὰρ πᾶσαν ἐκεῖνος ἔφθη λαβεῖν τὴν ἀναγραφήν, ἀλλ᾽ αὐτὰ μόνα τὰ τοῦ νόμου παρέδοσαν οἱ πεμφθέντες τὴν ἐξήγη-

ἐξήγησιν πρὸς τ' Ἀλεξάνδρειαν. *Mihi quoque convenire duxi, ut & Pontificis imitarer magnanimitatem, & multos etiamnum Regi illi discendi cupiditate similes inveniri existimarem. Quanquam ille non totam Scripturam adeptus est, sed sola illa, quæ ad legem pertinent, tradiderunt ii, qui missi fuerant Alexandriam, interpretationis faciendæ gratia. Quibus verbis apertè satis testatur Josephus, non totam Scripturam, sed solam Mosaicam legem à 70. Interpret. fuisse versam. Et ita intellexit Josephum S. Hieronymus in Quæst. Hebraicis, his verbis: Accidit ad hoc quoque, quod Josephus, qui septuaginta Interpretum ponit historiam, quinque tantum ab eis libros Moysi translatos refert. Nec dubito, quin S. Hieronymus hæc scribens ad prædictum Josephi locum respexerit: qui in caput quintum Ezech. eandem sententiam non modo Iosepho, sed & Aristeæ, & universæ Iudæorum scholæ tribuit: quod etiam facit in cap. 2. Micheæ,* Hæc Gretserus. Vide & Waltonum, Prolegomeno Biblico IX, II.

An miraculum, quod 72 totidem dierum spatio suam confecerint Versionem.

III. Tametsi quæ de cellullis, quibus inclusi fuerint Interpretes, miraculosa memorat Justinus, quique ejus narrationi assentiuntur tum prisci tum recentiores scriptores non pauci, inprimis Pontificii, & inter hos, quamquam paulo timidius, ipse Card. Baronius, pro confictis habet Bellarminus, in illo nihilominus miraculum statuit, *quod tot homines, simul conferendo, tam brevi tempore potuerint convenire in singulis sententiis transferendis. Ubi enim est multitudo,* ait, *diversitas judiciorum evitari non potest, & vel nunquam conveniunt, vel non nisi post longas disceptationes.*

 IV. Ve-

IV. Verum non præter rem dubitari posse videtur, an miraculo imputandum necessario, quod a tot viris LXXII dierum spatio, V.T. libri ex Hebræo in Græcum traducti sint sermonem. Etenim *vix* probabile est, omnes simul in unaquaque sectione vel libro vertendo laborasse; sed videntur potius totum opus inter se fuisse partiti, aliis hanc partem assignando, aliis illam; cumque singuli pensum suum, vel ejus portionem aliquam, confecissent, statis horis vel diebus convenisse: ubi singulorum elucubrationes reliquorum judicio submissæ, &, si dubium aliquod occurebat, communi consilio explicatum, cunctisque mature perpensis & discussis, quod ab uno vel pluribus primo confectum fuerat, communi omnium suffragio approbatum, atque sic pro totius conventus versione receptum & evulgatum. Arridet hæc conjectura Iacobo Bonfrerio, Jesuitæ celeberrimo, cui, in Præloquiis Commentario in Pentateuchum præmissis, cap. XVI, sect. XVI, non sit verisimile, Interpretes *omnes simul eodē tempore & momento easdem Scripturæ sententias esse interpretatos.* Sed &, quod non eodem tempore, quo versionem adornabant, instituerint collationem, affirmat Nicolaus Serarius, itidem magni nominis Jesuita, Prolegom. Bibl. cap. XVI, quæst. X, *In una quadam Basilica*, scribens, *suas versiones rectè dicuntur contulisse; sed non eo tempore quo fiebant, verum postea quam facta jam essent, ut significant Aristæus & Iosephus.* Hoc ergo si ponatur, quis non videt, potuisse viros illos LXXII intra totidem dierum spatium sine miraculo omnes V. T. libros transferre? Fac enim, singulos dimidium capitis

pitis singulis diebus vertisse, (quod utique nullo negotio fieri poterat) totum opus, quod CMXXV capitibus circumscribitur, singulis diebus capita XXXVI, interpretando, intra XXIIX dies absolvere potuissent; qui non multum superant partem tertiam dierum LXXII. Reliquum vero tempus impendi poterat lectioni & examini eorum, quæ a singulis erant confecta, coram omnibus & ab omnibus instituto: ut ita tandem, post disceptationem de iis quæ dubia visa, & deliberationem maturam, quod communi suffragio ratum erat, pro omnium LXX opere haberetur. Videsis, qui pluribus hæc persequitur, & simul dubiis, quæ contra moveri poterant, occurrit, celeberrimum Waltonum, loco paulo ante memoraro, num. X.

V. In quæstione de auctoritate versionis τῶν LXX occupatus Bellarminus, *Certissimum esse debet*, ait, 70. *Interpretes optime transtulisse, & peculiari modo Spiritum S. assistentem habuisse, ne qua in re errarent, ut non tam INTERPRETES quàm PROPHETÆ fuisse videantur.* Quæ quidem si ita intellecta vult, ut eos, MORE SCRIPTORUM CANONICORUM, *non tam egisse, quam actos esse* credat a Spiritu sancto, ceu contendit ejus hyperaspistes Gretserus, nos opponimus hoc argumentum: *De auctoritate versionis 70 Interpp.* *col. 48.*

Qui auctores debuerunt multum laborare in sua versione edenda, illi non adornarunt eandem more scriptorum canonicorum.

At vero LXX Interpretes debuerunt multum laborare in sua versione edenda.

Ergo non adornarunt eandem more scriptorum canonicorum.

Major est ipsius Bellarmini, ut qui, libro II de Con-

ciliorum

ciliorum auctoritate cap. XII, *Scriptores sacri*, inquit, *non debuerunt multum laborare in suis libris edendis: satis enim erat, si laborarent scribendo, vel dictando, si edebant vaticinia, vel ad summum, revocando ad memoriam quæ viderant vel audierant, & cogitarent verba quibus ea scriberent, si scribebant historias, vel epistolas, vel aliquod simile.* Confer quæ hanc in rem a nobis allata tract. de Canone, cap. XV, 7. Minor itidem ex Bellarmino plana; ut qui fatetur, LXX, antequam convenire potuerint in transferendo, necessum habuisse inter se conferre & disputare de re qualibet: quod utique sine singulari labore ac industria fieri non potuit. Unde & Hieronymus, epist. CIII, sive præfatione in Pentateuchum, observat, quod Aristæas & Iosephus interpretes illos, *in una basilica congregatos, CONTULISSE scribant, non PROPHETASSE.* Adde, quod narrat Philo, Seniores illos, considerantes apud se, *quantum opus esset*, divinas leges interpretari, cum nihil liceret vel aufferre, vel apponere, vel transponere, sed primam ideam formamque servare, observasse insulam quandam sibi opportunam, ibidemque mansisse, quod hunc locum judicarent omnium esse optimum.

Resp. ad arg. 1 Bell. pro auctoritate Versionis 70viralis.

VI. Quæ pro sententia sua firmanda Cardinalis affert, parum habent roboris. Provocat nimirum primo ad testimonium Aristæi, Philonis, Josephi, Iustini, Irenæi, Eusebii, Clementis Alexandrini, Epiphanii, Chrysostomi, Cyrilli, Tertulliani, Augustini, Hilarii, ceterorum omnium, ipsiusque adeo Hieronymi.

VII. Verum utut prisci Doctores plerique, Spiritum

ritum ſanctum peculiari quodam modo LXX Interpretibus adſtitiſſe affirment, *more* tamen *ſcriptorum canonicorum* ab eodem illos fuiſſe actos non ajunt. Quin potius Auguſtinus, qui alias præ reliquis Patribus extollere hanc translationem ſatagit, epiſtola XIX, ad Hieronymum, *Ego*, ait, *ſolis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam. — Alios autem ita lego, ut, quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili*(proba ac firma) *ratione, quod a vero non abhorreat, perſvadere potuerunt.* Quod ſi ita, ſi inquam, SOLOS librorum canonicorum AUCTORES & CONSCRIPTORES ab errandi periculo immunes credidit Auguſtinus, non potuit certe infallibilitatem tribuiſſe LXX Senioribus, ut qui non auctores fuere & conſcriptores librorum canonicorum, ſed eorumdem ſolummodo translatores. Ac notentur amplius, quæ eodem loco habet venerabilis Doctor: *Si aliquid in eis offendero literis* (ſacris canonicis) *quod videtur contrarium veritati, nihil aliud, quam, vel mendoſum eſſe codicem, vel INTERPRETEM NON ASSEQUUTUM ESSE QUOD DICTUM EST, vel me minime intellexiſſe, non ambigam.* Quinam, obſecro illi erant interpretes, de quibus ſuſpicari potuit Auguſtinus, aliquando non fuiſſe aſſecutos quod dictum eſt, puta in fonte? annon utebatur etiam verſione Græca τῶν LXX? Ergo & hos potuiſſe in transferendo aberrare credidit.

IIX. Ad Hieronymum quod attinet, tantum abeſt, *Hieronymi*

Sententia de 70. Interpp.

abest, ut ille ἀναμαρτησίαν in vertendo τοῖς ἑβδομήκοντα tribuat, ut potius, humano eos more translationem suam adornasse, non semel conceptis quasi verbis asseveret. Sane Epistola CIII, ad Desiderium, sive præfatione in Pentateuchum, totus in eo est ut hoc ostendat. Responsurus videlicet ibi obtrectatoribus, qui ipsum, de Hebræo in Latinam linguam Scripturæ libros transfundentem, in LXX interpretum sugillationem nova pro veteribus cudere cavillabantur, primum urget, quod multa prætermiserint in sua versione LXX, quæ extent in Hebræo: cujus, inquit, *causas* ERRORIS *non est meum exponere.* Cum vero opponi posse animadverteret, quod pro divina & infallibili illorum translatorum auctoritate afferri solet de cellulis miraculum; *Nescio*, ait, *quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit, quibus divisi, eadem scriptitarint: cum Aristeus, Ptolomæi ὑπερασπιστής, & multo post tempore Josephus, nihil tale retulerint, sed in una basilica congregatos* CONTULISSE *scribant, non* PROPHETASSE. *Aliud est enim*, inquit, VATEM, *aliud est, esse* INTERPRETEM. *Ibi Spiritus ventura prædicit; hic* ERUDITIO *& verborum copia* EA QUÆ INTELLIGIT, *transfert. Nisi putandus est Tullius Oeconomicon Xenophontis, & Platonis Protagoram, & Demosthenis pro Ctesiphonte, afflatus Rhetorico spiritu transtulisse: aut aliter de eisdem libris per septuaginta Interpretes, aliter per Apostolos Spiritus sanctus testimonia texuit, ut, quod illi tacuerunt, hi scriptum esse mentiti sint.* & mox, de iisdem rursum Senioribus loquens, *Illi interpretati sunt*, scribit, *ante adventum Christi, &* QUOD NESCIEBANT, DUBIIS PROTULERE

SEN-

SENTENTIIS: nos vero, post passionem & resurrectionem ejus, non tam prophetiam, quam historiam scribimus. Aliter enim audita, aliter visa narrantur. QUOD MELIUS INTELLIGIMUS, MELIUS ET PROFERIMUS. Audi igitur, æmule, concludit tandem Hieronymus, *obtrectator ausculta. Non damno, non reprehendo Septuaginta, sed confidenter CUNCTIS ILLIS APOSTOLOS PRÆFERO. Per istorum os mihi CHRISTUS sonat: quos ante Prophetas inter spiritalia charismata positos lego, in* 1 Cor. 12. *quibus ultimum pene gradum interpretes tenent.* Ubi 28. ff. vides, *errorem* LXX interpretibus tribuere Hieronymum, quod nimirum omiserint in sua versione nonnulla, quæ in Hebræo codice extent, & in N. T. citentur; vides, disturbare eundem LXX cellulas, (quod etiam facit præfatione CVII, in Paralipomena) quibus potissimum alioquin superstrui solet auctoritas illorum Seniorum; vides, affirmare ipsum, quod non *prophephetarint* LXX, cum *contulisse* dicantur Aristeæ & Josepho; quod *eruditionis* adminiculo translationem suam concinnarint; quod transtulerint *quæ intellexerint*; quod quædam *nescicerint*, illaque propterea *dubiis protulerint sententiis*; quod nos in N. T. *melius intelligamus* mysteria fidei, indeque & *melius proferamus*, quam in V. T. intellexerint & protulerint LXX. Vides porro, secundũ Hieronymum, ni Spiritus sanctus a seipso dissensisse credi debeat, dum scilicet locutus per Apostolos, in V. T. scripta esse dixerit, quæ, locutus per LXX, ibidem scripta negaverit, *θεοπνευστίαν* illam stricte acceptam LXX tribui non posse. Tandem vides, non alio loco esse LXX Hieronymo, quam quo sunt interpretes, de quibus Apostolus 1

Cor. XII, 30. Quin observetur, quod eos compa- ret cum interpretibus profanis, qualis Cicero; trans- lator Oeconomici Xenophontis. Et hucusque de i- sto Hieronymi loco: quo cum confer, quæ habet idem epistola CI, ad Pammachium, de optimo gene- re interpretandi. Notans nimirum ibi, verba Oseæ XI, I. aliter a LXX in Græcum sermonem fuisse tradu- cta, quam leguntur in Hebræo, *Num omnino repudi- andi sunt*, ait, *quia istum locum, qui ad CHRISTI ma- xime pertinet sacramentum, aliter transtulerunt? an danda potius venia ut hominibus, juxta Iacobi senten- tiam, dicentis: Multa peccamus omnes; & : Si quis in verbo non offendit, iste perfectus est vir, potens refre- nare omne corpus.* Sic etiam alibi videmus eum libe- re errores & lapsus τοῖς ἑβδομήκοντα objicere. v. gr. commentans in Os. IX, 6. *Quod*, inquit, *in LXX dicitur*: Sepeliet eos Machmas; *in Hebræo non habe- tur; sed* מחמד *quod appellatur* desiderabile. *Ex quo perspicuum est, FALSOS EOS ESSE similitudine literarum* ז & ד, *& pro* Machmad, *quod omnes* desiderabile *transtulerunt, putasse* Machmas, *Ægypti civitatem.* & mox, ubi iterum pro eo quod in fonte est, ירע, LXX habent: ἐ κακωθήσεται, *errorem* id vocat *solitum.* Si- milia legas passim alibi.

Iac. 3, 2.

Locus 1 quo Hieronymum peculiarem Sp. S. assistentiam 70 tribuere putat Bell. expenditur.

IX. Sed objicit Bellarminus, Hieronymum ta- men præfatione I in Paralip. scribere, *si versio LXX integra haberetur; ut ab eis edita fuit, frustra se labo- raturum in Bibliis transferendis.*

X. Resp. Integer Hieronymi locus hic est: *Si Septuaginta interpretum pura, & ut ab eis in Græcum versa est, editio permaneret, superflue me, Chromati, Episco-*

Episcoporum sanctissime atque doctissime, impelleres, ut Hebræa volumina Latino sermone transferrem. Quod enim semel aures hominum occupaverat, & nascentis Ecclesiæ roboraverat fidem, justum erat etiam nostro silentio comprobari. Nunc vero, cum, pro varietate regionum, diversa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaque translatio corrupta sit atque violata, nostri arbitrii putas, aut e pluribus judicare, quid verum sit, aut novum opus in veteri opere cudere. Quid hinc elicies, obsecro, pro ἀναμαρτησίᾳ & auctoritate Prophetica Seniorum? Dicit Hieronymus, si translatio LXXviralis pura suo tempore extitisset, & prout a primis auctoribus fuerat profecta, noluisse se versionem Latinam ex Hebræo adornare. Addit causam: partim, quod illi Seniorum interpretationi jam assuevisset populus; partim, quod eam reverentiam meruisset editio, quæ primorum Christianorum roboraverat fidem; ut præ ceteris interpretationibus cunctis in Ecclesia obtineret. Quod ideo versionem aliam concinnare noluisset, quia illa τῶν LXX interpretatio genuina viros Propheticos & falli nescios habuerit auctores, id nullo verbo innuit.

XI. Porro urget Cardinalis, quod idem Hieronymus Præfatione II in Paralipomena dicat, *Septuaginta interpretes, Spiritu sancto plenos, quæ vera sunt transtulisse.* *Consideratur locus 2.*

XII. Ceterum nec inde, Prophetico more eos scripsisse, colligendum. Nam & Gaudentius, v. g. Brixiensis Episcopus, tractatu de ordinatione sua, de Ambrosio, qui tum aderat, *Loquetur*, inquit, *SPIRITU SANCTO, Quo PLENUS est, & flumina de ventre*

ejus fluent aquæ vivæ. Ac solent alias quoque Patres Ecclesiæ vetusti has similesque phrases: *a Spiritu sancto suggeri, dici, dictari, inspirari*, significatu interdum capere adeo laxo, ut de iis etiam, quos ex speciali θεοπνευστία scripsisse non credunt, illas usurpent. Videsis quæ hanc in rem notavimus Tractatu de Canone, capite IIX, 6.

Perpenditur locus 3. XIII. Tandem & illud Bellarminus opponit, quod Hieronymus in Apologia contra Ruffinum libro II affirmet, *se nunquam LXX interpretibus detrahere voluisse.*

XIV. Sed an inde sequitur, eum divinam ipsorum translationi auctoritatem tribuisse? Certe in hac ipsa, ad quam Cardinalis provocat, Apologia cuncta verbotenus repetit probatque Hieronymus, quæ præfatione sua in Pentateuchum de versione LXXvirali asseveraverat, supra in considerationē vocata. quibus tantum abest ut ἀναμαρτησίαν translationi huic adscribat, ut potius contrarium inde pateat manifesto. Protestatur in Apologia anti-Ruffiniana Hieronymus, se non (ut criminabantur ejus obtrectatores) *in Septuaginta condemnationem Scripturas sanctas interpretatum,* nec eosdem *mordere & sugillare;* addit tamen diserte, non tantam ipsorum esse auctoritatem, quanta Apostolorum; hosque & Evangelistas Hebræum textum sequi, non Græcum, quoties ab illo iste discrepat; quin ipsum Dominum atque Salvatorem, ubicumque Veteris Scripturæ meminit, de Hebraïcis voluminibus ponere exempla.

Responsio ad argumen- XV. Ex qua ipsa Hieronymi assertione, quæ sub finem Apologiæ habetur, simul responsio patere potest

teſt ad argumentum Bellarmini ſecundum, quod pro *αὐθεντίᾳ* translationis LXXviralis urget; inde videlicet petitum, *quod Apoſtoli hac verſione frequenter utantur, ut ex eorum citationibus pateat.* Si enim ideo dicta translatione in citationibus ſuis uterentur Apoſtoli, quod divinæ illam auctoritatis eſſe credant, cur non ſemper & ubique ea uterentur? Id vero nequaquam fieri, teſtis eſt Hieronymus, eo ipſo, de quo jamjam agebamus, loco. Sed dabimus illum nunc integrum. *Apoſtolici viri*, inquit, *Scripturis utuntur Hebraicis: ipſos Apoſtolos & Evangeliſtas hoc feciſſe perſpicuum eſt. Dominus atq; Salvator, ubicunq; Veteris Scripturæ meminit, de Hebraicis voluminibus ponit exempla; ut eſt illud*: Qui credit in me, ſicut Scriptura dicit, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. *& in ipſa cruce*: אלי אלי למה עזבתני Eli, Eli, lamma azavtani *quod interpretatur*: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti? *non, ut à Septuaginta poſitum eſt*, Deus meus, Deus meus, reſpice in me; quare me dereliquiſti? *& multa his ſimilia. Nec hoc dicimus, quod Septuaginta interpretes ſugillemus; ſed quod Apoſtolorum & Chriſti major ſit auctoritas; & ubicunque Septuaginta ab Hebræo non diſcordant, ibi Apoſtolos de interpretatione eorum exempla ſumpſiſſe; ubi vero diſcrepant, id poſuiſſe in Græco, quod apud Hebræos didicerant.* Confer epiſtolam CI, ad Pammachium, de optimo genere interpretandi, epiſt. CLI, ad Algaſiam, quæſt. II, præfationem CVII, quæ eſt prior in Paralipomena, præfationem CIX, in Eſdram & Nehemiam, præfationem in lib. XV & XVI Commentariorum Eſaiæ, procœmium Quæſtionum Hebraicarum in Geneſin, Comment.

Tom. Bell. ?

Ioh. 7, 38.

Pſal. 22, 2.

ment. in Malach. III. 3. Non ergo propterea versione τῶν LXX in citatione V. T. usi sunt Apostoli, quod pro θεοπνεύστῳ illam habuerint, sed ut accommodarent se iis, quos instruendos susceperant. Cum enim Græce scriberent, facile usi sunt ea editione quæ tum *sola* Græcis erat cognita.

Resp. ad Bell. arg. 3. XVI. Tertium Bellarmini argumentum, si in justa forma proponatur, hoc est:

Quam interpretationem Catholica Ecclesia multis seculis secuta fuit, illa authentica est & θεόπνευστος.

Atqui interpretationem LXXviralem Catholica Ecclesia multis seculis secuta fuit.

Ergo interpretatio illa authentica est & θεόπνευστος.

XVII. Resp. Majorem hujus argumenti non posse admitti, inde patet manifestissime, quod Catholica Ecclesia etiam secuta est interpretationem Theodotionis, saltim quantum ad Prophetam Danielem; uti passim inculcat Hieronymus. Vide inter alia ejus præfationem in Josue, Comment. ad Ezech. III, 14. Apolog. adversus Ruffinum lib. II, circa finem. Quam tamen Theodotionis versionem nemo propterea authenticam dixerit & θεόπνευστον, utpote profectam ab homine, qui primum Hæreticus fuit, ex impio nempe Marcionitarum grege, post ad Iudaismum accessit, & tum, Hebrææ linguæ notitiam nactus, Scripturis vertendis manum admovit. Unde simul patet, neque veram esse propositionem Minorem; Ecclesiam *multis seculis* secutam esse interpretationem LXXviralem, puta genuinam illam ac intemeratam. Nam, uti dixi, testatur Hieronymus, in Eccle-

Ecclesia Danielem fuisse lectum ex Theodotionis, non autem e LXX Seniorum editione. Quibus accedit, quod Origenes, versionem τῶν LXX cum Hebræo textu conferens, & non parvam discrepantiam animadvertens, Senioribus Theodotionem miscuerit, adhibitis asteriscis ac obelis, quibus & quæ minus fuerant indicabantur, & quæ superfluebant, jugulabantur; *ut*, ipsomet Bellarmino judice, *novam editionem fecisse videatur.* Quæ quidem tanta cunctorum approbatione est suscepta, ut brevi omnes Ecclesiarum bibliothecas repleverit; ceu rursum Hieronymus testatur, epistola LXXXIX, ad Augustinum. Adde, quod idem ille celeberrimus Doctor, prout Ecclesias Græcas trifariam distribuit, ita singulis suas editiones assignat, præfatione CVII, in Paralipomena; *Alexandria*, scribens, *& Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudant auctorem: Constantinopolis usque Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat; media inter has provincia Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus vulgaverunt: totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat.* Applica porro huc quæ monemus infra cap. X, 5. Ac satis tandem de versione τῶν LXX.

CAPUT VII.

DE TEXTU GRÆCO NOVI TESTAMENTI.

I.

DE auctoribus Græcæ N. T. editionis agens Bellar-

larminus, *Constat*, inquit, *Testamentum Novum Græcè scriptum esse ab iis Apostolis vel Evangelistis, quorum nomina in titulis singulorum librorum vel Epistolarum præfiguntur; exceptis duntaxat Evangelio Matthæi, & Marci, & Epistola ad Hebræos.*

De Evangelio Matthæi & Epistola ad Hebræos Hebraice scriptis.

II. Et sane Evangelium Matthæi ac Epistolam ad Hebræos sermone Hebraico primitus fuisse conscripta, veterum plerique affirmant. Neque tamen desunt, etiam ex ipsismet Pontificiis, quos in contrariam heic ire sententiam videas. Ita Martinus Martinez, Theologus Hispanus, libro I Hypotyposeon Theologicarum, capite VI, *Irenæus*, ait, *& innumeri alii autumant, Matthæi Evangelium Ebraice fuisse scriptum: Epistolam quoq; ad Ebræos Ebraico idiomate in lucem prodiisse, multi viri ingenio præstantes affirmant. Ab utrorumque judicio libenter discedere non verebor.* Similiter Stapletoni disertа vox est, in Relectione Principiorum, contr. V, art. IV; *Apostoli omnes non nisi Græce scripserunt.* & post: *Apostoli & Evangelistæ solùm Græce scripserunt.* Adde, qui itidem Hebraica lingua Evangelium Matthæi primitus editum negat, Card. Cajetanum. Ut de Erasmo nihil dicam, qui & ipse ad Matth. IIX, non sibi fieri verisimile ait, Matthæum Hebraice scripsisse.

III. Et ne temere ac sine ratione de Hebræo textu dubitare videantur hi auctores, Cajetanus urget, quod voces Hebrææ apud Matthæum occurrentes, ut *Immanuel*, cap. I, 23. *Eli*, cap. XXVII, 46. explicentur idiomate Græco; *Non poterat*, inquiens, *Hebraica editio interpretari; nec debuit ullus interpres, ut patet exemplo aliarum vocum.* uti Erasmum id movet, quod *nemo testetur,*

se vidisse ullum illius Hebraici voluminis vestigium: siquidem illud quod Nazaraeorum vocant, nec Hebraice scriptum testetur Hieronymus, sed Chaldaice, formulis duntaxat Hebraicis, inter apocrypha censeatur.

IV. Et certe quae pro αὐθεντίᾳ primo intuitu facere heic videntur testimonia, si attentius consideres, rem nullo modo conficiunt. Nempe Eusebius Histor. Eccl. lib. V, cap. X, ὁ Πάνταινος, inquit, καὶ εἰς Ἰνδοὺς ἐλθεῖν λέγεται· ἔνθα λόγος εὑρεῖν αὐτὸν προφθάσαν τὴν αὐτοῦ παρουσίαν, τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον παρά τισιν αὐτόθι τὸν Χριστὸν ἐπεγνωκόσιν· οἷς Βαρθολομαῖον, τῶν Ἀποστόλων ἕνα, κηρύξαι· αὐτοῖς τε Ἑβραίων γράμμασι, τὴν τοῦ Ματθαίου καταλεῖψαι γραφήν· ἣν καὶ σώζεσθαι εἰς τὸν δηλούμενον χρόνον. Quae ita transtulit Henricus Valesius: *Pantaenus ad Indos usque penetrasse dicitur, ibique Evangelium Matthaei, quod adventum ipsius iam praevenerat, apud quosdam* CHRISTI *notitia imbutos reperisse: quibus scilicet Bartholomaeus, unus ex duodecim Apostolis, olim, ut fama est, praedicaverat, & Evangelium Matthaei Hebraicis conscriptum literis reliquerat: quod quidem ad praedicta usque tempora servatum esse memoratur.* Ruffinus postrema Eusebii verba perperam sic accepit, quasi Pantaenus, ex India reversus, illud Matthaei Evangelium Hebraicum Alexandriam secum detulisset. Quod ipsum etiam in suo scriptorum Eccles. catalogo affirmat, ubi de Pantaeno agit, Hieronymus. At longe rectius Eusebii mentem assecutus est Nicephorus, Hebraicum illud apud Indos repertum Evangelium ἐς μακρὸν περιελθεῖν τοῦ χρόνου ἐξ πρώτως γράψαντος ἀκριβεῖς διασῶζον τοὺς χαρακτῆρας appellans, lib. IV Historiae Eccl. cap. XXXII.

 v. Enim

v. Enimvero Alexandriam ex India translatum esse Hebræum Matthæi Evangelium ut testetur Eusebius tantum abest, ut ne quidem in India repertum illud fuisse, certo affirmet. Nimirum DICITUR, ait, Pantænus Evangelium Matthæi apud Indos reperisse, FAMA EST, Bartholomæum Hebraicis conscriptum literis Evangelium hoc ibi reliquisse. Ejusmodi vero *φήμης* nihil indubitati præ se ferunt & quod exploratæ veritatis sit. Imo ne quidem, quod ad Indos umquam pervenerit Pantænus, ex Eusebii testimonio certum est. Et si pervenit, si Hebræum ibi Evangelium reperit, unde ipsi constare potuit de auctore Matthæo? Indi id dixerunt, inquies. At vero etiam Syri constanter affirmant, Marcum esse auctorem Novi Testamenti Syriaci, quod tamen pro falsissimo habet Bellarminus. Et si exemplar illud Hebraicum indubitanter fuit Matthæi auctoris, cur, saltem postquam a Pantæno repertum, & (quod Rufinus ac Hieronymus addunt) Alexandriam translatum est, nemo plane Catholicorum eo usus fuit pro authentico, ne ipse quidem Hieronymus?

vi. Nec minus mirum, si in Bibliotheca, quæ Pamphili martyris cura apparata est, Cæsariensi *γνήσιον* extitit Hebraicum Matthæi Evangelium, ut memorat catalogus scriptorum, de Matthæo agens, Hieronymianus, quod ne verbo quidem de eo mentionem fecisset Eusebius, Cæsariensis Episcopus, idemque Pamphili intimus; qui tamen sæpius editionis Hebrææ meminit, & ne illud quidem annotare prætermisit, utut fama tantummodo acceptum, quod in India Pantænus eam repererit, ceu paulo ante *dicebamus*?

bamus? Quæras item merito: num exemplar istud Cæsariense ejusdem fuerit notæ cum eo quod habebant Nazaræi, an minus? Certe si fuit, Matthæo tribui non potest. Nazaræorum quippe editionem a textu Græco, quem pro θεοπνεύστῳ & authentico Ecclesia semper habuit, in multis dissidere, ipse passim annotat Hieronymus: ut commentario in Matth. XII, 5, 13, XXVII, 16. Ephes. v, 4. catalogo item Scriptorum ecclesiasticorum, in Ignatio. Unde ab ipsismet etiam Pontificiis in apocryphorum classem refertur, v.g. a Baronio, ad ann. XLI, 19. qui & absolute Nazarenorum Evangelium vocat, ad ann. XXXII, 4. Si non fuit, an ergo commatis probatioris? Utique vero simile non est, Hieronymum in Nazaræorum editione ex Hebræo vertenda maluisse operam ponere (quod fecisse se testatur ad Matth. XII, 13. & libro de Scriptoribus, locis proxime citatis) quam in Cæsariensi, si majoris hæc auctoritatis fuisset ac fidei.

VII. Patrum antiquorum testimonia non temere rejicienda fateor. Sed tamen & hoc considerandum, primum testem, qui pro Hebræo Matthæi Evangelio laudatur, esse Papiam, auctorem futilissimum, & qui, cum omnes traditionum fabellas mirifice amplecteretur, scriptisque mandaret, multis aliis Ecclesiæ Doctoribus, vetustate viri captis, errandi occasionem dedit; uti refert Eusebius libro III Historiæ Eccl. cap. ultimo. Et quis nescit, in talibus gravissimos etiam ex ultima antiquitate Patres, & ipsos hallucinari nonnunquam, & aliis item magnis viris, ut a vero aberrent, auctores fieri? Exemplo sit Justinus Martyr, scriptor ille, ut Tatiano

audit, θαυμασιώτατ@. Refert is in Parænesi ad Gentes, ubi de LXX illis divini Codicis Translatoribus agit, singulos interpretes singulis inclusos fuisse cellulis, & a singulis seorsum totam Veteris Testamenti Scripturam iisdem verbis esse redditam: seque oculis suis cellularum istarum vestigia prope Alexandriam vidisse. Iustinum heic secutos esse multos, posteriorum temporum Doctores ecclesiasticos, Irenæum puta, Cyrillum Jerosolymitanum, Clementem Alexandrinum, Augustinum, agnoscit Bellarminus supra capite VI. ubi vero tantum abest, ut propterea recte se habeat isthæc traditio, ut potius aperte illam rideat, præfatus in Pentateuchum, Hieronymus, *Nescio*, scribens, *quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo exstruxerit*; ipseque Bellarminus, quod pro fabula a Judæis conficta eam habeat, his aperte verbis profiteatur, l. c. *Quod Justino, Judæi fabulam à se confictam persuaserint, & quasdam ruinas ostendentes, cellulas esse dixerint septuaginta interpretum, facilè fieri potuit; nec minus facilè, ut Justino viro sancto, fidem tribuerint aliqui posteriores.* Sed de Matthæi Evangelio satis.

De Evangelio Marci Latino. IIX. Quod porro ad Marci Evangelium Latine originaliter scriptum attinet, de eo profundum est in universa antiquitate silentium. Quod enim ad Damasi Pontificale Bellarminus provocat, ipsemet sibi respondeat ex opusculo de Scriptoribus Ecclesiasticis; ubi diserte, *Liber ille*, inquit, *est Anastasii Bibliothecarii, non Damasi, ut notum est.* Anastasio autem huic, scriptori noni seculi, opponimus duo illa antiquitatis lumina, Hieronymum & Augustinum: quorum

ad ann. 367. & 858.

rum ille, præfatione cxxiii, in quatuor Evangelia, ad Damasum, *De Novo*, ait, *nunc loquor Testamento, quod Græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthæo*: iste libro i de Consensu Evangelistarum cap. ii: *Horum sane quatuor solus Matthæus Hebræo scripsisse perhibetur eloquio, ceteri Græco.* Imo hanc constantissimam apud omnes veteres opinionem esse, agnoscit Jesuita celeberrimus, Iohannes Maldonatus, Commentar. in Matthæum prolegom. cap. v. Unde Cardd. Bellarmini & Baronii de Latino Marci Evangelio sententiam rejicit ex ipsis Pontificiis Ludovicus de Tena, libro iii Isagog. diffic. vi; & Martinez, loco paulo ante citato, errorem notat in Ioanne Cantacuzeno, (illo, qui, factus ex Imperatore Græco Monachus, iv pro fide Christiana Apologias ad Sampsaten Isphachanen Persam edidit) quod in Apologia iv Evangelium Marci Latine fuisse scriptum affirmet. Porro Sixtus etiam Senensis, libro i Bibliothecæ, de Marco testatur, quod, *rogatus Romæ a fratribus, juxta id quod Petrum referentem audierat, breve* GRÆCO SERMONE *scripserit Evangelium.* Idem statuunt Laur. Valla, & Card. Cajetanus, nec non Stapletonus, dum *omnes* Apostolos Græce scripsisse ait, loco paulo ante laudato; ac Iac. Ledesma, quando tractat. de Scriptura in linguas vulgares non transferenda, *Constat*, inquit, *Apostolos Græce tantum aut Hebraice Evangelium conscripsisse.* Sed & Menochius, præfatione Annotat. in Biblia, cap. ix, fatetur, non esse certissimum, quod Latine Evangelium suum Romæ Marcus ediderit, cum Romani Græcæ linguæ studiosi fuerint, ut nunc plerique Latinæ. Adde Benedictum Justi-

Justinianum, qui commentans in 1 Cor. x, 15. ostendit, quod *penitus nullo argumento nitantur ii, qui idcirco putant, Marcum Latine Evangelium scripsisse, quia voces Latinæ in eo leguntur*; (ut videlicet Baronius, ad annum XLV, 41.) cum *isto modo Latine scripserint Matthæus, Marcus, Johannes, Paulus*. Nec videtur ipse Bellarminus alibi huic opinioni multum tribuere. Nam infra cap. XV, §. *Probatur secundo*, ita loquitur: *Apostoli scripserunt tantum Hebraice, aut Græce, &, ut QUIDAM VOLUNT, Latine. SUNT ENIM QUI EXISTIMENT, Marci Evangelium Latine scriptum Romæ ab ipso Marco.* Ubi certe nihil affirmare audet; sed tantummodo, quid aliis nonnullis videatur, recenset. Quanto autem modestior in hac quæstione & timidior Bellarminus, tanto impudentior est ac audacior ejus Apologeta Gretserus. Ubi enim urserat Hunnius, si unquam extitisset Evangelium Marci Latine ab ipso auctore scriptum, non permissuram fuisse Ecclesiam primitivam, ut interiret, sed, tamquam textum authenticum, majori cura id asservaturam quam editionem Græcam: ubi,
col. 497. inquam, ita noster ille, *Unde compertum Hunnio*, ait Gretserus, *primigenium Latinum exemplar penitus interiisse? Certè non desunt qui affirment, asservari Venetiis inter S. Marci cimelia, ut notat Genebrardus & Baronius.* Non erubescit, ecce, ad exemplar Latinum primigenium, quod Venetiis asservari credat qui cerebrum gerit in calcaneo, provocare audacissimus Bellarmini hyperaspistes, cum ipsiusmet Bellarmini aperta sit & rotunda confessio, loco jamjam citato: *Nullum exstat vestigium ullius scripti Apostolici, nisi Græce.*

IX. Quan-

IX. Quantumvis autem, ut ante memoravimus, Evangelium Matthæi & Marci, Epistolam item ad Hebræos, Græca lingua originaliter scripta esse heic neget Bellarminus, (etsi de Epistola ad Hebræos dubitanter mox loquitur, *AB IPSO PAULO GRÆCE SCRIPTAM esse* ajens, *vel certe ab Apostolico aliquo viro ex Hebraico sermone in Græcum esse translatam*) concedit tamen asseveratque diserte, quod *Græca editio Testamenti Novi* UNIVERSA *Apostolos & Evangelistas auctores habeat*, indeque *summæ sit auctoritatis.* Atque ita Collega suo Baronio consideratior est; qui, de Evangelio Matthæi loquens, ad annum XXXIV, 172. *Dico*, inquit, *quod, Græcus textus cujus fidei sit, nisi collato cum Hebræo originali, affirmare non possumus.* Quam absurdam ejus assertionem erudite, ut solet, examinat Isaacus Casaubonus, exercit. XVI, 115. cujus & præcedens exercitatio XV, 12, (ubi comma 18 capitis XVI Matthæi expendit) in hanc rem videri potest.

X. Utut autem, ceu modo dicebamus, Græcam Novi Testamenti editionem summæ auctoritatis esse scribat Bellarminus, addit tamen e vestigio quandam veluti ἐπανόρθωσιν, *nisi forte constet*, inquiens, *eam esse corruptam.* & pergit: *De qua re ita sentiendum censeo, ut supra de Hebraicis diximus; videlicet, non esse Græcos codices corruptos generaliter, nec tamen esse fontes purissimos, ut necessariò, quicquid ab eis dissentit, corrigendum sit, ut falsò existimant Calvinus, Major, Kemnitius, ceterique hujus temporis hæretici.* itemque paulo post docet, *quod* Codices Græci *non sint ubique incorrupti, sed aliqui interdum errores irrepserint,* *Bell. Græcum N. T. textum corruptum esse contendit.*

ſerint, ſaltem negligentia librariorum, & non ſit tutum, ſemper Latina ad Græca corrigere. Quoipſo in faciem contradicit illi ſacrorum fontium vindici dexterrimo, S. Hieronymo, ut qui epiſtola CII, ad Marcellam, Novi Fœderis textum Græcum diſerte vocat *fontem puriſſimum*, ad quem Latini codices, tanquam ad originem, revocandi; & præfatione CXXIII, in quatuor Evangelia, ad Damaſum, *De Novo*, inquit, *nunc loquor Teſtamento. — Hoc certe cum in noſtro ſermone diſcordat, & in diverſos rivulorum tramites ducit, UNO DE FONTE quærendum*: contradicit porro magno illi Doctori S. Auguſtino: qui libro II de Doctrina Chriſtiana, cap. XV, *Libros*, ait, *Novi Teſtamenti, ſi quid in latinis varietatibus titubat, Græcis cedere oportere non dubium eſt.* Confer eundem epiſtola LIX, ad Paulinum, epiſt. CIIX, ad Seleucianam, tractatu III in Johannem; contradicit *excellenti* illi *Dei diſpenſatori* (ut libro I contra Julianum Pelagianum, cap. II, eum vocat Auguſtinus) S. Ambroſio: qui libro II de Spiritu ſancto cap. VI, *Si quis*, inquit, *de Latinorum Codicum varietate contendit, quorum aliquos perfidi falſaverunt, Græcos inſpiciat codices.* Confer librum de Incarnationis ſacramento cap. IIX. contradicit denique ipſiſmet Doctoribus Pontificiis nominatiſſimis: Ludovico Vivi; cujus verba, comment. ad Auguſtini librum XIV de Civ. DEI cap. IIX: *Otioſum nimis eſſet, ut puto, multis verbis perſuadere velle, cum de ſenſu aut integritate verborum Evangelii Latini dubitatur, ad fontem ipſum recurrendum, ad Græca exemplaria, qua lingua Apoſtoli ſcripſere. Hoc Hieronymus clamat, hoc Auguſtinus hic admonet & præcipit exemplo ſuo*

suo; Thomæ Moro, qui in epistola ad Dorpium: *Ecclesia credit translationi Latinæ, sed magis archetypo. Credit Evangelium in Latinis esse verum, quatenus cum Græcis consentit.* Addesis quæ jam tum notavimus supra capite II, 3.

XI. Sed age, videamus exempla, quibus planum fieri putat Bellarminus, quod non sit tutum, semper Latina ad Græca corrigere. Primus locus, quem producit, habetur 1 Cor. XV, 47. ubi legendum esse ait cum vulgato Latino: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis*; cum tamen Græci constanter legant: ὁ δεύτερος ἄνθρωπος κύριος ἐξ οὐρανοῦ. Quam depravationem mansisse vitio scriptorum ex corruptionibus Marcionis, patere dicit ex Tertulliani libro V in Marcionem. *Locus 1. Cor. 15. 47. expenditur.*

XII. Et sane negare non ausim, Tertullianum citato loco, capite X, Marcioni objicere, quod comma illud Paulinum depravarit. Postquam enim dixerat, stultissimum hæreticum (sic appellat Marcionem) ei, quod Apostolus habet comm. 45. *novissimus Adam*, (ἔσχατος Ἀδὰμ) substituisse: *Dominus novissimus*; hancque corruptionem redarguerat; e vestigio subjungit: *Eodem modo & in nomine* HOMINIS *revincetur. Primus*, inquit, *homo de humo terrenus, secundus, Dominus de cælo. Quare secundus, si non homo, quod & primus? aut numquid & primus Dominus, si & secundus*? (ita legitur in omnibus, quas mihi quidem videre contigit, editionibus; ut mirari subeat Erbermanni oscitantiam simul ac imprudentiam, Amesium, postrema illa verba: *numquid & primus Dominus, si & secundus*? citantem, insimulantis, quod *Tertulliani verba explicantur.* *Erbermanni Anti-, p. 57.*

Tertullianum interpolare non dubitaverit) ubi nihil eum velle aliud res ipſa loquitur, quam, oppoſitionem Apoſtolicam id evincere, ut, ſiquidem in priori commatis membro mentio facta *primi* (non *Domini*, ſed) *hominis*, mentio item in membro poſteriori debeat fieri *ſecundi* (non *Domini*, ſed) *hominis*. Unde palam eſt, quando verba Apoſtoli ad eum modum Tertullianus, ceu paulo ante ex eodem recitavimus, allegat, non ex propria mente id ipſum facere, (uti quidem heic volunt nonnulli) ſed ex mente Marcionis. Et conſtat inſuper ex aliis ipſius ſcriptis, quod, eundem locum ex ſua mente cum producit, vocem *Dominus* prætermittat. Sic libro de Carne Chriſti, cap. IIX, *Legimus plane*, ait, *Primus homo de terra limo, ſecundus homo de cælo*; libro de reſurrectione carnis, cap. XLIX: *Primus, inquit* Apoſtolus, *homo de terra choicus, id eſt, limaceus, id eſt Adam*; *ſecundus homo de cælo, id eſt, ſermo DEI, id eſt Chriſtus.*

XIII. Utut autem hæc ita ſe habeant, utut, inquam, Tertullianus cenſeat, vocem *Dominus* ex Marcionis depravatione in textum Paulinum irrepſiſſe, num propterea certum id eſſe ſtatim credemus? imo vero ne probabile quidem aut veroſimile apparet, Marcionis tempore, ubi jam longe lateq; ſparſa erant ſcripta Apoſtolica, tantam potuiſſe codicum corruptionem induci, ut nec unicum tandem exemplar Græcum ab ea intaminatum manſerit. Etenim, quod Bellarminus fatetur ipſemet, codices *Græci* CONSTANTER *legunt*, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος, κύριος ἐξ οὐρανοῦ. Quomodo etiam Eraſmus ad hunc locum, *Græci*, ait, *lectionem habent a noſtra* Latina *diverſam*, *idque* CONSTANTER.

Similiter Beza. Er fane, fi lectio, quam Græci codices tam conftanter exhibent, genuina non effet, fed Marcionis depravationi originem deberet, quis crederet, illam fecuturos fuiffe Chryfoftomum, Theophylactum, Damafcenum de Orthodoxa fide libro III, cap. XII, imo ex ipfo feculo III, S. Methodium martyrem, in Catena Oecumenio tribui vulgo folita? Ut taceam, quæ itidem textum, ut in noftris hodie Codicibus is habetur, exprimunt, translationem Syriacam (de qua Francifcus Lucas Brugenfis, fcriptor apud Pontificios celeberrimus, præf. fuper N. T. comment. num VI, *Hoc teneo*, inquit, *indubitanter, Syriacum N. T. textum vetuftiffimi exemplaris Græci, & quidem exprimis, loco habendum ac venerandum effe*,) & Arabicam. Adde, quod Epiphanius, dum loca Scripturæ a Marcione corrupta recenfet, hærefi XLII, nullam omnino hujus mentionem facit de quo in præfenti agimus. Videtur proinde codex, quo ufus eft Tertullianus, pro *Dominus*, exhibuiffe *homo*, indeque nata ipfi fuiffe fufpicio, quafi Marcion, qui aliter heic legebat, textum depravaffet. Quamquam non adeo infolens in tractandis Scripturæ S. locis Tertulliani ofcitantia. Vide, fpeciminis ergo, lib. II ad Nat. cap. IIX, ubi hiftoriam Jofephi, ac lib. adverfus Iudæos cap. V, ubi hiftoriam Abelis & Caini narrat indiligentius. *Tertulliani in tractandis Scripturis ofcitantia.*

XIV. Excipit Gretferus cum Erafmo, quod *ita legant*, ut habet vulgata Latina, *Hieronymus & Ambrofius; & magis refpondeat* illa lectio *ad id quod præcesfit: de terra terrenus.* *Gretferi exceptio. col. 497.*

XV. Sed quantum ad prius exceptionis hujus mem-

membrum attinet, nihil inde concludi poteſt aliud, niſi quod exemplaria, quibus uſi Hieronymus & Ambroſius, ita legerint ut habet vulgata Latina, quodque adeo varia olim lectio hujus loci fuerit. Quantum ad poſterius, obſervari merentúr quæ heic annotat Beza, *Multo*, inquiens, *vehementior eſt antitheſis Terreni & Domini, quam Terreni & Cœleſtis: quum multi ſint res cœleſtes creatæ, Dominus autem dicatur qui ſummum in omnia imperium obtinet. Et ſi Paulus ſtatim oppoſuiſſet Terrenum Cœleſti, non emineret illa tanta qualitatum diverſitas, ſed unius tantum loci ſitus videretur ſignificari. Hoc vero ſemel explicato, tum demum licuit Cœleſtem Terreno plane ac perſpicue opponere, ut factum eſt duobus ſequentibus verſiculis.* Notetur præterea, quod Alphonſus Salmeron, Jeſuita celeberrimus, illam vulgatæ Latinæ lectionem, quam Bellarminus propugnat, hæreticis Marcionitis horumque ſimilibus favere, quin originem iis ſuam debere, aperte fateatur: idque in Commentariis, quos ipſummet Bellarminum recognoviſſe & cenſuiſſe, jam ſupra cap. 1, 4. monuimus. Adde inſuper Jeſuitam Alphonſum de Caſtro, libro IV adverſus hæreſes, tit. *Chriſtus*.

Locus 1. Cor. 7. 33. ſeq. conſideratur

XVI. Secundus locus, quem in fonte depravatum eſſe putat Bellarminus, extat 1 Cor. VII, 33. ſeq. ubi, cum vulgata Latina habeat: *Qui cum uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat, uxori, & diviſus eſt: mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt*; in Græco eſt: *ὁ γαμήσας μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσει τῇ γυναικί. μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος.* Quam lectionem improbat Cardinalis, quod Hieronymus

nymus libro 1 contra Jovinianum affirmet, non esse eam Apostolicæ veritatis.

xvii. Sed neq; hæc ponderis habent quidquam. Etenim lectionem, quam Græcus noster textus exhibet, in omnibus vetustis suis codicibus, duobus tantum exceptis, se invenisse testatur Beza: nec aliam invenerunt in suis, e quibus variantes lectiones notarunt, Anglicani operis editores: eandem firmant Græca scholia, Chrysostomus, Basilius, Theophylactus, Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Sedulius; uti Salmeron disp. xvi, Justinianus, Estius, Corn. a Lapide, ad h. l. observant & agnoscunt. Quin Hieronymus ipsemet ita legit ut Græci habent codices, epist. xxii, quæ est de Virginitate servanda, ad Eustochium, cap. ix, & libro adversus Helvidium cap. x. Quæ proinde loca duo opponimus uni illi, quem Bellarminus urget ex libro 1 contra Jovinianum, ubi pro Virginitate Hieronymus disputat: in cujus favorem *multa* ei *excidisse coacta & violenta*, ex ipsismet Pontificiis fatetur Claudius Espencæus, libro 1 de Continentia cap. ix.

xiix. Tertio Bellarminus urget, quod Rom. xii, 11. dum Latina vulgata legit: *Domino servientes*; Græci non habeant κυρίῳ, sed καιρῷ δουλεύοντες. Esse autem priorem lectionem certissimam, patere ait, tum ex Hieronymo, in epistola ad Marcellam, ubi dicat, in emendatis Græcis codicibus haberi, non καιρῷ sed κυρίῳ, tum ex Origene, Chrysostomo, Theophylacto, & aliis Græcis Patribus, qui sic legerint & explicaverint in suis commentariis. *De loco Rom. 12, 11.*

xix. Huic objectioni ut occurratur, repetenda *Quo sensu* sunt,

Integritatem textus Græci asserant Protestantes.

sunt, & heic applicanda, quæ supra capite II, 15. in quæstione de ἀφθαρσία textus Hebraice V. T. circa controversiæ statum fuerunt monita. Ut enim ibi diximus, non controverti de uno alterove codice: ita *neque hic est quæstio, vel de lectionis varietate, vel de quorundam Codicum depravatione; sed de universali quadam corruptione, quæ authenticam Græci textus autoritatem labefactet*, scribente Gerhardo nostro, libro II Confess. Catholicæ, art. I, cap. II, th. III. cui consentiens ex Reformatis Rivetus, Isagog. cap. IIX, 38. *Non dicimus*, ait, *quod affingit Bellarminus Calvino, Majori, & Chemnitio, necessario, quidquid in Latinis à codicibus Græcis dissentit, corrigendum esse; id nempe intelligentes de unoquoq; exemplari Græco: sed in eo tantum, ubi Græca omnia exemplaria, quæ in Ecclesia hactenus servata sunt, aut plura & melioris notæ, inter se consentiunt.* Nempe cum Driedone, libro II de Translationibus Scriptur. *fidem habemus nostræ ætatis Græcorum codicibus his, quos comperimus à vetustissimis suis exemplaribus non discordare: quemadmodum & ipsis olim fidem habuit Hieronymus, taxans Helvidium, stultissime sibi persuadentem, quibusdam in locis Græcorum libros fuisse falsatos.* Censemus cum Sixto Senensi, libro VII Biliothecæ sanctæ, *non licere ex particulari aliquorum Codicum depravatione inferre universalem ac generalem codicum omnium corruptionem.* Nam secundum eundem, *Evangelicæ lectionis veritas, quæ in singulis & particularibus Ecclesiæ codicibus, pro temporum ac scribentium diversitate, variata fuerat, in omnibus simul collectis exemplaribus integra semper & incorrupta permansit: ita volente Deo, ut ve-*

ut veræ lectionis integritas, quam hominum vel malitia vel negligentia corruperat in partibus, in tota saltem Ecclesiasticorum codicum universitate servaretur; ne Ecclesia Christi per aliquod tempus divinarum Scripturarum integritate careret, utq; haberent semper pii & eruditi viri, unde corrigere & emendare possent, quod aut imperitorum inscitia, aut iniquorum perfidia vitiasset, facta collatione multorum inter se exemplarium.

XX. Quibus observatis, nullo negotio ad supra propositam Bellarmini objectionem responderi potest. Nimirum monet ille, Hieronymi tempore emendatos codices habuisse κυρίῳ, observat, legisse quoque ita codices, quibus usi Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, aliique Patres Græci. Et testatur sane etiam Beza, in probatissimis quibusque codicibus vetustis hunc in modum legi. Quod item liquere potest ex variantibus lectionibus, quas operi suo πολυγλώττῳ inseruerunt Angli: qui insuper ad ipsum N. T. textum Græcum annotant, in celebri illo suo mscr. Alexandrino ita se scriptum reperisse. Exprimuntq; præterea lectionem istam versio Syriaca, Arabica, & Æthiopica. Si ergo probatissimi quique codices Græci habent κυρίῳ, aliis interim editionibus nonnullis exhibentibus καιρῷ, lectionis quidem heic diversitas est, absolutam autem textus originalis depravationem colligere inde non licet. Sufficere enim, ad ἀφθαρσίαν, qualem nos tuemur, salvandam, ut in probatis codicibus authenticis textus habeatur intemeratus, ex supra dictis liquet.

XXI. Atque ex eodem hoc fundamento ad cetera etiam, quæ præterea heic habet Bellarminus, facile *De omissis & superfluis*

Græci textus facile nunc poteſt reſponderi : quando nempe ait, in plurimis Græcis codicibus deeſſe multas veræ Scripturæ partes ; ut hiſtoriam adulteræ, Joh. IIX, ultimum caput Marci, teſtimonium pulcherrimum Trinitatis, I Ioh. V, & alia, de quibus ſupra diſſeruerit : quædam etiam in omnibus Græcis codicibus inveniri, quæ non ſint partes divinæ Scripturæ ; ut quod Matth. VI orationi Dominicæ addatur : *Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria, in ſecula.*

De adultera Ioh. 8, 3. ſeq. XXII. Ex eo videlicet, quod in *plurimis* Græcis codicibus aliquæ Scripturæ partes deſunt, nondum univerſalis textus depravatio, ſed codicum tantummodo patet varietas. Unde ad probatiora heic exemplaria recurrendum. Et ſpeciatim quidem ad adulteræ hiſtoriam quod attinet, eam in antiquiſſimis & probatiſſimis exemplaribus Græcis extare, teſtis eſt Robertus Stephanus. Annotat quoque Beza, ex vetuſtis ſuis codicibus XVII unum dumtaxat illam non habuiſſe ; in reliquis ſcriptam fuiſſe ; (ſecus ac Gretſerus heic refert, *col. 501,* notaſſe eum, *ex ſeptendecim Græcis codicibus unum dumtaxat hiſtoriam illam adulteræ habuiſſe* : cum tamen ipſemet ſupra, lib. I, cap. *col. 291,* XVI, contrarium ex Beza teſtetur) imo & Angli, cum ex quadraginta amplius vetuſtis codicibus varietates textus in opere illo ſuo πολυγλώττῳ exhibeant, non niſi unum, qui ea careret, nominarunt. Porro Franciſcus quoque Gomarus, in antiquo manuſcripto codice Evangeliorum Græco-Latino, a Georgio Douza Conſtantinopoli allato, ſibique monſtrato, eandem hiſtoriam quæſitam ſe inveniſſe memorat. Quin Hieronymus etiam, libro II adverſus Pelagianos,

In Evangelio, ait, *secundum Iohannem in multis & Græcis & Latinis codicibus invenitur de adultera muliere, quæ accusata est apud Dominum.* Sed & Maldonatus in commentario, Sixtusque Senensis libro vii Biblioth. hær. v, ad veterum codicum auctoritatem, & Ammonii Alexandrini, Athanasiii, Chrysostomi, Patrum Græcorum, testimonia heic provocant. sicut eosdem quoque Doctores hanc in rem citat Bellarminus ipsemet, libro i de Verbo Dei, cap. xvi. Quibus Jodocus Coccius, Tomo i Thesauri, art. xxi, jungit Clementem Romanum, Tatianum, & Gennadium (quem Gregorium alii vocant) Scholarium. Addi omnino debet Cyrillus Alexandrinus, qui pericopen hanc, ut revera Iohannis, sine ulla dubitationis significatione, distincte proponit, multisque explanat. Ex quibus liquet, ab ultima etiam antiquitate in codices optimos ut genuinam in Oriente historiolam illam fuisse receptam. Etenim Tatianus intra LXX ab ipsius Iohannis morte annum floruit, atque in Harmonia Evangeliorum periochen hanc e codicibus, quibus usus est, ut Johannis reliqua, expresse memorat, quemadmodum item Ammonius, qui vixit sub annum ccxx, aut circiter. Dein vero Evangeliorum secundum Harmonias istas usum in Oriente inolevisse, argumento est certissimo, quod Eusebius Cæsariensis (qui sub annum cccxx floruit) canones illos decem ex dictis Harmoniis construxerit, unde facile discerni possent, quæ in singulis Evangelistarum, quæ in tribus tantum, quæ solum in duobus, & demum quæ in unico aliquo haberentur. Atq; in decimi quidẽ canonis (in quo ea quæ unus habet) numeris ad Johan-

nem ſpectantibus, LXXXVItus pericopen hiſtoriæ, de qua agimus, indicat. Et procul dubio in codice Euſebiano ipſo, cui canones illos is primus aptavit, lecta eſt ut ſatis ex ſententia ipſius recepta, quoniam palam in Harmoniis, ſecundum quas (ut ipſe in epiſtola ad Carpianum diſerte monet) ſunt conſtructi ab eo illi canones, adeo eſt expreſſe agnita. Nec dubitare licet; quin Tatiani, Ammonii, Euſebii, editiones hujusmodi, quippe eo inſtituto ab ipſis ſuſceptæ, ut, quid revera Evangelicum eſſet, certius conſtaret, adornatæ fuerint ſecundum codices optimos, &, quos primis illis ſeculis nanciſci licuerit, ſelectisſimos; indeque exemplaribus aliis, citra ejusmodi curam editis, longe ſint præferendæ.

XXIII. Porro notetur, quod minus ſincere Bellarminus ſoli textui Græco hujus hiſtoriæ *defectum* tribuat; cum ex eo, quod *in* MULTIS *&* GRÆCIS *&* LATINIS *codicibus* illam *inveniri* ſcribit Hieronymus, liquido conſtet, deſideratam fuiſſe etiam in Latinis quibusdam exemplaribus. id quod fatetur quoque heic diſerte Maldonatus. Obſervetur & hoc, etiamſi Beza notet, non extare illam periochen apud Syrum interpretem; idque verum ſit de editionibus quas ipſe videre potuit; in quibus etiam ſecunda Epiſtola Petri, ſecunda & tertia Johannis, Epiſtola Judæ, & Apocalypſis, deſiderantur: poſtmodum tamen, uti hæc, quæ recenſuimus, partim ab Evvardo Pocoke, Anglo, partim a Lud. de Dieu edita: ita etiam adulteræ hiſtoriam Syriace fuiſſe repertam. Vide, quem citabamus, de Dieu in h. l. qui eam ex Jacobi Uſſerii, Archiepiſcopi Armachani, luculenta & orientalibus

bus libris instructissima bibliotheca se accepisse ait; unde etiam depromptam in opere suo πολυγλώττῳ exhibent Angli. Legitur quoque pericope isthæc apud Arabem, Æthiopem, ac Persam.

XXIV. Quantum porro ad ultimum caput Marci spectat, in omnibus id vetustis codicibus, quos sibi videre contigerit, invenisse se testatur Beza; neq; ex tot antiquis exemplaribus, unde variantes lectiones conquisivere, ullum nominarunt Angli, quod eo careret. Sed &, annotante Salmerone, Tomo XI, tract. XII, *Victor Antiochenus, antiquissimus Pater, in commentariis in Marcum scribit, se reperisse in emendatissimis exemplaribus pluribus, legiq; omnia in Evangelio Marci Palæstino.* quemadmodum & Maldonatus in h. l. ait, *non esse quenquam antiquum & Catholicum scriptorem, qui hujus capitis tanquam veræ legitimaque Scripturæ testimoniis uti recusaverit*; ac nominatim adducit Irenæum, Doctorem Græcum vetustissimum. Præter quem Coccius, loco jamjam laudato, allegat heic Clementem Romanum, Prochorum, Tatianum, Ammonium,& Dionysium Alexandrinos, Eusebium, Athanasium Cyrillum Ierosolymitanum, Gregorium Nyssenum, Procopium Gazæum, Anastasium Sinaitam, Damascenum, Theophylactum, Simeonem Metaphrasten, alios: qui si illud Marci caput agnoscunt, in Græcis utique codicibus ipsorum id tempore extitisse oportet. *De capite ultimo Marci.*

XXV. Sed & locum 1 Ioh. V, 7. in antiquissimis codicibus Græcis repertum fuisse, fidem faciunt quæ in prologo Epistolarum canonicarum ad Eustachium (legitur in editionibus Bibliorum vetustis, Po- *De loco 1 Ioh. 5, 7.*

ſtillam Lirani & gloſſam ordinariam una cum interlineari conjunctam exhibentibus) habet Hieronymus: *Hæ Epiſtolæ, ſi, ut ab eis* (Græcis auctoribus) *digeſtæ ſunt, ita quoque ab Interpretibus fideliter verterentur in Latinum eloquium, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec ſermonum ſeſe varietas impugnaret; illo præcipue loco, ubi de unitate Trinitatis in prima Johannis Epiſtola poſitum legimus; in quo etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum eſſe a fidei veritate comperimus, trium tantummodo vocabula, hoc eſt, aquæ, ſanguinis, & ſpiritus, in ipſa ſua editione ponentibus, & Patris, Verbique ac Spiritus teſtimonium omittentibus, in quo maxime & fides Catholica roboratur, & Patris, & Filii, & Spiritus ſancti una Divinitatis eſſentia comprobatur.* Ex quibus eruditiſſimi ſcriptoris verbis non ſolum apparet, ejus tempore locum iſtum in Græcis codicibus extitiſſe: cum alias Latinos interpretes non potuerit infidelitatis poſtulare, quod eum omiſiſſent ſed & extitiſſe communiter in omnibus codicibus: cum alioquin obvertere potuisſent interpretes, non fuiſſe eum repertum in exemplaribus quibus ipſi ſint uſi. His porro addimus, legi pericopen, de qua agimus, in editione Complutenſi; (de qua Card. Ximenius, præfatus ad Leonem x, *Id*, inquit, *aperte teſtari poſſumus, maximam laborum partem in eo præcipue fuiſſe verſatam, ut caſtigatiſſima omni ex parte vetuſtiſſimaque exemplaria pro archetypis haberemus: quorum quidem, tam Hebræorum, quam Græcorum ac Latinorum, multiplicem copiam variis ex locis non ſine ſummo labore conquiſivimus. Atque ex ipſis quidem Græca Sanctitati Tuæ debemus, qui ex Apoſtolica Bibliotheca anti-*

antiquissimos tum Vet. tum Nov. Testamenti Codices perquam humane ad nos misisti, qui nobis in hoc negotio maximo fuerunt adjumento) lectam fuisse insuper in novem antiquis codicibus Roberti Stephani, in codicibus aliquot vetustissimis unde variantes lectiones annotarunt editores operis Anglicani πολυγλώττου, in codicibus, quibus usus Hervagius, qui Græca Biblia Veteris ac Novi Test. anno superioris seculi XLV Basileæ edidit; in codicibus quos Ben. Arias Montanus in edito anno LXXI opere Regio secutus; in codicibus Laurentii Vallæ; ut qui, in suis ad hunc locum annotationibus, nullius inter Græcos codices meminit discrepantiæ, moniturus haud dubie, more suo, si quid heic diffidere comperisset. Confer Sixtum Senensem libro VII Bibliothecæ sanctæ, hæresi IX. qui plus heic dat, quam nos etiam postulamus. Observa etiam porro, non in solis Græcis exemplaribus quibusdam comma, de quo agimus, Johanneum desiderari, (quod quidem Bellarminus lectori audet persuadere) sed etiam in aliquibus codicibus vetustissimis mss. editionis vulgatæ Latinæ. Vide quæ notamus Tract. de Canone cap. XVI, 2.

De sudore Christi sanguineo, & Angelica corroboratione, Luc. 22, 43. seq. fletu item Salvatoris, ibid. c. 19, 41.

XXVI. Quæ præterea in Græcis deesse codicibus Bellarminus ait, supra a se expensa, haud dubie illa sunt, de quibus libro I de V. D. capite XVI agit, dum nempe ex Hilario, lib. X de Trinitate, & Hieronymo, libro II contra Pelagianos, quosdam in dubium vocasse refert historiam de sudore Christi sanguineo, & Angelica apparitione atque consolatione, Luc. XXII. ne videlicet Christo infirmitatem & animi dolorem tribuere viderentur. Qua etiam de causa Catho-

licos

tholicos nonnullos præpostero zelo e suis codicibus, ex illis verbis, Luc. xix, *videns civitatem flevit super illam*, abrasisse verbum, *flevit*, testetur Epiphanius in Ancorato.

xxvii. Verum quæ Cardinalis incogitantia est, obsecro, ac imprudentia, ut in Græcis magis quam in Latinis Codicibus ista defuisse affirmet? Annon Hieronymi, ad quem provocat, diserta sunt verba: *In quibusdam exemplaribus, tam Græcis quam Latinis, invenitur, scribente Luca: Apparuit illi angelus de cælo, confortans eum?* Si hinc recte colligitur, quod in quibusdam exemplaribus Græcis Hieronymi tempore ista defuerint, quidni æque recte inde elicias, defuisse in quibusdam etiam Latinis? Porro a quibusdam codicibus minus recte se habentibus ad universalem textus corruptionem, de qua heic sermo, perperam concluditur.

De Verbis Matth. 6, 18. xxIIx. Tandem quod ad clausulam orationis Dominicæ, Matth. vi, 13. attinet, cur addita potius ea Græcis codicibus censeri debeat, quam detracta Latinis? quod posterius Laurentio Vallæ visum. Reperit sane eandem in codice, qui, unico tantum excepto, inter omnes ipsius codices antiquissimus erat, Rob. Stephanus: nec fuere inter tot vetustissima exempla, unde variantes lectiones notarunt Angli, nisi tria duntaxat, in quibus abesset. Unde & Hier. Emserus in glossis ad N. T. Germanicum absolute de Græco textu affirmat, quod epilogum isthunc agnoscat. Habent quoque Syrus, Æthiops, ac Persa. Quod Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, dum Orationem Dominicam exponunt, nullam horum

horum verborum mentionem faciunt, indè nihil aliud licet concludere, quam, vel secutos eos heic esse textum Latinum; vel, si Græcum, aliquot exemplaria clausulam istam olim non habuisse, & sic variasse codices. Nam quod in aliis lecta fuerit, patet tum ex jam dictis, tum præterea ex Chrysostomo, Theophylacto, & Euthymio, qui interpretantur.

XXIX. At, dicit Bellarminus, Græci in sua Liturgia recitant quidem hæc verba: sed non continuant cum oratione Dominica. Inde vero, inquã ego, non magis sequitur, Dominicæ orationis partem illa haud esse, quam ex eo; quod v. g. Ministro Ecclesiæ dicenti: *Invoca me in die tribulationis*; Chorus respondet: *Eruam te, & honorificabis me*; colligere licet, posteriora illa verba, quippe haud continuata a Ministro cum præcedentibus, non esse partem Psalmi quinquagesimi. Adde, ne quidem verum esse, quod Græci Dominicæ orationis epilogum a præcedentibus semper divellant. Etenim in Basilii Anaphora, (quam ex vetustissimo codice Syriaco Latine edidit Andreas Masius, quæque extat in Bibliotheca Patrum, Tom. VI, editionis Parisiensis, ann. clↃ Iↄ CLIV) sic legitur προσφερητικῶς ejus orationis finis: *Domine Deus & Servator noster, ne inducas nos in tentationes difficiles, aut necessitates amaras: nec inducas nos in laqueos adversarii hostiumq; animarum nostrarum: neque destituas nos, ut incidamus in manus aspectabilium grassatorum, & qui vitam nostram lædere cupiant: sed libera nos ab omnibus tentationibus, occultis & manifestis, cunctis diebus vitæ nostræ: atque exime nos ab omnibus malis, quæ propter iniquitatem nostram incurrunt in nos. Quia tuum est*

M regnum,

regnum, & unigeniti filii tui, ac sanctissimi tui Spiritus boni, adorandi, vitam largientis, & tibi in substantia æqualis, nunc, & semper, & in secula seculorum.

Gretseri conjectura; col. 501.

XXX. Gretserus cum Maldonato & Erasmo conjectat, irrepsisse verba, de quibus agimus, in textum sacrum ex more Græcorum; quibus, cum preces terminare soleant aliqua laudatione DEI, (quomodo Psalmis addiderint illud: *Gloria Patri*; salutationi Angelicæ istud: ὅτι σὺ ἔτεκες τὸν σωτῆρα ἡμῶν, *quia tu peperisti Salvatorem nostrum*; & sermones suos ad populum plerumque finiant illis verbis doxologicis: ὅτι σοί ἐστι κράτος, καὶ δόξα, καὶ βασιλεία) simili doxologia orationem Dominicam claudere visum sit, quæ postea, incuria hominum, ipsum textum occuparit. Unde perinde facere ait hæreticos, cum hæc verba partem sacræ Scripturæ esse contendant, ac si contenderent, illam doxologiam: *Gloria Patri & Filio*, esse partem Psalmorum, quia terminet Psalmos.

Refellitur.

XXXI. Sed si conjecturis agere heic licet, quidni vero sit similius, contextam orationis Dominicæ ansam præbuisse isti Græcorum consuetudini, quam morem hunc dedisse originem illi contextui? Certe absurdi nihil habebit, si dixeris, Græcos, quod a CHRISTO ipso viderint orationem tam solennem doxologia conclusam, putasse, non inutiliter & reliquas omnes similirer claudi. At irrepsisse in textum Scripturæ istam coronidem ex dicta consuetudine, quam parum probabile sit, agnoscet, opinor, qui consideraverit, etiamsi in publicis privatisque pietatis exercitiis Psalmos & Angelicam salutationem doxologiis finiant Græci, has tamen textui Biblico nusquam invenir

venir

veniri apud eos additas: Id enim cur aliter factum esset in Oratione Dominica? Atque hinc simul patet, quam frivolum sit, quod ait Gretserus, perinde facere hæreticos (sic pro modestia Jesuitica loquitur) cum verba, de quibus agitur, partem Scripturæ esse contendunt, ac si contenderent, illam doxologiam: *Gloria Patri & Filio*, esse partem Psalmorum, quos terminat. Qui enim par eorum sit ratio; cum controversa ista verba in ipso Scripuræ textu originali inveniantur, altera vero illa doxologica nequaquam?

CAPUT IIX.

DE LATINIS TRANSLATIONIBUS GENERATIM.

I.

DE Latinis Scripturæ editionibus generatim agens Bellarminus, ubi recitasset illa Augustini, ex libro II de Doctrina Christiana cap. XI: *Qui Scripturas ex Hebræa lingua in Græcam verterunt linguam, numerari possunt, Latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibimet utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari*; subjungit paulo post: *Hoc nostro seculo iterum ad illam ætatem rediisse videmur, in qua omnes, qui aliquid poterant, continuo sacros libros transferebant: siquidem recentiorum, ac præsertim hæreticorum, Latinæ interpretationes numerari vix possunt.* Quibus verbis ut Cardinalis recentiorum, eorum præsertim qui cum

Bell. sugillat recentiorum Scripturas in linguam Lat. transferendi studium.

Romana ecclesia non faciunt, impensam translationi Biblicæ industriam sugillat: ita propugnator ejus Gretserus peculiari tractatu, defensioni libri Bellarminiani de variis Scripturæ editionibus subjuncto, novorum Interpretum versiones haudquaquam tolerandas esse, sed omnino contemnendas & rejiciendas, lectoribus suis persvadere nititur.

Usus diversarum Scriptura Versionum. 11. Verum longe aliter de variis sui temporis translationibus Latinis olim judicavit Augustinus. Cum enim scripsisset, quæ Bellarminus ex eo citat, statim subjungit: *Quæ quidem res plus adjuvit intelligentiam, quam impedivit, si modo legentes non sint negligentes. Nam nonnullas obscuriores sententias plurium codicum sæpe manifestavit inspectio. Sicut illud Esaiæ Prophetæ unus interpres ait:* Et carnem tuam ne despexeris; *alius*: Et domesticos seminis tui ne despexeris. *Uterque sibimet invicem attestatur. Namque alter ex altero exponitur. Quia &* caro *posset accipi proprie, ut, corpus suum quisq; ne despiceret, se putaret admonitum; &* domestici seminis *translate Christiani possent intelligi, ex eodem verbi semine nobiscum spiritualiter nati. Nunc autem, collato Interpretum sensu probabilior occurrit sententia, proprie de consanguineis non despiciendis esse præceptum, quoniam,* domesticos seminis *quum ad* carnem *retuleris, consanguinei potissimum occurrunt. Item aliud ejusdem Esaiæ Prophetæ:* Nisi credideritis, non intelligetis; *alius interpretatus est:* Nisi credideritis, non permanebitis. *Quis horum vera sequutus sit, nisi exemplaria linguæ præcedentis legantur, incertum est. Sed tamen ex utroq; magnum aliquid insinuatur scienter legentibus. Difficile est,*

V. 58, 7. *cap. 7, 9.*

est enim, ita diversos a se interpretes fieri, ut non se aliqua vicinitate contingant. Ita de utilitate diversarum translationum Augustinus. Quæ de recentioribus non minus quam priscis versionibus valere, in propatulo est.

III. Interim nequaquam eorum probamus temeritatem, qui vel illotis manibus rem tantam aggrediuntur, & idoneis necessariisque adminiculis non satis instructi, Scripturas e fontibus in alias linguas traducendi provinciam sibi imponunt; vel eam sibi in vertendo sumunt licentiam, ut *pro arbitrio suo vel addant vel subtrahant quod videtur*: de cujusmodi perversoribus verius quam conversoribus Hieronymus queritur, præfat. in Josue.

CAPUT IX.

DE AUCTORE VERSIONIS VULGATÆ LATINÆ.

I.

NOn parvam esse quæstionem, ait Bellarminus, de vulgata Latina editione, sitne illa antiqua, quæ erat ante Hieronymum, an vero ipsius Hieronymi, an mixta ex utraque. Non esse Hieronymi, arbitrari, vel certe suspicari, Sancten Pagninum & Paulum Foro-Semproniensem Episcopum: contra, esse Hieronymi, contendere Augustinum Eugubinum, & Joannem Picum Mirandulanum, in libris hac de re editis, aliosque nonnullos: at mixtam esse ex vetere & nova, docere Joannem Driedonem & Sixtum Senensem.

An inter Pontificios sint, qui Vulgatam totam tribuant Hieronymo.

II. Quæ quidem si observasset Ebermannus, non ita inconsiderate scripsisset: *Quis Catholicorum Vulgatam totam tribuit S. Hieronymo?* nec Amesium *splendidissimi* postulasset *mendacii*, quod hujusmodi quid de Pontificiis affirmet. Habebit enim, opinor, Erbermannns Eugubinum & Picum pro Catholicis, id est, Papistis. Et quid? annon ipse mox Erbermannus ex Sfortia Card. Pallavicino, pro auctoritate Latinæ vulgatæ, in sua Tridentini Concilii historia, Petro Soave Polano, sive Paulo Sarpio Veneto, opposita, disputante, laudat hæc verba: *Quis arroget sibi majorem notitiam linguarum* Hebrææ & Græcæ, *majusque judicium, & correctiora exemplaria, quàm habuerit S. Hieronymus: qui vel author, vel, ut aliqui malunt, emendator extitit nostra Vulgata?* Quibus utique manifesto indicat Cardinalis, secundum aliquos Pontificios Hieronymum esse auctorem translationis vulgatæ, & quidem totius. Neque enim de parte aliqua Vulgatæ ibi agit, sed de versione tota, ut in aprico.

p. 35

p. 61. 62.

Bell. sententia de auctore Versionis Vulgata.

III. Suam ipsius sententiam Bellarminus quatuor propositionibus complectitur. Prima est: *Testamentum Novum Latinum editionis vulgata ex antiqua versione habemus, quam tamen B. Hieronymus emendavit.* Secunda: *Psalterium vulgata editionis Latina non est illud, quod D. Hieronymus transtulit ex Hebrao, neque illud, quod transtulit ex versione Graca* LXX *Interpretum; sed illud, quod ipse emendavit, translatum ab antiquo Interprete ex editione S. Luciani Martyris.* Tertia: *Probabile nobis est, librorum Sapientia, & Ecclesiastici, & Machabaorum, nos non habere ex versione Hieronymi, sed ex antiqua translatione, cujus auctor ignoratur*

ratur. Quarta: *Reliqua omnia ex Hieronymi versione ex Hebræo habemus in editione vulgata.*

IV. Verum quod ad vulgatam Testamenti Novi translationem attinet, non videtur hæc eadem illa esse per omnia, quam Hieronymus emendavit; cum passim in ipsa legantur quæ in commentariis suis corrigit aliterq; vertenda monet laudatus Pater. Nec sufficit dicere cum Bellarmino, fateri ipsummet Hieronymum, præfatione Evangeliorum ad Damasum, se non omnia correxisse quæ corrigenda esse putabat, ne nimis multa immutasse videretur. Diserte enim ibi ait sanctus Doctor, se correxisse ea, *quæ sensum videbantur mutare.* Jam vero, annon in ipso illo exemplo, quod Cardinalis affert, mutatur sensus, quando scilicet pro eo, quod Vulgata hodierna habet, 1 Cor. XIII, 3. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam*; legi vult Hieronymus: *ita ut glorier?* Mitto similia plurima. Unde ipse mox Bellarminus aliter isti difficultati occurrendum censet; posse fieri, inquiens, ut, dum sua in Epistolam ad Galatas, Ephesios, Titum, commentaria (in quibus passim reprehendit & corrigit vulgatam Latinam) Hieronymus scriberet, existimaret illa esse mutanda, quæ tamen postea, cum Testamentum Novum susciperet emendandum, re melius considerata, judicaverit non esse mutanda. Nam quod prius scripserit ista commentaria, quam Testamentum Novum emendaverit, colligi ex libro de viris illustribus. Sed neque hæc aliquid habent roboris; cum hypothesis, qua nituntur, scripsisse videlicet Hieronymum prius sua illa commentaria, quam Novum Testamentum emendaverit, nullo modo

Examen. De Novo Testamento.

certa

certa sit. Quod enim ex libro de Viris illustribus hoc colligi dicit Cardinalis, id quo pacto ostendet? Num inde forsan, quod, dum opera sua & lucubrationes ibi enumerat doctissimus Pater, Testamenti Novi emendationem postponit commentariis in memoratas Pauli Epistolas? Atqui hac ratione dicendum foret, etiam commentarios illos in Prophetas, quos sub manibus se habuisse ait Hieronymus, & necdum fuisse expletos quando suum de Scriptoribus catalogum concinnavit, prius fuisse ab eodem editos quam v. c. libros adversus Jovianum, (jamtum illo tempore emissos) quia nempe & hos istis dicto loco postponit. Quod autem Bellarminus urget, multa loca, quæ Hieronymus reprehendit in antiqua Testamenti Novi versione, in Vulgata hodierna inveniri ita correcta, ut ipse affirmet esse corrigenda; inde non evincitur, Vulgatam istam esse puram Hieronymianam; sed, non esse forsan omnino aliam ab Hieronymiana, verum *mixtam quandam editionem, partim ex veteri vulgata editione, partim ex nova quadam Hieronymi castigatione in Novum Testamentum, collecta*: quæ est sententia Sixti Senensis, libro VII Bibliothecæ sanctæ, hæresi I. Confer infra num IIX.

De Psalterio. V. De Psalterio editionis vulgatæ Latinæ Bellarminus affirmat, ut vidimus, non esse illud quod Hieronymus transtulit ex Hebræo, neque illud quod transtulit ex versione Græca LXX Interpretum; sed illud quod ipse emendavit, translatum ab antiquo Interprete ex editione S. Luciani Martyris, sive Græca illa communi & vulgata.

VI. Verum si hæc ita se habeant, quid igitur Cardi-

Cardinalis capite mox sequenti XIII, tum quoque in commentariis suis in Psalmos, (vide inter alia quæ notat ad Ps. II, 6.) toties ponit tamquam omnino certum, haberi Psalterium vulgatæ Latinæ ex versione τῶν LXX, quando videlicet loca in Psalmis a Vulgato male reddita eo excusat, quod interpres iste secutus sit LXX, qui sine dubio habuerint codices Hebræos accuratissimos, in quibus aliter interdum videatur fuisse lectum, quam in nostris hodie legitur; quique aliis omnibus interpretibus anteponendi sint, præsertim cum eorum versionem Catholica Ecclesia tam longo usu approbaverit? Certe editionem κοινὴν, ad quam vulgatam Latinam in Psalmis expressam esse Bellarminus censet, maximopere discrepasse a genuina LXXvirali, in confesso est, & ipse exemplis aliquot hoc loco ostendit. Cur ergo id alibi, ut Vulgatæ suæ auctoritati velificetur, dissimulat, & de τῇ κοινῇ ita loquitur, ac si intemerata esset ipsorummet LXX translatio, nec quidquam inter hanc & illam daretur discriminis? Equidem certum est, mixtam fuisse τὴν κοινὴν ex versione LXX & Theodotionis. Sed unde hodie, vel Bellarmino, vel alii cuicumque, constabit, utrum ea, in quibus Psalmi vulgatæ Latinæ ab Hebræo textu discrepant, ex translatione LXXvirali, num vero ex Theodotionis versione, sint expressa? Cum enim asterisci, quibus, quæ Theodotionis erant, ab his quæ transtulerant LXX, in Græca communi olime discernebantur, jam ante tot secula exciderint, *ind necessario orta est confusio, ut jam nemo judicare possit, quid sit LXX, quid vero Theodotionis*; scribente ipsomet Bellarmino supra in fine capitis VI. Quin ex

Hieronymo constat, lecta fuisse quædam in editione illa communi, quæ *nec Septuaginta* habuerint, *nec Aquila*, *nec Symmachus*, *NEC THEODOTIO; sed sola κοινὴ editio.* Vide epistolam cxxxv, ad Suniam & Fretelam.

De ceteris V. T. libris

VII. Quantum ad libros V. T. canonicos, qui præter Psalterium in vulgata Latina habentur, eos omnes e versione Hieronymi ex Hebræo superesse dicit Bellarminus. Verum argumenta, quibus suæ isti assertioni fidem facere laborat, rursum nihil aliud probant, quam quod & horum translatio non sit omnino alia ab ista, quam diximus, Hieronymi versione. Et notari potest, quod in argumento suo tertio falsissime scribat Cardinalis, in epistola XCIX, ad Augustinum, Quæstionibus Hebraicis in Genesin, ac alibi, ea loca, quæ Hieronymus aliter se vertisse monet quam LXX verterint, in vulgata editione *omnia* inveniri, ut ipse se vertisse dicit. Etenim quod non omnia ibi ita inveniantur, *αὐτοψία* ipsa ostendit. Sic, v. g. in Quæstionibus Hebraicis corrigit Hieronymus illa: *Et Spiritus DEI ferebatur super aquas*, Genes. I, 2. *Pro eo*, inquiens, *quod in nostris codicibus scriptum est*, *ferebatur*; *in Hebræo habet*, *merahefeth*, מרחפת, *quod nos appellare possumus*, *incubabat*, *sive*, *confovebat*, *in similitudinem volucris ova calore animantis.* At vulgata Latina habet: *Spiritus DEI ferebatur super aquas.* Similiter Gen. II, 15. Vulgata: *Tulit ergo Dominus Deus hominem.* Hieronymus citato loco: *Et sumpsit Dominus Deus hominem.* Gen. III, 8. Vulgata: *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem.* Hieronymus

ronymus, ubi supra: *Et audierunt vocem Domini Dei ambulantis in Paradiso ad vesperam*; addens: *In plerisque codicibus Latinorum, pro eo, quod hic posuimus, ad vesperam, post meridiem, habetur.* Ibidem commate 14. Vulgata: *Et terram comedes.* Hieronymus: *Pro terra, aphar* עפר *scriptum est, quod favillam possumus dicere & pulverem.* commate 15. Vulgata: *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Hieronymus: *Ipse conteret caput tuum, & tu conteres ejus calcaneum.* Plura adducere supervacaneum. Et annon Bellarminus ipse paulo post, eodem hoc capite, non omnia ita inveniri in vulgata, ut Hieronymus vertenda censuit, aperte satis fatetur, quando ad objectionem: *Multa inveniuntur in editione vulgata, quæ B. Hieronymus in quæstionibus Hebraicis, in libro de optimo genere interpretandi, in commentariis in Prophetas, & in Ecclesiasten, docet aliter fuisse vertenda; igitur fieri non potest, ut editio vulgata sit illa translatio, quam Hieronymus fecerat ex Hebræo;* quando, inquam, ad objectionem hanc responsurus, nequaquam negat, verum esse, quod multa inveniantur in Vulgata, quæ Hieronymus dictis locis aliter vertenda doceat; sed id tantummodo agit, ut rei huius reddat causas. Nec etiam Gretserus diffiteri *col. 52. seq.* potest, quædam aliter haberi in Vulgata, quam reddenda docuit Hieronymus. Unde excusaturus suum Bellarminum, ridicule satis, *Non vult*, inquit, *omnia, quæ sanctus Hieronymus aliter vertenda censuit, apud nos inveniri; sed ex omnibus ejusmodi locis, quæ inveniuntur non pauca, colligi, nos Hieronymi editionem habere.* Quasi vero non essent omni luce clariora Car-

dinalis verba: Præter Psalterium, librum Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum, reliqua V. T. omnia ex Hieronymi versione ex Hebræo haberi in editione vulgata, *probatur ex iis locis, quæ B. Hieronymus monet se aliter vertisse quam 70. verterint, quæ in nostra editione OMNIA invenimus ut ipse se vertisse dicit.*

IIX. Ceterum etsi, ut diximus, Bellarmini argumenta id facile evincunt, quod vulgata translatio non sit omnino alia ab Hieronymiana; quod tamen nec simpliciter eadem cum illa sit, nullo negotio ostenditur. Nempe Hieronymus Vetus Testamentum transtulit e textu Hebræo accurate; & suam isthanc versionem ubique ad fontem diligentissime contulit & accommodavit. Testatur id ipsemet in suis operibus passim. *Certe*, inquit epistola CXXXIII, ad Sophronium, *confidenter dicam, & multos huius operis testes citabo, me nihil duntaxat sententia de Hebraica veritate mutasse. Sicubi ergo editio mea a veteribus discreparit, interroga quemlibet Hebræorum, & liquido pervidebis, me ab æmulis frustra lacerari, qui malunt contemnere videri præclara, quam discere.* Similia leguntur præfatione in Pentateuchum, Esdram & Neemiam, librum Hester, in Prologo Galeato, & alibi. Sed & Augustinus, libro XIIX de Civit. Dei, cap. XLIII, ita hanc in rem scribit: *Non defuit temporibus nostris Presbyter Hieronymus, homo doctissimus, & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, sed ex Hebræo in Latinum eloquium Scripturas converteret. Ejus tam literatum laborem Judæi fatentur esse veracem.* Confer quæ præterea ex Gregorio, Isidoro

Hier. Versio ex Hebræo accurata, non item Vulgata Lat.

doro, aliisque affert Bellarminus ipſe cap. x. Fuit ergo Hieronymi verſio exacte conformis textui Hebræo. Jam vero Latina translatio librorum, de quibus agimus, *in multis locis ab Hebraica veritate diſſentit*; uti Paulus Foro-Semproniensis Sanctesque Pagninus, ſcriptores Pontificii, heic apud Bellarminum agnoſcunt, & res ipſa abunde loquitur. Relinquitur proin, vulgatam Latinam nequaquam eſſe puram ac meram Hieronymi verſionem ex Hebræo.

Reſponſio Bell. ad argumentum præcedens examinatur.

IX. Reſpondere quidem conatur ad hoc argumentum Bellarminus, duplici de cauſa accidiſſe dicens, ut vulgata Latina ab Hebraico textu aliquando diſſentire videatur: unam eſſe, incuriam librariorum; alteram, quod ſæpe Hieronymus non tam verba, quam ſenſum, exprimere ſtuduerit; ut faciendum eſſe ipſe doceat in libro de optimo genere interpretandi. Verum neutra ratio aliquid habet roboris.

X. Quantum enim ad prius, etſi mendis librariorum ſcatere Vulgatam haud imus inficias, præter hæc tamen leguntur in eadem diſcrepantia ab Hebræo loca plurima, in omnibus codicibus, antiquis & recentioribus, eodem modo extantia, quæ librariorum incuriæ nemo ſanus imputaverit. Quantum ad poſterius, ſtuduiſſe Hieronymum, non tam verba, quam ſenſum exprimere, dum Scripturam tranſtulit, tantum abeſt ut ex laudato de optimo genere interpretandi libro, ſive epiſtola CI, ad Pammachium, poſſit probari, ut inde contrarium potius manifeſto liceat oſtendere. Ita quippe affirmat ibi eruditiſſimus Pater, ſe in interpretando non verbum e verbo, ſed ſen-

ſenſum exprimere de ſenſu, ut diſerte id faciat cum exceptione ſacrarum literarum, in quibus convertendis iſtam ſibi licentiam minime ſe ſumere innuit; *Ego*, inquiens, *non ſolum fateor, ſed libéra voce profiteor, me in interpretatione Græcorum, ABSQUE SCRIPTURIS SANCTIS, UBI ET VERBORUM ORDO ET MYSTERIUM EST, non verbum e verbo, ſed ſenſum exprimere de ſenſu.* Verterat, Euſebii Cremonenſis rogatu, Epiphanii epiſtolam quamdam e Græco in Latinum, *raptim celeriterque*: non ut publici juris iſta fieret translatio; ſed *ut domi haberet* Euſebius, *nec facile in vulgus proderet.* Quæ tamen cum nihilominus emanaret, inque malevolorum manus incideret, fiebat, ut male apud nonnullos audiret verſionis auctor, & tamquam falſarius traduceretur; quia nempe verbum non expreſſerit de verbo; ſed pro *honorabili* dixerit *chariſſimum;* & iſta: αἰδέσιμον ὡσὶν ἁπάντων, noluerit transferre. Ad hæc in dicta illa epiſtola reſpondet Hieronymus, cauſasque exponit, cur in ejusmodi translationibus non verborum præciſe rationem habeat, ſed ſenſus. De ſuis Scripturæ ſacræ verſionibus ibi non agit, ſed, uti diximus, eas ab hac diſputatione expreſſe ſegregat.

Vulgata ſæpe aliter habet, quam transferendum docuit Hier.

XI. Porro Bellarminus ſibi objicit, multa inveniri in editione vulgata, quæ Hieronymus in Quæſtionibus Hebraicis, in libro de optimo genere interpretandi, in Commentariis in Prophetas, ac alibi, doceat aliter fuiſſe vertenda; indeque fieri non poſſe, ut editio vulgata ſit illa translatio, quam Hieronymus fecerat ex Hebræo. Reſpondet autem; quatuor de cauſis accidiſſe, ut quædam in textu Vulgatæ ſin-

Bell. Reſponſio.

fint quæ Hieronymus reprehendit. Primam caufam effe errorem & negligentiam librariorum; fecundam, variam fignificationem vocabulorum Hebræorum: aliquando enim hanc, interdum aliam fignificationem Hieronymum effe fecutum; tertiam, quod ipfemet poftea mutarit fententiam, & loca fua correxerit; quartam deniq; caufam effe, quod, etfi Hieronymus interdum fenferit, quædam mutanda in fua verfione, & ea notaverit in fuis Commentariis, tamen Ecclefia poftea magis judicaverit veram primam verfionem, illamque retinere maluerit in editione vulgata.

XII. Sed neque hæc alicujus funt ponderis. De librariorum enim mendis applica huc quæ paulo ante, num. x, monebantur. Quod Hieronymus vocis ambiguæ jam hunc, jam alium elegerit fignificatum, id uti femel iterumque factum effe haud inciamur, fic ad alias, quæ magno numero fuperfunt, difcrepantias nihil facit. Sententiæ mutatio in locis adeo multis tanto auctori non fine temeritate tribuitur. Tandem, quod Ecclefia fuum judicium interpofuerit, velioremque cenfuerit verfionem quam Hieronymus rejecit, & additis etiam fundamentis improbavit; id quomodo intellectum vult Cardinalis? an, quod publica Ecclefiæ auctoritate edita fuerit, poft Hieronymi tempora, translatio Latina, quæ maximam quidem partem ex hujus genuina verfione ex Hebræo effet concinnata, non tamen illa ipfa pura & mera, fed certo confilio interpolata? Ita fane videntur innuere quæ mox fubjungit. Ubi namque dixerat, non videri cafu factum, quod aliqua in-

in vulgata Latina hodie legantur quæ Hieronymus reprobaverit, sed judicio posteritatis, vel potius ipsius Ecclesiæ; *Editio enim vulgata*, addit, *quamvis maxima ex parte Hieronymi sit, tamen non est illa pura, quam ipse ex Hebræo convertit, sed est aliquo modo mixta, additis non paucis ex versione 70. quæ in Hebræo non inveniuntur. atque id potissimum perspicitur in lib. 1 Reg. & Proverb.* Quibus gemina habet libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ad ann. CCCXC. Disputans nempe ibi de Commentariis Hieronymi in Psalmos, *Ego existimo*, ait, *commentaria, de quibus agimus, vere esse sancti Hieronymi; sed non pura. Videtur enim aliquis longe posterior scriptor adjunxisse multa de suo. Quod idem accidit versioni Scripturarum ex Hebræo quam habemus in editione vulgata. Est enim versio ipsa sancti Hieronymi, exceptis Psalmis, in editione vulgata, sed multis additis.* Quidquid autem sit; illud certe ex modo citatis apparet, ipsum tandem Bellarminum deserere thesin, quam demonstrandam susceperat & ab impugnationibus τῶν ἀντιλεγόντων vindicandam. Proposuerat nempe sibi, ostendere, præter Psalterium, & libros quosdam nobis Protestantibus apocryphos, *reliqua OMNIA ex Hieronymi versione ex Hebræo haberi in editione vulgata:* at, quando jam conclusurus est disputationem, fatetur ultro, haberi in iis *non pauca*, quæ in Hebræo nequaquam inveniantur, sed addita sint ex versione LXX. Ut ita desinat fere ipsius sententia in illam Sixti Senensis, qua credibile esse ait, libro IIX Bibliothecæ, hær. XIII, *Vulgatam editionem ex duabus Hieronymi editionibus constare: videlicet ex ea, quam Hieronymus secundum Hebraicam*

Bell. fatetur, Vulgatam Lat. V. T. non esse puram Hier. versionem ex Hebræo.

p. m. 110.

ve-

veritatem edidit, & ex ea, quam ipse ex Græca editione septuaginta Interpretum transtulit. Dixerat paulo ante: *Sicut* Vulgata Latina *non videtur esse Hieronymi, ob causas ab adversariis inductas: ita ob easdem causas non omnino alia videtur ab interpretatione Hieronymi. Nam sicut illi ex multis locis, qui in editione nostra aliter habentur, quam Hieronymus emendavit, arguunt, editionem hanc non esse eam, quam Hieronymus de Hebraica veritate transtulit: ita & nos eodem argumento ostendere possumus, eam non esse prorsus ab illa D. Hieronymi interpretatione diversam, quia in illa multa loca habentur sicut Hieronymus se emendasse testatus est.* Mirari autem subit, tribui a Bellarmino, sub initium hujus capitis, Sixto Senensi, quod statuat, vulgatam Latinam esse mixtam ex versione Hieronymi & antiqua illa Itala quæ ante Hieronymum vulgo obtinuit. Contrarium quippe docent, quæ dedimus, ipsius Sixti verba. Quamvis alias certum sit, esse auctores magni nominis qui illam sententiam defendant. Quos inter ipse Card. Baronius; cujus verba, ad ann. CCXXXI, 47. *Accidit post Gregorii tempora, (quoto vero potissimum anno, quove auctore, incertum remanet) ut, quoniam duæ simul vulgatæ editiones, vetus & nova, dissensionum ac contentionum interdum ministrarent occasionem, in diversa studia fideles ea in re distraherentur ab invicem; dum alii veterem, novam alii sequerentur, & quisque pro sua (ut assolet) contentiose differeret, turbas cieret, alteramque defendens, in alteram minus digne invehe-retur; essetque ea diversitas veluti seminarium jurgiorum, ac turpem redderet Ecclesiæ faciem; dum in divi-*

Baronii sententia de Vulgata Latina.

vinis laudibus, ceterisq; sacris officiis, alii aliam psallendo, legendo, concionando, tractando, consectarentur: ut hac ex parte pene divisa schismate Ecclesia videretur. Sed divino afflante numine provisum est, optimeque consultum, ut ad Ecclesiasticum communem usum una ex duabus, quæ usui omnibus esset Ecclesiis, conflaretur, quæ communis omnibus atque Vulgata uno nomine a cunctis diceretur, explosa illa Veteris & Novæ nomenclatura. Resque evenit ex sententia, ut, eam unam occidentali Ecclesia usu recipiente, omnis mox ea de re cessaverit controversia, omnesque, sicut una fide compaginati, ita uno spiritu unoque ore Christum Dominum una cum Patre & Spiritu sancto laudibus assidue celebrarent. Hæc, inquam, Baronius, more suo, ita confidenter & secure, ac si e probatissimis antiquitatis scriptoribus hausisset: cum tamen apud eos profundum de hac publica auctoritate facta mixtione sit silentium, & res tota meris conjecturis nitatur, uti palam est.

Bell. hypotheses Concilium Tridentinum errorū convincunt,

XIII. Sed mittamus tandem hanc de auctore versionis vulgatæ disquisitionem. Quamquam enim supersunt in Bellarmini textu, quæ censuram mereri adhuc possint, quia tamen ad ipsum controversiæ caput parum illa faciunt, nolumus in iis examinandis nos detinere. Unum interim, priusquam ad alia progrediamur, monendum ducimus. Videlicet Bellarmini assertio est, ut supra vidimus, *editionem vulgatam, quamvis maxima ex parte Hieronymi sit, tamen non esse illam puram, quam ipse ex Hebræo convertit, sed esse aliquo modo mixtam, additis non paucis ex versione 70. quæ in Hebræo non inveniantur.* Conferan-

ferantur hæc paululum, obſecro, cum aliis noſtri Cardinalis hypotheſibus. Statuit ille, ut ex cap. VI hujus libri patet, genuinam τῶν LXX interpretationem accurate reſpondiſſe textui Hebræo, nec quidquam habuiſſe quod in eo non reperiretur. *Scio quidem*, ait, *Epiphanium, Hieronymum, & Auguſtinum, ſcriptum reliquiſſe, ſeptuaginta Seniores induſtria quadam omiſiſſe, QUÆDAM ADDIDISSE, & quædam aliter vertiſſe, quia ſic eis dictabat Spiritus ſanctus. Sed iſti Patres pie quærebant rationes excuſandi & defendendi eam verſionem, qua tunc Eccleſia utebatur. Cæterum ſi ita eſſet, quomodo Philo diceret, ſummam fuiſſe conſonantiam rerum & verborum? quomodo etiam aſſereret Ariſtæus, omnes, qui eam initio viderunt, acclamaſſe, ſingula eſſe bene & fideliter verſa? quomodo non admirati fuiſſent, tam multa contrario ſenſu reddita?* Hæc ergo ſi ita ſunt, ſi, inquam, nihil in editione τῶν LXX extitit quod non fuerit tranſlatum ex Hebræo, irrefragabiliter ſequitur, illa, quæ in vulgata Latina ex LXX addita ſcribit Bellarminus, cum in Hebræo textu haud inveniantur, non eſſe adjecta ex genuina iſta ac intemerata LXXvirali: ni dicere forte velis cum Pontificiis quibusdam, fontes Hebræos iis locis, ubi verſio vulgata plus habet aut minus quam ipſi, non eſſe ſinceros, ſed id, quod in vulgata extat, in Hebræo autem non, excidiſſe perfidia Judæorum: quod tamen commentum operoſe noſter refellit Cardinalis capite II. Si autem iſta vulgatæ Latinæ additamenta neque ex prima τῶν LXX tranſlatione, neque ex fonte Hebræo ſunt deprompta, quod canonica eſſe non poſſint & authentica, oppido quam eſt manifeſtum.

ſtum. idque fatetur ipſe Bellarmini hyperaſpiſtes Gretſerus; cujus hæc ſunt aperte verba: *Cum ea, quæ in verſione 70 Interpretum verè diverſa erant ab Hebræo textu, non manaverint à 70. Interpretibus; quandoquidem illorum interpretatio examuſſim cum Hebræo textu congruebat, ut ſupponit hæc* (Bellarmini) *opinio; Hebræus itidem textus non ſit mutilatus aut depravatus; neceſſario ſequitur, talia, quæ ex 70. Interpretibus deſumpta, & in vulgatam Latinam editionem translata dicuntur, non eſſe Canonica; cum fuerint 70. Interpretibus olim ſuperaddita, quando puritas illius verſionis ab Origene & aliis additione & detractione contaminari cœpit. Quis autem dicat, canonica & authentica eſſe, quæ nec ſint in Hebræo textu, nec in prima 70. Interpretum verſione exſtabant?*

col. 306.

XIV. Inde ergo nunc argumentor:

Quæ Synodus Canonicum & authenticum pronunciauit, orbique Chriſtiano ſub anathemate pro tali agnoſcendum obtruſit, quod in ſe canonicum & authenticum non eſt, ea graviſſime erravit.

Atqui Tridentina Synodus id fecit. E.

Major evidens eſt, nec poterit ejus veritas a quoquam in dubium vocari, niſi forte ab his, qui tantam Eccleſiæ tribuunt auctoritatem, ut posſit de non-canonico facere canonicum, de non-authentico authenticum: quam tamen ſententiam rejicit Bellarminus libro I de Verbo Dei cap. X, adeo quidem, ut (licet præter omne meritum, velut ſuo loco oſtendimus) impudentiſſimæ calumniæ Chemnitium noſtrum poſtulet, quod Pontificiis eam tribuat: quemadmodum & Gretſerus

col. 597. & 541.

ferus fatetur diserte, Concilium non posse aliter authenticum quid facere, nisi declarando ac promulgando, non constituendo. Nam si antea authenticum in se non sit, nequaquam Concilium vim authenticam ei indere posse, quippe quam acquirere debeat a DEO. Minor itidem manifesta. Sic nimirum habet decretum Concilii sess. IV: *Si quis libros* Scripturæ *CUM OMNIBUS SUIS PARTIBUS, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & IN VETERI VULGATA LATINA EDITIONE HABENTUR, pro sacris & canonicis non susceperit, anathema sit.* Quibus mox subjicitur decretum, quo statuit eadem Synodus, *ut hac ipsa vetus & vulgata editio in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.* Jam vero Bellarminus fatetur, haberi in Vulgata ista *non pauca*, quæ in Hebræo haud inveniantur, indeque nec in prima τῶν LXX translatione extiterint, quæque idcirco, largiente & affirmante ipsomet ejus propugnatore Gretsero, minime canonica sint & authentica. Evidens proinde est, quod, per ipsius Card. Bellarmini hypotheses, sæpius dicta Synodus canonicum & authenticum pronunciaverit, orbique Christiano sub anathemate pro tali habendum & agnoscendum obtruserit, quod reapse non est canonicum & authenticum. Junge his, quæ afferimus capite X, 19. XI, 4.

CAPUT X.

DE AUCTORITATE VULGATÆ LATINÆ.

I.

Bell. ineptus discursus de Vers. authent.

DIsputationem de auctoritate versionis Latinæ vulgatæ incipiens Bellarminus, *Hæretici*, ait, *nostri temporis quanquam inter se non parum dissentiant in authentica editione Latina eligenda, tamen adversus Ecclesiam mirifice omnes consentiunt. Siquidem Lutherani volunt, solam Lutheri versionem habendam esse authenticam; ut patet ex decreto quodam Lipsiensi, cui Melanchthon, Pomeranus, Major, aliique permulti subscripserunt. De quo decreto vide Staphylum in tertio topico prædicamento Lutheranæ Theologiæ. At Zvvingliani, quibus Anabaptistæ & Calvinistæ consentiunt, nullam esse volunt authenticam versionem; ut ex præfatione Tigurinæ editionis patet: ubi docent, non debere Ecclesiam alligari ad unam aliquam versionem. Nihilominus tamen tam Lutherani quam Zvvingliani in eo conveniunt, ut editio Latina vulgata non sit habenda pro authentica, cum innumerabiles errores in ea deprehendantur.*

II. Quæ quidem paucissimæ lineæ, si dicendum quod res est, non paucis scatent vitiis: λοιδορίαις puta, falsitatibus, ineptiis. Ait, hæreticos, id est, qui Papam negant esse *Dominum Deum nostrum*, non parum dissentire in authentica editione Latina eligenda; idque probat inde, quod Lutherani velint, solam Lutheri versionem habendam esse authenticam,

Zvvin-

Zvvingliani vero, Anabaptistæ, & Calvinistæ, nullã esse velint authenticam versionem. Ubi primo nequaquã apparet, quî Lutherani dici possint non parum dissentire, in authentica editione *Latina* eligenda, a Zvvinglianis, Anabaptistis, Calvinistis, propterea quod velint, Lutheri versionem habendam esse authenticam. An enim Lutheri versio est versio Latina? Deinde, quid hoc sibi vult, quod distinctionem facit Cardinalis inter Zvvinglianos & Calvinistas, quasi diversæ essent sectæ? Ait quippe, Calvinistas consentire Zvvinglianis in controversia de versione authentica. Quomodo sane nemo loquitur de illis qui eandem plane profitentur fidem. Ecquis enim diceret, v. c. Pontificios consentire Romano-Catholicis in quæstione de Purgatorio? Nescio proinde, quid in mentem venerit Bellarmino, ut ita Calvinianos a Zvvinglianis, & quidem interjectis Anabaptistis, quasi minus ab his distantibus, sejungeret. Vulgus quidem diversas heic sibi sectas fingere solet. Quam in rem Becanus, præfat. opusculi de titulis Calvinistarum, *Omnes norint*, inquit, *unam eandemque sectam diversis sæpe nominibus ac titulis significari. In quo non pauci a VULGO decipiuntur. Putant, alios esse Calvinistas, alios Puritanos, alios Picarditas, alios Hugenotos* (par Zvvinglianorum ratio. conf. tit. v.) *ERRANT. Nomimina diversa sunt, secta eadem.* At quis vulgi hunc errorem errasse credat Bellarminum, tantum Controversistam? Nempe interdum viri etiam docti, quando cœlesti se veritati opponunt, intelligendo faciunt ut nihil intelligant. Denique, annon crassissimum commentum est, impudensque calumnia, quod Lutherani velint, solam Lutheri versionem habendam

Distinctio Bell. inter Zvvinglianos & Calvinistas.

bendam esse authenticam? Si ullo alio, hoc certe testimonio mendacii convinci potest aperti Bellarmini (apud Fuligattum, in vita ipsius, lib. VI, cap. 1,) jactantia, *toto vitæ spatio se mendacium nullum dixisse.* Producatur pro facienda fide assertioni isti testis vel unicus, sed ἀξιόπιστος, non Staphylus; cujus fatuitatem cavillandique pruritum vel sola prodit libri inscriptio quem Cardinalis laudat. Sane Lutherus ipsemet de versione sua, toties quoque recognita & emendata, longe aliter judicavit, quam ut pro authentica cuiquam censuerit obtrudendam. Ait enim, si quando in transferendo hallucinatus forte fuerit, gratias se habiturum ei qui errores monstraverit. Neque enim mirum, si ipse non semper acu rem tetigerit, cum & Hieronymus toties heic sit lapsus. Ob man müste mich angreiffen und tadeln / inquit, der ich zuweilen in der Dolmetschung gefeilet hätte / das wil ich mit danck annehmen. Denn wie offt hat Hieronymus gefeilet? libro de Schemhamphorasch, anno XLIII, & sic triennio ante summi viri obitum, edito, Tom. IIX Jen. f. 135.

Argum. Bell. I. pro autoritate Vulgata.

III. Sed age, ipsum controversiæ caput aggrediamur, & argumenta Bellarmini, quibus αὐθεντίαν vulgatæ Latinæ firmare nititur, expendamus. *Primum*, inquit, *est argumentum ipsius Concilii. Ait enim Synodus Tridentina, eam à se probari sacrorum librorum Latinam editionem, quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est. Nec enim temere per annos fere mille, hoc est, a tempore B. Gregorii, omnis Ecclesia Latina hac una editione usa est, omnes Concionatores hanc explanaverunt & populis proposuerunt,*

omnia

omnia Concilia ex hac editione testimonia protulerunt ad confirmanda dogmata fidei. Porro Ecclesiam totis octingentis vel nongentis annis germana Scripturæ interpretatione caruisse, atque in iis, quæ ad fidem & religionem pertinent, errores Interpretis nescio cujus pro verbo DEI coluisse, mirum est (si cui mirum & absurdum non esse videatur; præsertim si ex Apostolo didiceris, 1. Tim. 3. eam esse columnam & firmamentum veritatis. Quod quidem argumentum si scopum ferire debeat, (quæritur enim heic, non, an reverentia aliqua ob antiquitatem & diuturnum usum debeatur Vulgatæ: imo ne hoc quidem, an plus ea vel minus aberret quam translationes aliæ; sed, an sit authentica) ad syllogisticam formam revocatum habebit ita:

Quæ Scripturæ versio longo multorum seculorum usu in Ecclesia viguit, illa est authentica.

Atqui versio vulgata Latina longo multorum seculorum usu in Ecclesia viguit.

Ergo eadem est authentica.

Quo pacto concludere heic velle Cardinalem, agnoscit ejus Apologeta Gretserus. Cum enim dixisset Hunnius: *Ratio a tot seculorum usu petita hoc tantum evincit, Ecclesiam diu utiliter ea editione usum, cum non extaret melior translatio*: subjicit ille: *Plus evincit hæc ratio, o Prædicans: nimirum, hanc editionem vere esse authenticam.* *col. 5. 6.*

IV. Ceterum quis non videt in argumento isto infirmitatem propositionis majoris? Si enim longus Ecclesiæ usus αὐθεντίαν conciliare valet translationibus, qui factum, quod authentica non fuerit, quæ ante Gregorii tempora tot seculis obtinuit, editio *Responsio.*

Latina communis & vulgata? An forte major heic vis Ecclesiæ posterioris, quam priscæ illius ac primitivæ?

v. Quæ pro argumenti sui confirmatione affert Robertus, parum sane habent roboris. Ait nempe, mirum videri & absurdum, *Ecclesiam totis octingentis vel nongentis annis germana Scripturæ interpretatione caruisse, atque in eis, quæ ad fidem & religionem pertinent, errores Interpretis nescio cujus pro verbo DEI coluisse.* Verum primo, si vel maxime concederetur, versionem vulgatam esse interpretationem *germanam*, hoc est, tanta fide ac industria expressam, quantam requirit genuina & accurata translatio, nondum tamen inde sequeretur, quod sit *authentica*, & talis, a qua *nullo prætextu* liceat recedere. Quantacunque enim cura versio aliqua sit adornata, si non nisi ab humano profecta studio, numquam tantæ perfectionis est, ut extra omne erroris periculum sit posita. Deinde non erat, cur grande adeo videretur Cardinali nostro paradoxum, Ecclesiam, in qua alioqui conservatur veritas fidei & morum, carere interpretatione germana, sumpta hac voce ita ut jamjam exponebamus. Annon enim id contigit primis illis ac purioribus seculis, dum in usu erat translatio quam Hieronymus improbabat, imo quam ipsa tandem ac paulatim improbavit Ecclesia? & annon ipse Bellarminus supra capite VI agnoscit, versionem LXXviralem, quam *Catholica Ecclesia multis seculis secuta*, jam ante Justini Martyris tempora *a Judæis multis in locis fuisse corruptam*, ad hoc *primis trecentis* post CHRISTUM natum *annis tot macu-*

las contraxisse, ut necessum fuerit, eam *sæpe sæpius emendari ab Origene, Luciano, Hesychio, Hieronymo?* Si ergo absurdum non est, affirmare de primæva illa ac intemerata Ecclesia, quod editionem secuta fuerit tot modis depravatam & viciatam; an erit absurdum, dicere de Ecclesia posteriorum temporum, quod versione fuerit usa, quæ non fideliter ubique & curate fontes exprimeret, sed multos haberet errores interpretis, multas maculas?

VI. Et mirari subit, adeo indubitatum esse Bellarmino, quod vulgata Latina sit germana versio, cum ipsemet capite præcedenti IX diserte scribat, habere illam *non pauca, quæ in Hebræo non inveniantur*; quemadmodum & alii ex Pontificiis ingenue fatentur, quod in ea reperiantur *multa incommode admodum versa, nonnulla superaddita, aliqua omissa & immutata, quædam minus bene ac vere transfusa, multoque aliter quam veritas Hebraica habet, quædam a genuino sensu deturbata, & a scriptoris sensu aliene translata*; (vide infra num. XIX) qualia certe de germana & fideli Scripturarum interpretatione nemo prudens affirmaverit.

VII. Porro falsum est, quod, ut Bellarminus ait, *a tempore B. Gregorii omnis Ecclesia Latina* HAC UNA *editione* vulgata *usa* sit, OMNES *Concionatores hanc explanaverint, & populis proposuerint.* Etenim Interpretes & Tractatores non semper solitos, ne quidem post Gregorium, sic verba Scripturæ recitare, quemadmodum in Vulgata leguntur, ipse Gretserus inficiari nequit. Etiamsi nihil aliud id arguere scribat, quam *varias vulgatæ editionis lectiones. natas ex manuscri-* *Gretseri Vana effugia. col. 553.*

nuscriptorum exemplarium diversitate. Quod tamen vanum esse effugium nullo negotio patebit, si Vulgatæ hodiernæ textum cum translationibus quibus veterum nonnulli utuntur contuleris. Ita, cum Vulgata habet, v. c. Gen. I, 2. *Terra erat inanis & vacua;* Albinus Alcuinus, qui Caroli M. tempore vixit, Quæstionibus in Genesin, legit: *Terra erat invisibilis & incomposita.* quando ibidem cap. II, 2. habet Vulgata: *Requievit* Deus *die septimo ab omni opere quod patrarat.* & comm. 17. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* comm. 24. *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem.* Alcuinus legit: *Requievit die septimo ab omnibus operibus suis. — Si manducaveritis ex eo, morte moriemini. — Propter hoc relinquet homo patrem & matrem.* Sic porro cap. III, 16. Vulgata: *Sub viri potestate eris.* Alcuinus: *Sub te erit appetitus tuus.* cap. IV, 15. Vulgata: *Septuplum punietur.* Alcuinus: *Septuplum vindicabitur.* cap. X, II. Vulgata: *Ædificavit Niniven, & plateas civitatis.* Alcuinus: *Ædificavit Niniven, & Roboot civitatem.* cap. XVI, 12. Vulgata: *Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum; & e regione universorum fratrum suorum figet tabernacula.* Alcuinus: *Manus ejus super omnes, & manus omnium super eum; & contra faciem omnium fratrum suorum habitabit.* cap. XVII, 4. Vulgata: *Pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram; sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.* Alcuinus: *Ecce, testamentum meum tecum, & eris pater multitudinis gentium; & non vocabitur nomen tuum Abram, quia patrem gentium*

posui

posui te. cap. xx, *6.* Vulgata : *Custodivi te*, *ne peccares in me.* Alcuinus: *Peperci tibi*, *ut non peccares in me.* Ubi lectionis tantummodo varietatem esse, non translationes diversas, nemo dixerit qui quidem mentis sat est compos. Sed & evanescit hinc exceptio ejusdem Gretseri altera, dum videlicet ait, *Tractatores sententias Scripturæ frequenter allegasse prout occurrebant memoriæ*, *certos de sensu*, *de verbis minime solicitos.* Annon enim sensu discrepant ista, v. g. *Ædificavit Niniven*, *& plateas civitatis*; ac : *Ædificavit Niniven*, *& Roboot civitatem ?* Sed nolumus his immorari diutius. Tantum igitur de argumento Bellarmini primo. Nam de verbis Apostoli ex I Tim. III, 15. agere non est hujus loci. 4.

IIX. Argumentum Bellarmini secundum ita habet : *Vel hæc nostra versio est Hieronymi vel*, *certe illa antiqua communis*, *quam Augustinus vocat Italam. Si est illa antiqua*, *magnum testimonium habet ab Aug. l. 2. de doct. Christ. c. 15. ubi dicit*, *eam omnibus esse præferendam* : *si autem est Hieronymi*, *ut nos supra probavimus*, *habet testimonia omnium veterum*, *qui eam videre potuerunt.* Ubi nominatim adducit testimonium Augustini, dicentis, Judæos fateri, translationem Hieronymi ex Hebræo esse *veracem*, ejusdemque emendationem Novi Testamenti *omnibus probari*; & Gregorii, perhibentis, versionem isthanc *cuncta verius transfudisse*; Isidori item, (cui subscribere notat Rabanum) de eadem affirmantis, quod *merito ceteris anteponatur*; provocatque, porro ad Anselmum, Bernhardum, Rupertum, Haymonem, Hugonem, Richardum, & alios omnes, quos satis osten- *Arg. Bell. 2.*

ostendere ait, *se hanc editionem præ ceteris probasse, cum eam solum explanandam susceperint* : ac tandem addit, quod non solum Latini *versionem hanc probarint*, sed etiam Græci, qui *quædam divina volumina, a Hieronymo in Latinum ex Hebræo conversa, ex Latino in Græcum transfuderint.* Ex quibus omnibus talis nascitur sylloge :

Quæ versio priscis Ecclesiæ Patribus præ ceteris probatur, cunctisque translationibus aliis præfertur, est authentica.

Sed versio vulgata Latina priscis Ecclesiæ Patribus præ ceteris probatur, cunctisque translationibus aliis præfertur.

Ergo est authentica.

IX. Ubi primo, quod ad Majorem attinet propositionem, facile patet, non posse illam admitti. Qua enim vel specie veri ostenderetur, esse versionem statim authenticam, quam probarunt veteres Ecclesiæ Doctores, ceterisque translationibus prætulere? cum possit sane versio Scripturarum una palmam præripere aliis, quod minus quam illæ a fonte recedat, sermone magis proprio & perspicuo res sacras exprimat, similibusque præ ipsis polleat virtutibus; quæ tamen idcirco non est anthentica necessario, tantæque auctoritatis, ut nullo ab ea prætextu liceat abire. Nam, uti jam supra diximus, quantacunque etiam
n. 3. cura translatio aliqua sit adornata, si non nisi ab humano profecta studio, numquam tantæ perfectionis est, ut extra omne erroris periculum sit posita.

X. Porro nec Minor supra propositi argumenti certæ veritatis est. Supponit enim, Vulgatam hodier-

diernam esse vel antiquam illam Italam, vel Hieronymianam versionem. quorum utrumque falsum esse, capite praecedenti IX, etiam ex ipsomet Bellarmino, patuit. Deinde in prodducendis veterum testimoniis admodum imprudens est Cardinalis. Nempe ubi ex Augustino probasset, antiquam Italam omnibus aliis versionibus esse praeferendam, mox probat ex Isidoro, quod Hieronymiana merito ceteris anteponatur. Quae simul consistere nequeunt. Nam si Itala omnibus translationibus praeferenda, ergo & Hieronymianae; ac similiter, si Hieronymiana ceteris anteponenda, ergo & Italae. Erit proinde eadem eidem & praeferenda & postponenda: quod absurdum. Et fac, Vulgatam hodiernam esse antiquam Italam, (liberam enim heic electionem facit Bellarminus, ut pronuncietur in utramvis partem, vel Italam esse, vel Hieronymianam) annon auctoritati ejus detrahent, quae Cardinalis citat, Gregorii, Isidori, Rabani, ceterorumque pro Hieronymiana facientium testimonia? fac e contrario, esse eandem Hieronymi, nonne ipsius auctoritati aliquid decedet per judicium Augustini, Italam cunctis versionibus, & sic etiam Hieronymianae, praeferentis? Utra ergo sententia eligatur, semper arma suppeditat Bellarminus quibus impugnetur. Ita si dicas, ut heic dicit Bellarminus, Vulgatam hodiernam esse Hieronymi, in proclivi est argumentari:

Quae translatio cedit antiquae Italae, ea minus recte a Concilio Tridentino declarata est authentica.
Atqui translatio Hieronymi cedit antiquae Italae.
Ergo minus recte a Concilio Tridentino declarata est authentica.

Major

Major patet. Ut enim versio aliqua pronuncietur authentica, *OMNIUM optimam & fidelissimam divini Spiritus interpretem esse oportet,* tantæque perfectionis, ut cudi non possit *quæ Spiritus sancti mentem verius ac*
col. 540 *melius explicet*; ceu Gretserus indicium facit. quemadmodum & Bellarminus ad auctoritatem editionis alicujus authenticam requirit, ut anteponatur ceteris: velut ex supra dictis liquet. Minor e testimonio Augustini, quod, ex libro ejus II de Doctr. Chr. cap. XV, heic laudat Bellarminus, evidens est. Si enim *omnibus* versionibus, (intellige Latinis) præferenda est Itala, ergo & Hieronymianæ. Amplius notetur, quod speciatim ad Augustini attinet ex libro XIIX de Civ. Dei cap. XLIII citatum testimonium, tantum abesse, ut pro dignitate translationis Hieronymi authentica id faciat, ut potius eandem diserte impugnet. Ita nimirum habet locus integer: *Non defuit temporibus nostris Presbyter Hieronymus, homo doctissimus, & omnium trium linguarum peritus; qui non ex Græco, sed ex Hebræo, in Latinum eloquium Scripturas converteret. Ejus tam literatum laborem quamvis Judæi fateantur esse veracem, LXX verò Interpretes in multis errasse contendant, tamen Ecclesiæ Christi tot hominum autoritati, ab Eleazaro tunc Pontifice ad hoc tantum opus electorum,* NEMINEM JUDICANT PRÆFERENDUM. *Quia, etsi non in eis unus apparuisset spiritus sine dubitatione divinus, sed inter se verba interpretationis suæ LXX docti more hominum contulissent, ut, quod placuisset omnibus, hoc maneret,* NULLUS EI UNUS INTERPRES DEBUIT ANTEPONI. Ubi vides, postponi Hieronymianam versionem etiam translationi LXXvirali, quam tamen illo tempore multis modis deprava-

depravatam fuisse, toties inculcat Hieronymus, agnoscitque noster supra capite VI. Tandem & hoc observetur, ne ipsos quidem Tridentinos ad illa Patrum testimonia, quæ Bellarminus citat, attendisse. Si enim cum Gregorio judicassent, Hieronymi *translationem ex Hebræo CUNCTA verius transfudisse*, eandemque cum Isiodoro absolute *ceteris antepoſuiſſent*, quod esset *veracior in sententiis, & clarior in verbis*; non prætulissent utique in determinatione versionis authenticæ Psalterii interpretationem antiqui interpretis ex Luciano. Si censuissent cum Augustino, antiquam Italam simpliciter *omnibus esse præferendam*, non prætulissent in reliquis, præter Psalterium, libris V. T. ὁμολογουμένοις translationem Hieronymianam. Quod tamen eos fecisse asseverat supra cap. IX Bellarminus. Et hactenus etiam de argumento secundo.

XI. Tertium, (quo, teste in Historia sua P. Sarpio, lib. II, in ipso etiam Tridentino Concilio quidam usi sunt) illud est: *Habuerunt Hebræi sua lingua authenticam Scripturam, Græci quoque habuerunt Græcè authenticam Scripturam, id est, Testamentum Vetus ex versione 70. & Testamenti Novi ipsos primos fontes; igitur æquum fuit, ut Latina Ecclesia, in qua sedes Petri est, & in qua perpetuò fides Christiana mansura erat, haberet sua lingua authenticam Scripturam. Non autem habuit aliam ferè à mille annis, quàm istam; igitur ista authentica censenda est.* *Arg. Bell. 3.*

XII. Cujus argumenti primum negatur consequentia; negatur, inquam, si Hebræi sua lingua Scripturam habuerint authenticam, sua Græci, huic consequens esse, quod oporteat etiam Latinos authenticam *Responsio.*

habere Scripturam lingua sua. Neque enim necesse est, ut ratione istiusmodi singularium beneficiorum omnes Ecclesiæ particulares ejusdem sint conditionis; sed fieri potest, ut uni præ altera heic aliqua prærogativa contingat. Sic v. g. Ecclesia Hebræorum intuita est coram docentemque audivit CHRISTUM in carne manifestatum; quod aliis non æque contigit: nonnullæ Ecclesiæ ab ipsis primum Apostolis fundatæ sunt, eosdemque vivos habuerunt magistros; id quod de aliis dici non potest, quarum tamen cetera haud fuit inferior dignitas. Etsi ejusmodi accidentariarum prærogativarum ratione Ecclesia Latina deberet per omnia par esse Hebrææ, etiam sua lingua Scripturas habere ipsam oporteret immediate θεοπνεύστως, uti sua lingua Ecclesia habet Hebræa: cum tamen, ipsomet Bellarmino largiente, nulla extet Scriptura Latina, quæ, ut talis, ex θεοπνευστία sit profecta.

XIII. Deinde, si recte rem expendas, causa quamobrem Hebræi habuerunt Scripturam sua lingua authenticam, sua lingua Græci, (puta ex parte, & ratione Testamenti Novi. nam quod ait Cardinalis, habuisse Græcos sua lingua authenticum quoque Testamentum Vetus ex versione τῶν LXX, id falsum esse supra capite VI evicimus) proprie non est, quod hinc dignitas aliqua peculiaris eorum deberet Ecclesiis accedere: sed placuit Spiritui sancto, ut Scriptura V. T. traderetur Hebræis sua lingua, quod tunc temporis non erat alius in toto orbe populus, cui DEus se revelasset, quodq; præter vernaculam Hebræam nullam aliam linguam illi intelligebant: Testamentum autem Novum Græce ab auctoribus suis θεοπνεύστοις scriptum est, (non certe solis

te solis Græcis, ut de singulari privilegio illi heic gloriari possint, sed etiam Latinis; cum Græce suam ad Romanos Epistolam scripserit Paulus,) quia scopus Apostolorum erat, Evangelium per universum orbem disseminare: id quod commodius fieri non potuit quam lingua Græca, quæ tunc erat communissima, &, ceu Tullius habet pro Archia, *in omnibus fere gentibus legebatur*; cum *Latina*, dicente eodem, *suis finibus exiguis contineretur*. Atque hoc agnoscit Bellarminus ipsemet infra capite xv, §. *Sed accedat*; ubi diserte ait, Apostolos Græce scripsisse, *quia tunc lingua Graca erat omnium communissima*. Confer Tract. de Lectione Scripturæ in linguis vulgo cognitis, num. xx, xxxII, xxxIV, xxxv. Quamquam vero postea usus Latini sermonis latissime patere inciperet, atque hinc universa Scriptura in eundem a multis certatim transfunderetur, numquam tamen scriptor extitit θεόπνευστος, qui Latinam versionem adornarit; sed humana concinnatæ sunt industria quotquot ea lingua umquam prodiere translationes, indeque auctoritatem authenticam, ut quæ ἀναμαρτησίαν in auctore necessario supponit, obtinere illarum nulla potest.

xiv. Quartum Bellarmini argumentum sic habet: *In Conciliis generalibus Ecclesia, aut paucissimi, aut interdum nulli inveniuntur lingua Hebraica periti: male igitur provisum esset Ecclesia, si in rebus gravibus non posset fidere Latina editioni, sed deberet recurrere ad Hebraicos codices, & mendicare à Rabbinis, hostibus suis, veritatem. Idem dicere possumus de Graca lingua. Nam etsi nunc utcunque multi inveniuntur qui Grace noverint, tamen non semper ita fuit. Nam si Ruffino credimus, lib. Histor.* *Arg. Bell. 4.*

 10. cap.

10. cap. 21. ex sexcentis Episcopis, qui ad Concilium Ariminense convenerunt, nemo fuit, qui sciret, quid sibi vellet ὁμοούσιος. *Et propterea, cum callidi quidam hæretici Ariani proponerent Synodo, an vellet Christum colere, an* ὁμοούσιον, *omnes clamaverunt, se nolle* ὁμοούσιον, *sed Christum.*

Responsio. XV. Resp. Aut intelligit heic Cardinalis per Concilia generalia, recentiora solum ista, quæ talia Pontificiis esse putantur; & sic negamus, ea vere esse generalia: aut respicit simul antiqua illa Ecclesiæ primitivæ, (quod posterius persuadet allatum ab ipso exemplum Synodi Ariminensis, quarto seculo habitæ) atq; ita absurdus est, si affirmat, non potuisse vetera illa Concilia sine magno incommodo carere versione authentica Latina, quod in iis paucissimi aut nulli inventi sint Hebraicæ & Græce linguarum periti. Quid enim? an omnes in priscis illis Synodis congregati Episcopi periti fuerunt linguæ Latinæ? Imo vero in Ephesinæ actis, parte II, act. II, legimus, literas a Celestino, Episcopo Romano, ad Concilium scriptas, oportuisse in Græcum transferri, quod non pauci congregatorum ibi Episcoporum Latine nescirent. Sic in œcumenico primo Niceno, in CCCXIIX illis, ex universo Oriente & Occidente, ipsa etiam Persia & Scythia, extra imperium Romanum, congregatis Patribus, vix octo fuisse legimus Latinos. Ut proinde invertere liceat Bellarmini argumentum, & ita concludere: In Conciliis generalibus priorum seculorum paucissimi inventi fuerunt linguæ Latinæ periti; male igitur provisum fuisset priscæ illi ac puriori Ecclesiæ, si editio Scripturæ Latina esset authentica. Et de quanam heic versione Latina loquitur

conf. Tr. de Lect. Script. in lingg. Vulg. n. 75.

Vid. Euseb. l. 3. de Vita Constant. c. 7.

tur Bellarminus? an de Vulgata, de cujus auctoritate in præsenti controvertitur? Atqui nimis ineptus est, si hanc authenticam fuisse vult tempore veterum Conciliorum, Niceni, Constantinopolitani, & (quod ipsemet in exemplum adducit) Ariminensis, ante celebratorum, quam Vulgata illa (posito nempe, quod ea sit Hieronymi, ut censet Bellarminus) lucem adspexisset. Si vero de alia quadam editione loquitur Cardinalis, Vulgata hodierna vetustiore, extra oleas ipsum ferri, nemo non videt. Unice enim nunc quæritur de editione Latina, quam authenticam pronunciarunt Patres Tridentini.

XVI. Quod ait Bellarminus, *male provisum esse Ecclesiæ, si in rebus gravibus non posset fidere Latinæ editioni, sed deberet recurrere ad Hebraicos codices, & mendicare à Rabbinis, hostibus suis, veritatem*; id nauci est. Esse enim e re Ecclesiæ, ut ortis dubiis & controversiis, ad Hebraicos codices recurratur, identidem inculcant magna illa Christiani orbis lumina, Hieronymus & Augustinus; docent Hilarius, Cassiodorus; quin ex ipsismet Pontificiis Cardd. celeberrimi, Ximenius & Cajetanus, Josephus item Acosta, Iesuita, Arias Montanus, Ioh. Driedo, Marcus Marinus, verbis ac locis supra cap. 11, 3. laudatis. Neque hoc est, a Rabbinis, Ecclesiæ hostibus, mendicare veritatem. Numquid enim auctores Hebraicorum Scripturæ codicum sunt Rabbini, ut ab his veritatem mendicare sit censendus quisquis textum sacri codicis Hebræum consulit? Aut num forte id vocat Cardinalis mendicare a Rabbinis veritatem, si linguam ab iis discas & idioma Hebræum? Hoc vero si quid absurdi habet & incommodi, quod-

que minus deceat Christianos, cur Hieronymus, tantus & tam sanctus Ecclesiæ Doctor, Rabbinis usus est Præceptoribus,& ab iis Hebræi sermonis peritiam,(non mendicavit quidem, sed) mercede ingenti didicit? cur Bellarminus ipsemet a Rabbinis veritatem emendicare non dubitat? ut infra capite XIII, §. *undecimus*: cur ibidem diserte ejus hyperaspistes Gretserus, *A quo*, inquit, *usus Hebraicarum vocum petenda* (petendus) *est? à Prædicantibus, an à Rabbinis?* Quamquam, si tempus spectes quo Latina vulgata authenticam apud Pontificios auctoritatem nacta est, omnino falsum sit, oportuisse tunc, qui Hebræum consulturus esset textum, ejus a Rabbinis sensum mendicare Grammaticum: quod non defuerint illo ævo (sicut nec hodie desunt) etiam inter Christianos viri linguæ sanctæ peritissimi, a quibus addiscere talia liceret.

col. 666.

Arg. Bell. 5. XVII. Ultimum Bellarmini argumentum est hoc: *Videmus, novos hæreticos, qui, contempta antiqua editione, novis interpretationibus student, adeo diversas & inter se dissentientes editiones cudere, ut nihil ferè certi ex eorum editionibus haberi possit. Quare Martinus Lutherus, in libro contra Zvvinglium de veritate corporis Christi in Eucharistia, Si diutius, inquit, steterit mundus, iterum erit necessarium, ut propter diversas Scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conservandam fidei unitatem, Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus.*

Responsio. XIIX. Resp. Qualis vero hæc argumentatio: Novæ Scripturarum translationes sunt diversæ inter se & diffidentes; ergo Vulgata vetus est authentica? Imo sic debebat concludi: Omnes omnino versiones, tum recentes,

tentes, tum antiquæ, variæ sunt & diversæ inter se, igitur *Latinæ linguæ homines duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem habent opus*, *Hebræa scilicet & Græca*, *ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas*; sicut probe monet Augustinus lib. II de Doctr. Christ. cap. XI. cui suffragatur heic Hieronymus, aliique præterea supra cap. II, 3. & VII, 10. citati magni nominis auctores. Extabant Augustini tempore Scripturarum tot Latinæ versiones, ut numerari nullo modo possent, ceu testatur ipse loco paulo ante memorato: & præferendam quidem inter illas censebat doctissimus Antistes translationem Italam, quod esset *verborum tenacior, cum perspicuitate sententiæ*, ibidem cap. XV; interim pro authentica ne hanc quidem habebat, sed juxta cum aliis ad fontes judicabat exigendam. Etenim *quæ sit ipsa sententia, quam plures interpretes pro sua quisque facultate conentur eloqui, non apparere* ait, *nisi in ea lingua inspiciatur quam interpretantur*, cap. XIII.

XIX. Gretserus cum Sacrobosco suo putat, esse Bellarmini argumentum satis efficax & validum, modo ejus verba fideliter referantur. *Nam*, inquit, *si hæretici, qui, contempta antiqua editione, aliter, quam illa, reddere student, male omnino vertunt, experientia teste, ex Lutheri ingenua confessione manifestum indicium est, recessum ab antiqua editione ad corruptionem tendere, &, è converso, accessum ad eam tendere ad perfectionem; quodque consequens est, oportere ut illa vera sit, fidelis, ac syncera.* *Gretseri in ane effugium, col. 556.*

XX. At esto hæc argumenti Bellarminiani sententia

tentia (quamvis ego id non credam) num efficax ita id erit validumque? Neutiquam profecto. Primo enim consequentia nihili est: Si, qui ab antiqua vulgata recedunt, & aliter, quam illa, reddere student, male vertunt, sequitur, recessum a Vulgata ad corruptionem tendere, & accessum ad eam, ad perfectionem. Potest enim aliquis & a Vulgata recedere, & male vertere, ut tamen causa malæ versionis non sit ille a Vulgata recessus. Ita, v. g. Dan. IX, 26. in Vulgata legimus: *Post hebdomades sexaginta duas occidetur* CHRISTUS; *& non erit eius populus qui eum negaturus est.* Pro quibus habet Sebastianus Munsterus: *& nihil supererit de eo.* Ubi male vertit Munsterus; non sane ideo, quod a Vulgata recedit, quæ heic mire hallucinatur ipsa; sed quod recedit a fonte Hebræo, in quo est ואין לו, quæ voculæ commodissime redduntur: *& non sibi*, (quomodo etiam heic Vulgatam emendat Osiander) *non sua causa*; ut sententia emergat elegantissima, CHRISTUM videlicet passurum ac moriturum esse, non sua causa, sed nostra; adeoque locus hic geminus sit illi Isaiano: *Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portavit*; item: *Propter prævaricationem populi mei plaga ei*; cap. LIII, 4. 8. Porro potest aliquis ad Vulgatam accedere, & tamen male vertere; quippe cum Vulgata sæpe vertat pessime: id quod ipsimet cordatiores Pontificii, etiam illi qui post Tridentinam Synodum scripsere, inficiari nequeunt. Ita Sixtus Senensis, sub finem Bibliothecæ sanctæ, *Ingenue fatemur*, ait, *in hac nostra nova editione* (de Vulgata hodierna loquitur) *nonnullas inveniri mendas, solœcismos, barbarismos, hyperbata, & multa parum accommodate*

Dan. 9, 26. obiter explicatur.

date versa, & minus Latine expressa, obscure & ambigue interpretata, itemque nonnulla superaddita, aliqua omissa, quædam transposita, immutata, ac vitio scriptorum depravata. Ad eundem modum Guilielmus Lindanus, Episcopus Ruræmundensis, tractatu de optimo Scriptur. interpretandi genere, agnoscit, in translatione ista *non pauca incommode admodum versa*, libro I, cap. XI; *quædam minus plene, adeoque minus bene ac vere transfusa*, lib. III, cap. I: agnoscit, eandem *Interpretis, si non ignorantia, certe oscitantia, a plano sensu ac genuino deturbatam* esse, ibid. cap. II; & loca habere *a scriptoris sensu aliene translata*, cap. III. Sed & Petrus Galatinus, libro III de Arcanis Catholicæ veritatis, cap. VI, scribit: *Author nostræ editionis æquivocatione vocabulorum deceptus, multa longe aliter transtulit, quam veritas Hebraica habeat.* Adde, qui vulgatam Latinam ex Hebræo Veteris & Græco Novi Testamenti textu corrigunt, observatos Gerhardo, lib. II Confess. Cathol. part. I, art. I, cap. II, thes. VI, pag. 147. seqq. & Chamiero, Tom. I Panstratiæ, lib. XIV, cap. IX, 17. seqq.

XXI. Ad Lutheri locum quod attinet, ex tractatu, cujus inscriptio: Daß diese Worte Christi (das ist mein Leib/etc.) noch fest stehen/ Tom. III Jen. G. f. 338. petitum, adeo is affertur inepte, ut suspicer, Bellarminum non evolvisse opus ipsum, ex quo depromptum illud testimonium, sed ab aliis citatum huc transtulisse. Nam quod Gretserus causatur, laudasse Cardinalem verba ut in versione Latina invenerit; nullatenus ipsum heic excusat; quandoquidem ita clarum est e contextu, non loqui Lutherum de in-

De loco Lutheri, quem Bell. citat.

Gretseri exceptio. col. 552.

terpretatione verborum, sed rerum: nec culpare varias Scripturæ versiones, sed dissidentes ejusdem expositiones, ut nemo sanæ mentis de hoc possit dubitare, sive Germanico idiomate librum legat, sive Latino. Ubi enim dixerat, cum olim in sensus adeo varios raperentur Scripturæ textus, ut quivis illos hæreticus, sectarius quivis, pro se laudaret Patres, obicem tantæ discordiæ posituros, Scripturis adjecisse Conciliorum decreta & statuta; subjungit, quandoquidem & nunc eo sit deventum, ut pro suo quisque arbitrio & commodo sacras literas pervertat ac torqueat, fore, ut tandem ad humana similiter consilia & decreta redeatur. Verba sunt: **Wo die Welt solt lenger stehen / wird man wiederumb / wie die alten gethan haben / umb solch Zwitracht willen / auch Menschliche anschlege suchen / und abermal Gesetze und Gebot stellen / die Leute in Eintracht des Glaubens zuerhalten. Das wird den auch gelingen / wie es zuvor gelungen ist.** *Si mundus diutius steterit, iterum, ut fecere veteres, propter istas discordias, humana etiam consilia quærentur, & denuo leges ac decreta condentur, quibus in fidei unitate serventur homines. Quod quidem negotium æque cedet ut antea feliciter.* Ubi nulla versionum sive translationum mentio. Et quid? annon ipse Bellarminus alibi, nempe libro III de Verbo DEI, cap. I, §. *Accedat,* diserte locum hunc de interpretatione rerum accipit?

Nova exceptio Gretseri. col. 553.

XXII. Gretserus quidem heic, *Sed unde potissimum,* inquit, *variæ istæ expositiones Scripturæ, nisi ex diversis translationibus? Nunquam enim magis dissonæ explanationes exstiterunt, nisi postquam adeo diversæ versiones in lucem prodierunt.* XXIII.

XXIII. Verum quis non videt, quam frivola sit hæc exceptio? Quæstio est, num Lutherus memorato loco in diversas Scripturæ translationes fuerit invectus. Negaverat Hunnius, & dixerat, *non loqui* ipsum *de versionibus integris integrorum Bibliorum, sed de varia interpretatione locorum Scripturæ, sive glossis, quibus heretici Scripturas ad suum institutum detorquere soleant.* Putat Gretserus, nihilominus Luthero recte adhuc tribui, quod reprehenderit citatis verbis diversas Bibliorum translationes, siquidem culpaverit varias eorundem expositiones, quæ diversis istis versionibus originem, inprimis debeant. Quid ineptius? Primo falsum, varias Scripturarum translationes potissimam esse causam dissidentium expositionum. Aliud docet Augustinus, libro II de Doctr. Christ. cap. XI, XII. Ubi enim dixerat, tot fuisse suo tempore versiones Latinas, ut numerari non potuerint; subjungit: *Quæ quidem res plus adjuvit intelligentiam, quam impedivit, si modo legentes non sint negligentes.* Confer supra cap. IIX. Deinde esto, quod versiones variantes discordantium causa sint explanationum, an propterea idem sunt variæ versiones & discrepantes expositiones, ut, qui de his loquitur, recte dicatur loqui de illis? — *refutatio.*

XXIV. Atque sic expendimus argumenta, quibus αὐθεντίαν vulgatæ versionis stabilire satagit Bellarminus: restat, ut *aperta* illa *mendacia*, quæ Martinum Kemnitium & Joannem Calvinum suis contra Vulgatam argumentis admiscuisse idem hoc capite scribit, paucis nunc etiam consideremus.

XXV. Primum ergo Calvini mendacium esse — *Dol. menda.*

Calvini objectio.

ait Bellarminus, quod dicat, *nec judicio, nec recto delectu factum esse, ut ex interpretationibus diversis una obtinuerit inter indoctos.* Etenim, ait Cardinalis, *cum, omnibus interpretationibus abolitis, hac nostra supra mille annos in usu totius Latinæ Ecclesiæ fuerit, aut nulli fuerunt totis mille annis in Ecclesia docti, aut impudenter mentitur Calvinus. Deinde* (ita pergit) *Sophronium, Augustinum, Gregorium, Isidorum, Bedam, Anselmum, Rupertum, Bernardũ, aliosq; tam multos insignes viros non existimo inter indoctos numerandos esse: & tamẽ isti omnes editionem nostrã aut inter cæteras, aut etiam præter cæteras laudarunt*

XXVI. Resp. Mirum vero, quod Bellarminus, dum Calvinum mendacii reum agit, ipse sibi a mendacio non temperet. Ait nempe, omnibus interpretationibus abolitis, Vulgatam supra mille annos in usu totius Latinæ Ecclesiæ fuisse. Id quod longe falsissimum esse, supra num. III evidenter ostensum. Deinde Calvinus, quando unam Vulgatam tandem obtinuisse dicit inter indoctos, non intelligit indoctos simpliciter, sed imperitos linguarum. Ita nimirum ejus habent verba, in Antidoto Concilii Tridentini, ad sess. IV: *Factum est, nescio quibus modis, certe nec judicio, nec recto delectu, ut ex interpretationibus diversis una obtinuerit inter indoctos, saltem qui, nulla linguarum notitia instructi, qualecunque ignorantiæ suæ subsidium quærebant.* An vero negare sustinebit Bellarminus, homines illorum temporum, quando ex interpretationibus diversis una obtinuit Vulgata, linguarum fuisse rudes? De Hebræa certe & Græca lingua nullum potest esse dubium, puta quarum ignorantiam paulo antea, Vulgatæ αὐθεντίας demonstraturus, prætexebat Cardinalis ipsemet.

met. Sed de Latina quoque res in aprico. Utut enim hanc non penitus ignoraverint, stylo tamen utuntur deformi adeo & corrupto, ut quemvis alium potius quam nativum sermonem Latinum audire te existimes, eorum scripta si legas. Sophronium, Augustinum, Gregorium, huc non pertinere, ex se liquet: cum de iis tantum loquatur Calvinus, inter quos una obtinuit Vulgata, in horum autem numerum non veniant, ipsomet fatente Bellarmino, jamjam memorati Patres. Sed & Isidorus, Beda, Anselmus, Rupertus, Bernardus, aliique multi insignes viri, qui editionem vulgatam, aut inter ceteras, aut etiam præter cæteras laudarunt, cur opponuntur Calvino? An forte idem sunt, versionem aliquam a Doctoribus laudari, &, eam unam, sive solam inter illos obtinere?

XXVII. Secundum Calvini mendacium, censente Bellarmino, illud est, quod scribit, *decrevisse Tridentinos Patres, minime esse audiendos eos, qui ex fonte ipso purum liquorem proferunt, & ex certa veritate falsum coarguunt. Hoc ideo mendacium voco*, ait Cardinalis, *quod nihil ejusmodi in decreto Concilii legatur. Nec enim Patres fontium ullam mentionem fecerunt; sed solum ex tot Latinis versionibus, quæ nunc circumferuntur, unam delegerunt, quam ceteris anteponerent, & (quod Ecclesiæ gravitatem & constantiam decebat) antiquam novis, probatam longo usu recentibus adhuc, ac, ut sic loquar, crudis, denique, unam multis inter se dissidentibus & pugnantibus prætulerunt.* Quibus Bellarminianis gemina plane habent Alph. Salmeron lib. I, proleg. III in Evangelia, Simeon de Muis, præfat. in Psalmos, Philippus Gamachæus ad I Thomæ, quæst. I. *De mendacio Calvini 2,*

XXIIX. Respondet autem Hunnius noster: *Quamvis Patres Tridentini Concilii fontium non faciant mentionem explicitam, tamen, dum versionem Latinam faciunt authenticam, & omni ex parte sacrosanctam haberi jubent, sponte jam sequitur id, quod Calvinus eis tribuit. Nam si maximè versio Latina vulgata ab Hebrais fontibus dissentiat, (sicut facit frequentissime) tamen, si Latina jubetur omni ex parte haberi authentica, jam consequens est, audiendos eos non esse, qui ex fonte ipso purum liquorem proferunt, & certa veritate (Hebraica) translationis Latinæ falsitatem coarguunt.*

Gretseri exceptio. col. 553.

XXIX. Ad quæ Gretserus, *Negamus*, ait, *hoc sequi. Nam, si quid purum adferatur ex fontibus, id numquam dissentiet à latina editione vulgata; si autem dissentiat, jam hoc ipso purum non erit. Impudenter igitur mentitur Calvinus, Patres Tridentina Synodi statuisse, minimè audiendos esse alios, etiamsi ex fonte ipso purum liquorem adferant. Si purus sit, obviis ulnis acceptabitur, quia non divertet ab ea editione, quam Tridentini Patres authenticam esse declararunt. Si autem divertat, jam liquor purus non erit.* Quæ eo unice tendunt sane, ut translatio norma constituatur textus originarii. quod ipsi rerum indoli totique antiquitati adversatur: quæ cum Hieronymo, epist. XXIIX, ad Lucinium, statuit, *ut veterum librorum fides de Hebrais voluminibus examinanda: ità novorum Graci sermonis* NORMAM *desiderare*; & cum Augustino, libr. XV de Civ. Dei cap. XIII, ut, *quum diversum aliquid in utrisq. codicibus invenitur, ei lingua potius credatur, unde est in aliam per Interpretes facta translatio.* Vide supra cap. II, 2.

XXX.

XXX. Notetur porro, quod ait heic Gretserus, si purus sit Scripturarum fons, obviis ulnis acceptatum iri, id ex animi sententia ipsum haud loqui, ut cujus diserta verba sunt, supra cap. II; *Licet fons ille numquam lutulentus, sed semper & ubique limpidus flueret, adhuc tamen, omnia ad Hebraicum textum jam post tot secula corrigenda & exigenda esse, non persuaderet.* Quibus si jungas illa Ludovici de Tena, ex Professore Complutensi Episcopi Dertusiensis, Isagog. ad Scriptur. lib. I, diff. VI, sect. III: *Licet essent nunc incorrupti codices Graci & Ebrai, tamen, cum eorum voces habeant tam varias significationes, nec Ecclesia hactenus definierit, qua earum sint retinenda, bene tamen in Vulgata; hinc est, istam esse priori loco venerandam, ad eamque, ut Lydium lapidem, seu, ut clarius loquar, tanquam ad authenticam regulam fidei, semper esse recurrendum, etiam in levibus:* hæc, inquam, & similia, si ipsius Gretseri ingenuæ, quam supra dabamus, confessioni jungas, liquido patet, vanum esse illud de fontium puritate ac impuritate effugium, & Pontificios, decreto Tridentino innixos, simpliciter Vulgatam suam textui præferre originali; indeque frustra Bellarminum mendacii postulare Calvinum, quod tale quid Tridentinis tribuat; frustra quoque eundem dicere, Patres illos *solum ex tot Latinis versionibus unam delegisse, quam cateris anteponerent.* Quasi nempe Vulgatam nude tantum anteposuissent versionibus Latinis ceteris, (quod etiam sine collato *αὐθεντίας* axiomate fieri potuisset) & non ipsis quoque eam prætulissent fontibus, tamquam *priori loco venerandam*, atq; ut *authenticam regulam fidei, etiam in levibus*; ceu loquitur de Tena. XXXI.

col. 447. Vulgata hactenus simpliciter fontibus præfertur a Pontificiis.

XXXI. Et si mendacii reus est, qui dicit, Concilium Tridentinum vulgatam Latinam prætulisse fontibus, mendax quoque erit ille, ipsomet Pontifice Clemente ux judice, *Doctor Doctorum*, Gregorius de Valentia, ut qui in epistola ad Nicol. Serarium, XVI Octobr. anni XCVI data, diserte scribit, *authoritate & definitione Concilii Tridentini vulgatam editionem Latinam, OMNIBUS EDITIONIBUS, CUJUSCUNQUE SINT IDIOMATIS* (ergo sane editionibus etiam Hebraicis & Græcis, atque sic ipsis fontibus) *fuisse prælatam.* Quibus adde quæ habet Michael le Jay, præfatus in opus Biblicum Parisiense, de quo infra: *Pro certo & indubitato apud nos* (Pontificios) *esse debet, Vulgatam editionem, quæ communi Catholicæ ecclesiæ lingua circumfertur, verum esse ac genuinum S. Scripturæ fontem: hanc consulendam ubique; inde fidei dogmata repetenda.*

Vid. Ad. Conzen. 5. Pol. 1.

De 3. Calvini mendacio.

XXXII. Tertium Calvino imputatum mendacium est, quod scripserit, *adeo nullam esse in vulgata editione integram paginam, ut vix tres sint continui versus non insigni aliquo errore fœdati.* Ad quod Bellarminus, *Si ita est*, inquit, *cur ibidem Calvinus, cum suscepisset notandos locos in Psalmis perperam versos, nihil omnino in primi Psalmi translatione notavit? Non habet fortasse primus Psalmus tres continuos versus?*

XXXIII. Verum non loqui heic Calvinum exquisite, sed ὑπερβολικῶς, per se patet. Et nulla est consequentia: In primo Psalmo vulgatæ editionis nihil omnino notavit Calvinus; igitur apertum est mendacium, quod idem ait, in editione vulgata *vix esse tres continuos versus non insigni aliquo errore fœdatos.* Hoc enim si procederet, aperte etiam mendax fuerit Juvenalis, scribens Sat. XIII, 26.

Rari quippe boni; numero vix sunt totidem, quot
Thebarum porta, vel divitis ostia Nili.

Atque tantum de mendaciis, quæ Calvino improperat Bellarminus.

XXXIV. Quod ad illa nunc porro attinet, quæ Chemnitio nostro idem objicit, eorum primum esse ait, quod dicat, *Concilium Tridentinum decrevisse, ut pro iis, quæ Spiritus sanctus in fontibus Hebraicis & Græcis scripsit, ea recipiamus, quæ à librariis mutata, mutilata, vel addita sunt. Hoc esse mendacium manifestum,* inquit, *nemo non intelligit. Quis enim, non dico Catholicus, sed sana mentis homo, unquam diceret, librariorum vitia suscipienda pro Spiritus sancti verbis? Deinde, nonne Concilium eodem loco jubet, ut sacra Biblia, quam emendatissime fieri poterit, imprimantur?* *De I. mendacio Chemnitio objecto.*

XXXV. Resp. Ita est: decrevit hoc Tridentina Synodus. Utque decreto illi fieret satis, Sixtus V, Romanus Pontifex, Vulgatam hanc non tantum per viros aliquot eruditos castigari ac emendari jussit, sed &, (ut in bulla editioni suæ præfixa testatur) quo res magis incorrupte perficeretur, sua ipse manu correxit si qua prælo vitia obrepserant: indeque omnes Bibliorum codices secundum illud suum exemplar inposterum imprimendos esse sanxit, ne minima quidem particula mutata, addita, vel detracta. Verum elapso vix biennio post Sixti mortem Clemens IIX novam editionem adornavit, usque adeo a Sixtina diversam, ut Thomas Jamesius in peculiari libro de hoc argumento sub titulo *Belli Papalis* emisso, duo millia circiter notarit loca, quibus posterior hæc a priori discrepat. Tametsi autem, plurima, quæ in *De emendatione Vulgata Sixtina & Clementina.*

Sixtina editione fuerant, errata, in Clementina sublata fuisse, recteque emendata, negare non licet; interim neque hanc talem esse, quæ dici possit omnibus numeris absoluta, & quædam in ea, quæ mutanda videbantur, consulto relicta esse immutata, præfatio fatetur eidem præmissa. Cujus auctor quod sit Bellarminus, ex Correctoribus Clementinis unus, annotat in ipsius vita Jac. Fuligattus, lib. II, cap. IX. Vide etiam epistolam ad Jacobum Blasæum, quam alteri suo de variis Latinæ vulgatæ lectionibus libello præmisit Fr. Lucas Brugensis. Quin hoc ipso, quem nunc examinamus, libro II de Verbo Dei, supra cap. II, ait noster, *Ecclesiam pati* in editione vulgata *nonnullos errores Typographorum*, quod longo tempore ibi fuerint, ideoque sine turbatione & scandalo populi non possint auferri. Quibus plane gemina habet, sub finem libri IIX Bibliothecæ sanctæ, Sixtus Senensis, & Commentar. in IV Regg. XIV, 18. Gaspar Sanctius. Unde manifesto patet, quidquid etiam decreverit Synodus Tridentina, in hunc usque diem, ipsismet fatentibus Pontificiis, versionem vulgatam haud fuisse ita emendate editam, ut non relicta in ea sint, etiam de industria, quædam typographorum menda. Sed & hoc inde liquet, non mentiri, quisquis Pontificiæ tribuit Ecclesiæ, quod pro iis, quæ Spiritus sanctus in fontibus Hebraicis & Græcis scripsit, illa proponat recipienda quæ a librariis mutata sunt.

XXXVI. Ecce enim argumentum evidens:

Quæ Ecclesia sine ulla exceptione ut authenticam recipi jubet editionem Bibliorum, in qua data opera patitur errores typographorum, ea pro his, quæ

quæ Spiritus sanctus in fontibus Hebraicis & Græcis scripsit, illa proponit recipienda, quæ a librariis & typographis mutata sunt.

Jam vero Ecclesia Pontificia sine ulla exceptione ut authenticam recipi jubet editionem Bibliorum, in qua data opera patitur errores typographorum, E.

Major plana. Etenim qui sine ulla exceptioné ut authenticam recipere jubet Bibliorum editionem, in qua habentur, & quidem consulto, tamquam genuina Scripturæ sacræ pars, errores typographorum, is ipsos illos typographorum errores jubet recipere: & qui istos jubet recipere errores typographorum, is utique recipere jubet pro iis, sive loco eorum, quæ Spiritus sanctus in fontibus Hebraicis & Græcis scripsit. Quid manifestius? Porro & Minor certissimæ est veritatis. Jubet nimirum Tridentina Synodus ita Vulgatam habere pro authentica, *ut nemo illam rejicere QUOVIS PRÆTEXTU audeat vel præsumat.* Et ne quis causaretur, laborare eam mendis librariorum, sancitur mox eodem loco, *ut quam emendatissime imprimatur.* Cui decreto cum satisfactum esse editione Clementina testetur, quæ eidem præmissa, Bellarmini præfatio, hanc editionem talem esse oportet, quam, si suum debeat constare robur Concilio Tridentino, nemo rejicere possit ullo prætextu, adeoque nec illo, quasi librariorum typographorumque habeat errores. Quod tamen hujusmodi erroribus laboret, eosdemque consulto & data opera Ecclesia Romana toleret, rursum ex ipsiusmet Bellarmini confessione constat. Diserta namque ejus sunt verba; in præfatione quidem editionis Clementinæ:

næ: *In pervulgata lectione, ficut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt*; in epiſtola autem quam citat Lucas Burg. præfatione ad Blaſæum: *Scias velim, Biblia vulgata non eſſe a nobis*, qui, juſſu Clementis IIX, correctioni præfuimus, *accuratiſſime caſtigata: multa enim de induſtria, juſtis de cauſis, pertranſivimus, quæ correctione indigere videbantur.* Atque hæc capienda eſſe, non de verſione in ſe, ſed de mendis librariorum depravatorumque erroribus, docent, quæ mox, num. XXXVI, ſumus producturi. Confer quæ habet huc facientia ex Jeſuitarum ſocietate Joannes Mariana, libro pro editione vulgata cap. XXII, & Johannes Morinus, Congregat. Oratorii Pariſ. Presbyter, in epiſtola ad Card. Barberinum, quæ inter Diſſertationes Epiſtolicas de Eccleſiæ Or. antiquitatibus eſt LXXXIII.

De 2. mendacio Chemnitio tributo.

XXXVII. Secundum, quod Chemnitio Bellarminus imputat, mendacium eſt: *In Indice librorum prohibitorum à Paulo IV. edito, damnari omnes editiones Bibliorum, etiam veteris interpretis, in quibus vel manifeſtiſſima quædam in vulgata editionis errata correcta ſunt. Hoc etiam craſſiſſimum mendacium eſt*, ait Cardinalis. *Non enim damnantur in eo Indice niſi editiones quædam ab hæreticis vel ſuſpectis impreſſoribus factæ, & omnes aliæ permittuntur.*

XXXIIX. Reſp. Dupliciter dici poteſt editio vulgata corrigi, (1) ut menda tantum, quæ ex librariorum & typographorum incuria in textum irrepſere, tollantur, ipſa verſione antiqua in ſeſe relicta per omnia immutata; (2) ut ipſa translatio, ſicubi a textu originali enormi-

normiter deflectat, emendetur, ac, ubi & quousq; impegerit vetus interpres, indicetur. De posteriore corrigendi ratione haud dubie loquitur Chemnitius. Et ita certissimum est, non a Paulo IV tantum, sed omnibus etiam aliis Pontificibus, eorumque asseclis, damnari editiones quotquot hoc pacto vulgatæ Latinæ textum corrigunt. Neque enim hujusmodi emendationem, sed illam tantum, qua librariorum errores similesque maculæ auferuntur, Tridentina Synodus permittit. Unde supra memorata editionis Clementinæ præfatio protestatur, *sacræ Congregationi Amplissimorum Cardinalium, aliisque eruditissimis viris ad hoc* Vulgatam castigandi *opus à sede Apostolica delectis, propositum non fuisse, antiquum Interpretem* ULLA EX PARTE *corrigere vel emendare; sed ipsam veterem ac vulgatam editionem Latinam, à mendis veterum librariorum, nec non pravarum emendationum erroribus, repurgatam, suæ pristinæ integritati ac puritati, quoad fieri potuerit, restituere, eaque restituta, ut quam emendatissime imprimeretur, juxta Concilii œcumenici decretum, pro viribus operam dare.*

XXXIX. Tertium Chemnitii mendacium esse ait Bellarminus, *Concilium Tridentinum sess. 21. c. 2. ut probet, Ecclesiam habere auctoritatem dispensandi in Sacramentorum substantialibus contra institutionem Christi, abuti æquivocatione veteris versionis, ubi 1. Corinth. 4. ministri Christi vocantur dispensatores ministeriorum Christi.* Atque heic exclamat Cardinalis: *Bone Deus! quanta est hominis heretici impudentia, ut crassissima mendacia pro veritate obtrudere non vereatur. Nam* (ita pergit) *Concilium ibidem diserte testatur,*

De 3. quod Chemnitio objicitur mendacio.

statur, Ecclesiam non posse mutare substantialia Sacramentorum, sed tantum statuere modum & ordinem, quo Sacramenta administrari debeant. Deinde Concilium non abutitur voce dispensatoris, ut Kemnitius somniat: non enim dicit, Ecclesiam posse dispensare in Sacramentis, quomodo dispensat in votis, & legibus; sed posse dispensare Sacramenta, id est, administrare, porrigere, tradere fidelibus, & instar fidelis ac prudentis œconomi, in dispensandis bonis domini sui, & familia alenda, certam rationem & modum posse præscribere, modo nihil fiat contra leges & mandata Principis.

XL. Resp. Duo heic Chemnitio objicit Bellarminus. Unum est, quasi Patribus Tridentinæ Synodi tribuat, quod statuerint, Ecclesiam posse mutare ea, quæ, ex ipsorum mente, Sacramentis *sint* substantialia: alterum, quod eosdem abuti dicat voce *dispensationis*, quæ habetur 1 Cor. IV, 1. Verum quod ad prius, quando Concilium Tridentinum id agere scribit Chemnitius, ut probet, Ecclesiam habere potestatem dispensandi in Sacramentorum substantialibus, nihil aliud intendit, quam, Tridentinos probare velle, Ecclesiam potestatem habere dispensandi in iis, quæ (licet non ex ipsorum opinione, tamen) secundum rei veritatem ad Sacramentorum substantiam pertinent; v. g. quod possit sancire communionem sub una specie, cum tamen Christus instituerit duas. Quantum ad posterius, non profecto id agunt citato loco Patres, ut decernant, & ex Apostolo probent, Ecclesiam posse Sacramenta dispensare, hoc est, administrare, porrigere, tradere. Quorsum enim & contra quos tale condidissent decretum? quidque heic probatione

batione opus erat? Sed declarant, Ecclesiam posse *in sacramentorum dispensatione*, id est, admistratione (heic enim tali significatu *dispensationis* vocabulo illos uti, largimur) *ea statuere, vel mutare, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorũ venerationi, pro rerũ, temporũ, & locorũ varietate, magis expedire judicet.* Utq; hoc probent, ad Pauli testimonium provocant, dicentes: *Id Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait: Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Ubi si dispensatorem esse mysteriorum Dei, seu dispensare mysteria Dei, ex mente & sententia Tridentinorum idem est quod illa administrare, probatio ipsorum erit hæc: Ecclesiæ est, docente Apostolo, Sacramenta administrare & porrigere; ergo eadem in administratione hac pro ratione circumstantiarum aliquid mutare potest. Nugæ! Quidquid ergo dicat Bellarminus, certum est, Synodum ludere homonymia vocabuli *dispensationis*.

XLI. Postremum Chemnitii mendacium esse ait Bellarminus, *Concilium Tridentinum ideo voluisse vulgatam editionem esse authenticam, quia tota transformata est ad dogmata Pontificia. Quod mendacium*, inquit, *non solum est hominis impudentis, sed etiam imprudentis; siquidem contra suum auctorem maxime pugnat. Si enim Pontificia dogmata habentur in editione vulgata, sequitur, Pontificia dogmata esse antiquissima, & ipsorum dogmata contraria plane esse recentia: nam editionem vulgatam etiam ipsi fatentur esse vetustissimam. Præterea, si editio vulgata facta esset post Lutheri tempora, esset aliqua ratio suspicandi, eam esse accommodatam de industria ad Pontificia dogmata. At facta est ante* *De 4. mendacio Chemnitio affícto*

mille annos; & omnia, quæ illi reprehendunt in vulgata editione, nos ostendemus sic esse citata ab antiquissimis Patribus, & semper sic fuisse in vulgata editione.

XLII. Resp. Viderit vero rursum Bellarminus, ne mendacii reus fiat ipsemet, dum id alteri impingere satagit. Ubi enim dicit Chemnitius, *TOTAM* versionem vulgatam transformatam esse ad dogmata Pontificia? Verba ejus sunt: *Nonnulla est causa, quare tam acriter & pertinaciter* Papistæ *pro erratis vulgatæ editionis dimicent. In MULTIS enim LOCIS transformata est ad dogmata Pontificia.* Nec est, ut excipiat Gretserus, *licet Kemnitius non dixerit, totam simpliciter Scripturam vulgatæ versionis ad dogmata Pontificia esse concinnatam; quandoquidem non habuerit omnia dogmata, quæ in vulgata editione traduntur, pro Pontificiis: non esse tamen dubium, quin totam censuerit conformatam ad illa dogmata confirmanda, quæ nos inter & illos* (inter Protestantes ac Pontificios) *controversa sunt.* Falsissimum namque est, quod Chemnitius censuerit, totam editionem vulgatam esse conformatam ad illa dogmata confirmanda quæ Protestantes inter & Pontificios controversa sunt; cum ipsemet, in præcipuis etiam quæ cum Papistis nobis intercedunt controversiis, Scripturæ loca, quibus nostram sententiam contra eosdem firmat, plerumque ita recitet ut in vulgata Latina habentur; quod vel ex ipso Tridentini Concilii Examine patet. Sed neque illud ejusdem Gretseri procedit effugium, Bellarmini locutionem συνεκδοχικῶς accipiendam; cum nihil usitatius, quam dicere: *totus es niger*, si parte aliqua niger sis. Licet enim talis loquendi ratio inusitata non sit, inusitatissimum tamen

Gretseri exceptiones refelluntur, col. 559.

meer. ſt ſinceri pectoris ſcriptoribus, verba auctorum ita citare, ut propriæ illorum locutiones transformentur in improprias.

XLIII. Sed videamus cetera Bellarmini. Ait, aſſertionem Chemnitii contra ſuum auctorem maxime pugnare. *Si enim*, inquit, *Pontificia dogmata habentur in editione vulgata, ſequitur, Pontificia dogmata eſſe antiquiſſima, & ipſorum* (Proteſtantium) *dogmata contraria plane eſſe recentia: nam editionem vulgatam etiam ipſi fatentur eſſe vetuſtiſſimam.*

XLIV. Ubi initio non eſt contra Chemnitinm, vel nos, quod quædam Pontificiorum dogmata ſint antiquisſima; ut qui haud inviti largimur, conſpirare Papiſtas in erroribus non paucis cum vetuſtiſſimis etiam hæreticis. Vide inter alios id demonſtrantem Andr. Rivetum in Catholici ſui Orthodoxi prooemio, quæſtione I. Deinde haud ſequitur, ſi Pontificiorum dogmata nonnulla ſunt antiquiſſima, quæ iis oppoſita, dogmata Proteſtantium, plane eſſe recentia. Nam & v. g. pſeudapoſtolorum illud dogma, quod circumciſio & Leviticarum ceremoniarum obſervatio converſis gentibus ad ſalutem neceſſaria, Act. XV, I, 6. antiquiſſimum eſt, neque tamen idcirco Apoſtolorum dogma contrarium est valde recens.

XLV. Si obvertas: Bellarminum id velle, quod dogmata Pontificia, cum in Vulgata editione habeantur, ſint antiquisſima Eccleſiæ dogmata; reſpondemus, non ſtatim id habendum eſſe pro dogmate Eccleſiæ, quod inſinuare videtur prava aliqua Scripturæ translatio. Nam &, v. c. in Græca τῶν LXX verſione, Proverb. IIX, 22. Sapientia hunc in modum loqui in-

troducitur: κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ. in quibus verbis potiſſimum ſuæ cauſæ robur olim collocabant Ariani, filium DEI creaturam eſſe docentes. Nec poterat ſane pro ipſorum ſententia plauſibilius quid dici. Abſit autem, ut ideo antiquiſſimum Eccleſiæ dogma cenſeri debeat, filium DEI (ſenſu Ariano) eſſe creaturam. Quin potius id egerunt veteres Eccleſiæ Doctores, Hebraicæ linguæ (cujus alioquin ſubſidio facile nodum hunc ſolvere potuiſſent) non ſatis gnari, ut oſtenderent, non poſſe hujus loci eam eſſe ſententiam, quæ filio DEI æternitatem, quam tot ipſi clariſſima Scripturæ teſtimonia alias tribuunt, negatum eat, ſed aliam ejus interpretationem conſtanti ſacri codicis doctrinæ analogam esſe quærendam: quemadmodum inprimis ex Athanaſii ſcriptis notum.

XLVI. Ulterius ita noſter Cardinalis: *Si editio vulgata eſſet facta poſt Lutheri tempora, eſſet aliqua ratio ſuſpicandi, eam eſſe accommodatam de induſtria ad Pontificia dogmata. At facta eſt ante mille annos; & omnia, quæ illi (*Proteſtantes*) reprehendunt in Vulgata editione, nos oſtendemus ſic eſſe citata ab antiquiſſimis Patribus, & ſemper ſic fuiſſe in vulgata editione.*

XLVII. Ubi Chemnitio tribuitur, ac ſi ſtatueret, eſſe vulgatam editionem de induſtria accommodatam ad Pontificia dogmata: quod tamen ille non dicit; ut qui, ceu e contextu patet, hoc tantummodo vult, ita multis in locis transformatum ſive translatum eſſe textum ſacrum a Latinæ veteris conditore, ut ſpecioſe ſatis dogmata ſua nonnulla inde ſtabilire poſſint Pontificii: nequaquam addens, quod hujusmodi errorum fulturam

ram intenderit primus versionis auctor. Et tantū etiam de mendaciis Chemnitio affictis.

XLIIX. Tandem, conclusurus præsens caput Bellarminus, *Adversarii*, inquit, *quod ipsi faciunt, idem etiam ab aliis fieri credunt. & quia Martinus Lutherus Biblia pessima fide convertit, ut patet ex Johanne Cochlæo, in vita & actis Lutheri, anni 1522. ubi legimus, in nova translatione Testamenti Novi per Lutherum facta, fuisse notata ad mille loca immutata, id est, addita, vel detracta, vel depravata: idcirco putant, etiam Catholicos hoc facere. Sed certè falluntur. Fides enim Catholica non eget præsidiis mendaciorum, ut illorum figmenta.* *Calumnia Bell. de Versione Lutheri Germ.*

XLIX. Ubi, quod de Lutheri versione affert Cardinalis, quoniam nudo mendacissimi Cochlæi testimonio id firmat, nullam responsionem meretur. Sane nec ipse Emserus, qui Lutheranæ se translationi ex professo objecit, eo impudentiæ est progressus, ut mille ejusmodi loca se notasse ausus sit profiteri, sed vel dimidium sufficere heic posse ad denigrandum Lutherum censuit; (ni forte jactatis illis depravationibus annumerare velis loca, ubi, ceu quidem Emserianæ versionis editori visum, verbis minus verecundis in transferendo usus Lutherus; ut quando, e. g. Matth. 1, 23. Græca: ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει, reddit: Eine Jungfraw wird schwanger seyn. pro quo in Emseriana editione est: eine Jungfraw wird im Leib haben; pudica scil. emendatione.) Septem enim dumtaxat & sexcenta numerat; quæ tamen ipsa non Lutheri malitiam, sed Emseri manifesto testantur, aut imperitiam, aut cavillandi pruritum. Simulac nempe omittitur aliquid in illa versione quod extat in vulgata Latina, aut aliquid ibi habetur quod *conf. c. 26. n. 18.*

heic prætermittitur, vel alias translatio Latino ex asse non respondet, malæ fidei postulatur Lutherus, (vide infra cap. XIV, 16. seqq.) quasi videlicet Latinum potius textum, quam ipsum fontem Græcum, versione sua exprimere is voluisset! Sed de his alibi agitur.

Pontificii quomodo aliorum scripta adulterent.

L. Quod porro Bellarminus ait, fidem Catholicam, id est, Papisticam, non egere præsidiis mendaciorum, indeque suspicionem, ac si scripta dogmatibus ipsorum non satis conformia, immutent ac depravent, a Pontificiis suis amoliri satagit, nimis frivolum est. Ecquis enim ignorat, quanta sit eorum, qui Romano Pontifici adhærent, in castrandis corrumpendisque veterum monumentis impudentia, quanta temeritas? Audi, quid hac de re narret, in præfatione quam Indici expurgatorio præfixit, Fr. Junius. *Rem meis oculis visam*, ait, *ad exemplum afferam. Ante annos viginti septem, quum Lugduni agerem, (egi autem M. D. LIX. & sequente,) correctore quodam typographico usus sum familiariter, cui Ludovico Saurio fuit nomen. Habitabat ille non procul à Mercuriali vico, in ædibus conjunctis trium columbarum signo. Cum ad salutandum hominem venissem, casu, vel potius singulari Dei providentia, accidit, ut versantem eum offenderem in recognoscendis D. Ambrosii operibus, quæ tum Frelonius excudebat. Variis autem sermonibus ultro citroque habitis, quum me avocamento esse ab opere nolle ostenderem, ille redorsus lectionem unius paginæ, videsne, inquit, hanc formam Ambrosianæ editionis nostræ, quam sit elegans, accurata, & in speciem omnibus anteponenda aliis quæ adhuc in lucem prodierunt? Postea contuenti opus, & probanti elegantiam ejus, dixit: ego vero, si quod exem-*

exemplum Ambrosiani operis mihi emendum esset, quodvis exemplum aliud potius, quam hoc, quod vides, compararem. Sciscitatus sum hujus dicti causam: tum ille de forulis sub mensa sua latentibus aliquot paginas promens, (erant autem paginæ, ut loquuntur Græci, κεχιασμέναι, sive cancellatæ, aliæ ex parte, & aliæ universæ) hæc est, inquit, prima forma paginarum, quas his paucis diebus ad exemplum veteris & certi exemplaris optima fide expressimus; Franciscani autem duo pro auctoritate has omnes paginas dispunxerunt, ut vides, & illas substitui in locum priorum curaverunt, præter omnem nostrorum librorum fidem.

LI. Gemina iis sunt, quæ in dedicatione partis Theologiæ suæ Zacharianæ habet Dorscheus noster; dum videlicet Serenissimum Wurtembergensium Ducem Eberhardum sic inter alia affatur: *Placuit Tuæ Serenitati spectare Bibliothecam* Argentoratensem. *Ego Bibliothecarius, quæ visu digna & oculis Principibus observanda dijudicavi, humiliter Tuæ Serenitati obtuli. Inter cætera è Bibliotheca Patrum codices aliquot lustrandos dedi, qui ex audacissimis Jesuitarum manibus non sine litura & sectione evaserant. Tertullianus cumprimis & Hieronymus, ambo Parisinæ editionis, notas incredibilis temeritatis Tuæ Serenitatis oculis obtulerunt. Vidisti, Celsissime Princeps, vocabula, lineas integras, periodos integras, columnas totas, aut excisas, aut ita inductas litura, ut nullius oculi acrimonia penetrare possit, aut etiam planè aliena charta oppicatas & agglutinatas. Et quidem egregii facinoris consilium Hieronymo his verbis inscriptum est: a Patre Johanne Cremerio approbatus Ann. 1580. Liber Societatis Jesu. Treviris.*

LII. Expende porro quæ in sua, quam ipsimet Bellarmino opposuit, defensione, anno hujus seculi VI, Venetiis, apud Robertum Mejettum, cum licentia superiorum edita, p. 331. habet Johannes Marsilius Venetus, homo Pontificius. *Notum est omnibus*, scribit ille, *e Conciliorum, Canonum, aliorumve Doctorum libris, ex ipsis etiam Breviariis & Missalibus, ablata esse & adhuc auferri ea quæ Principibus Laicis favent; ut periculum fiat, num sensim & progressu temporis stabiliri possit opinio de illimitata potestate Pontificis in temporalibus, adeo ut, qui libros anno 1530. & 1550. editos cum hodiernis conferet, sive Concilia, sive alia describant, vindemiam manifeste deprehendat. Unde mirum non est, nos post vindemiam paucos aliquot racemos in Serenissimi nostri Principis defensionem invenisse. Hac est ratio, qua successu temporis fides scripturis omnibus derogabitur, & Ecclesia* DEI *evertetur. Quod per occasionem mihi a Domino Cardinali motam dictum sit, & charitatis gratia: tum quod inprimis optem, ne amplius hoc modo scripturæ depraventur. Quod itidem cum omni humilitate & reverentia dictum sit.*

LIII. Junganturhis Widdringtoni isthæc, Apolog. pro jure Principium §. 450. *Tam ipse Pontifex, quam locorum Ordinarii, atque hæreticæ pravitatis Inquisitores, satis sunt soliciti, ne libri aliqui, qui potestati Pontificiæ ullo modo derogare videntur, in publicum prodeant, &, si prodierint, vel omnino supprimantur, vel a nemine absq; facultate speciali, eaque in scriptis habita, perlegantur, donec expurgati fuerint. Atque ita difficillimum est, hisce præsertim temporibus, aut in libris Catholicorum clausulam ullam reperire, quæ temporalem Pontificis potesta-*

testatem in controversiam vocandi vel tantillam speciem habeat, aut certo cognoscere, quid librorum auctores circa eiusmodi potestatem senserint: sed potius, quam opinionem librorum censores secuti fuerint; cum illi non semper propriis, sed istorum verbis loqui, suamque sententiam proferre, quamvis inviti, sæpissime compellantur.

LIV. Hæc, & similia (quæ apud Jacobum Kimedontium lib. II de Script. auctor. cap. VI, Henr. Boxhornium, Theologum Lovaniensem, Harmon. Eucharist. lib. III, aliosque legi possunt) consideranti judicare in proclivi est, qua fronte jactet Bellarminus, fidem suam Catholicam, seu Romanam hodiernam, non egere præsidiis mendaciorum, neque Pontificios aliorum scripta immutare, id est, iis addere aliquid vel detrahere.

CAPUT XI.

DE ROBORE INVICTO ARGUMENTORUM, QUIBUS VULGATÆ LATINÆ AUCTORITATEM AUTHENTICAM IMPUGNANT PROTESTANTES.

I.

Refutaturus argumenta Bellarminus, quibus vulgatæ Latinæ auctoritas impugnatur, ad tria illa revocat. Primum esse ait, quod Hieronymus multa aliter vertat quam Vulgata habeat, & in ea multa reprehendat. Cui cum jam supra a se responsum putet capite IIX, nos quoque ad illa, quæ ibi hanc in rem a nobis dicta sunt, lectorem remittimus. *Bell. responsio ad arg. nostrum I.*

II. Ar-

Ejusdem responsio ad arg. nostrū 2.

II. Argumentum secundum ita proponit: *Magis credendum est esse verbum DEI quod habetur in fontibus Hebraicorum & Græcorum codicum, quam quod habetur in rivulis versionum: nam Hebræi & Græci codices Prophetarum & Apostolorum sunt, qui errare non poterant. Nam aliud esse Interpretem, aliud Prophetam, docet Hieronymus præfatione in Pentateuchum. Et idem Hieronymus passim reprehendit veterem Interpretem in suis commentariis, & lib. 5. contra Jovinianum. B. Augustinus autem non solum in genere dicit, Interpretes posse errare, lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 11. & epist. 19. & 59. sed etiam epist. 8. ad Hieronymum asserit, Hieronymum in sua interpretatione errare potuisse.*

III. Respondet vero: *negari non posse, quin sint fontes Scripturarum anteponendi rivulis versionum, quando constat, fontes non esse turbatos: nunc autem, fontes multis in locis turbidos fluere, jam ante,* inquit, *ostendimus. Et certè* (ita pergit) *vix dubitari potest, quin, sicut Latina Ecclesia constantior fuit in fide retinenda, quàm Græca, ita etiam vigilantior fuerit in suis codicibus à corruptione defendendis. Quod enim olim Hieronymus scripsit ad Damasum in epist. de nomine* hypostasis, *nunc maxime habet locum*, videlicet, *profligato à Græcis patrimonio, apud Latinos tantùm incorruptam Patrum hæreditatem servari. Ad illud autem*, ait amplius, *quod objiciebatur, Interpretes interdum labi potuisse, non desunt qui respondeant, veterem interpretem Novi Testamenti, & etiam B. Hieronymum, interpretem Testamenti veteris, peculiari Spiritus sancti lumine illustratos, errare non potuisse. Sed non est opus eò confugere. Admittimus enim, Interpretem non esse Prophe-*

phetam, & errare potuisse; tamen dicimus, eum non errasse in illa versione, quam Ecclesia approbavit. Nam Vulgata editio non est unius auctoris; sed quadam habet ex Hieronymo, quadam ex Luciano, quadam ex Theodotione, quadam ex alio quodam interprete innominato: stultum autem videtur, dicere, Theodotionem hareticum non potuisse errare, & etiam Hieronymum nusquam errasse, cum ipse in c. 19. Isaia dicat se errasse, & Ecclesia correctionem ejus receperit. Non igitur auctores illos canonizavit Ecclesia, sed tantùm hanc versionem approbavit: nec ita tamen approbavit, ut asseruerit, nullos in ea librariorum errores reperiri; sed certos nos reddere voluit, in iis prasertim qua ad fidem & mores pertinent, nulla esse in hac versione interpretum errata. Ita, inquam, Bellarminus.

IV. Ubi quod ait, fontes non posse anteponi rivulis versionum, cum multis in locis fluant turbidi, inane est effugium. Etenim primo, falsum esse, quod fontes fluant turbidi, supra capp. II & VII patuit. Deinde Bellarminus ipse supra, capite II, disputans de corruptione textus Hebræi, non nisi leves quosdam errores agnoscit, & qui, illius judicio, *non tanti momenti sunt, ut in iis, qua ad fidem & bonos mores pertinent, Scriptura sacra integritas desideretur. Plerumque enim,* ait, *tota discrepantia variarum lectionum in dictionibus quibusdam posita est, qua sensum aut parum, aut nihil mutant.* Quomodo etiam de N. T. textu Græco sentit capite VII. Inde jam argumentor: Si fons Hebræus Veteris & Græcus Novi Testamenti ita est purus, ut ratione eorum, quæ ad fidem & mores pertinent, non sit turbatus, nec cetera errores habeat sensum

Examen.

Bell. ex seipso refellitur.

mutantes & veritati officientes, summo jure anteponitur rivulo vulgatæ Latinæ. Atqui prius verum est, ipsomet agnoscente Bellarmino; ergo quoque posterius. Consequentia probatur. Etenim si textus Hebræus & Græcus intemeratus est ratione eorum quæ ad fidem spectant ac mores, hactenus, ex Bellarmini hypothesi, æqualis est auctoritatis cum vulgata Latina, quam & ipsam scilicet in iis, quæ ad fidem moresque pertinent, non impingere censet. Quod si vero progrediamur amplius, & comparationem instituamus ratione eorum quæ ad fidem & mores proprie non pertinent, ipsimet scriptores Pontificii ingenue fatentur, in vulgata Latina, præter librariorum errata, (quorum non pauca hodieque, post tot licet tentatas correctiones, etiam in ipsa editione Clementina superesse, *observavit* Fr. Lucas Brugensis, nec diffitetur Bellarminus, qui & data opera talia retineri ait; ceu jam supra monuimus, cap. x, 35.) inveniri multa, incommode admodum, obscure, ambigue, a scriptoris sensu aliene, adeoque minus vere translata, nonnulla superaddita, aliqua omissa, quædam transposita & immutata: uti ex Sixti Senensis, Lindani, Galatini, supra cap. x, 20. productis verbis liquet: de textu autem originali nec ipse Bellarminus concedit, quod habeat, quæ a Spiritus sancti, principis illius Scripturarum auctoris, mente aliena, atque sic minus vere sint dicta: quin potius affirmat, si qua irrepserint menda, ea *sensum aut parum aut nihil mutare*, & *nihil omnino veritati officere*. Unde evidenter liquet, si vel maxime admitterentur in textu Hebræo & Græco nævi, quales comminiscitur Bellarminus, non tamen propterea illum posse postponi vul-

gatæ Latinæ, ut quæ, ex ipsorummet Pontificiorum confessione, longe tetrioribus vitiis est inquinata. Adde, Pontificios ideo fontes postponere versioni suæ vulgatæ, quod sint impuri ac turbidi, vanum esse prætextum, uti ex Gretsero & Lud. de Tena ostendimus capite præcedenti x, 30.

v. Sed quorsum tendit, quod scribit Bellarminus: *vix dubitari posse, quin, sicut Latina Ecclesia constantior fuit in fide retinenda quam Græca, ita etiam vigilantior fuerit in suis codicibus à corruptione defendendis?* Num inde vult probare, textum V. T. Hebræum potius corruptum esse censendum quam vulgatam Latinam?

vi. Certe si a diligentiori codicum custoditione concludendum, recognoscat Cardinalis quæ de Iudæorum incredibili religione erga Hebræum librorum Biblicorum textum observat ipsemet supra capite 11, (cum quibus conferri potest noster de Canone Scripturæ tractatus cap. xii, 20.) & apparebit, hac potius ratione argumentandum esse: Synagoga Hebræa vigilantior fuit in suis Codicibus a corruptione defendendis quam Ecclesia Latina; ergo Latina potius translatio depravata censenda quam fons Hebræus. Antecedens manifestum. Nemo enim dicet, tanta cura pro Vulgatæ suæ integritate vigilasse Latinos, ut a primo ipsius ortu per tot seculorum decursum ne verbum quidem mutari in ea sint passi; quemadmodum de Judæorum pro Hebræi Codicis ἀφθαρσία solicitudine hujusmodi quid memorato loco scribit Bellarminus. Quin potius supinam illorum negligentiam heic miratur ipse Isidorus Clarius, Brixianus, Abbas primum, post Epi-

ſcopus Pontificius, qua factum,ut errores inVulgatam irrepſerint pene innumeri, quorum octo millia ſe annotaſſe ait ac emendaſſe. Et ne forte excipiant Pontificii, minus fidelem correctorem egiſſeIſidorum hunc (cujus nempe textum pro genuino vulgatæ editionis textu habere vetat Index librorum prohibitorum Clementis IIX auſpiciis editus, qui & ipſe prologum ac prolegomena ex ejus Bibliis præcidere jubet) quot veteris translationis menda notarunt Theologi Lovanienſes? quot Fr. Lucas Brugenſis? Mereturque omnino obſervari, cum Sixtus V, Pontifex Romanus, Tridentinam ſanctionem, qua vetus & vulgata editio quam emendatiſſime imprimi jubetur, in rem translaturus, tanto conatu correctionis negotium urgeret, ut, non contentus labore doctiſſimorum virorum quibus ea cura demandata, manum operi admoveret ipſemet; nihilominus iis, quiClementis IIX juſſuuVlgatam iſthanc denuo ſibi ſumpſere caſtigandam, amplum adeo relictum fuiſſe ſpicilegium, ut duo millia circiter loca notarit Jameſius, quibus Clementina hæc editio a Sixtina diſſidet. Tametſi ne ſic quidem textum Latinum prorſus emaculatum eſſe, ultro fateatur Bellarminus. Vide ſupra cap. X, 35. Ex quibus omnibus apparet, fruſtra eſſe Cardinalem, dum Latinæ Eccleſiæ in ſuis codicibus a corruptione defendendis diligentiam tantopere extollit. Qui ſane expendere heic etiam debuiſſet, quam immenſo labore Judæorum Maſoretæ, ſingulos Hebræi Codicis verſus, voces, & literas numerando, omnemque ipſorum varietatem annotando, id effecerint, ut ne jota quidem e textu originali excidere, vel minimum in eo punctum poſſit mutari

tari

tari: qualem pro vulgatæ translationis incolumitate vigilantiam si quis vel antiquis vel recentioribus Latinis tribuere vellet, omnium ludibrio se esset expositurus.

VII. Porro, dum agnoscit Bellarminus, quod *vulgata editio non sit unius auctoris, sed quædam habeat ex Hieronymo, quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, quædam ex alio quodam interprete innominato*, quodque adeo (ut supra cap. IX dicebat idem) *addita* habeat *non pauca quæ in Hebræo non inveniuntur*; agnoscat quoque necessum est, peccasse Tridentinos, dum ita simpliciter & sine ulla exceptione canonicam authenticamque declararunt translationem vulgatam. Etenim *quis dicat, canonica & authentica esse, quæ nec sint in Hebræo textu, nec in prima 70. Interpretum versione?* scribit Gretserus. Vide plura hanc in rem supra capite IX, 13. 14. *col. 506.*

IIX. Tandem observetur, quod Bellarminus, utut alias frigide satis ac timide de Latinæ translationis authentica auctoritate loquatur, non ausit tamen illi quorundam opinioni (quæ Gretseri etiam & Erbermanni est, ac in ipso Synodo Tridentina, teste P. Svavi s. Sarpio lib. II, fuit Andreæ Vegæ) simpliciter intrepideque subscribere, quod Tridentinum Concilium non declaraverit versionē isthanc ἀναμάρτητον ratione omnium omnino periodorum & dictionum, sed tantum quoad dogmata fidei & morum. Ait quippe, Ecclesiam non ita approbasse Vulgatam, *ut asseruerit, nullos in ea LIBRARIORUM ERRORES reperiri*, (ecce hos solos excipit) *sed certos nos reddere voluisse, in iis PRÆSERTIM, quæ ad fidem & mores pertinent, nulla esse in hac versione interpretum errata.*

Quis sensus decreti Trid. de authentia Vulgatæ

Gr. col. 560, & alibi sæpis. Erb. p. 63. sqq.

V 3 IX. Nem-

IX. Nempe animadvertit, verba Concilii nimis clara esse, jubentia scilicet, ut Vulgata *in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus*, (in quibus sane non de his tantum quæ ad fidem & mores spectant, sed & de aliis agendi imponitur necessitas) *pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere QUOVIS PRÆTEXTU* (adeoque nec eo, quod hoc vel illud non spectet ad fidem aut mores) *audeat vel præsumat.* Et notari meretur insuper, quod Synodus, eadem hac sessione, verbis immediate post sequentibus, prohibitura, ne quis Scripturam sacram ad suos sensus contorqueat; id faciat cum diserta restrictione ad res fidei & morum, (decernens videlicet, *ut nemo, sua prudentiæ innixus, IN REBUS FIDEI ET MORUM, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, eandem interpretari audeat,*) non omissura utique limitationem hanc in decreto de *αὐθεντίᾳ* Vulgatæ, ni absolute id & sine ulla tali restrictione voluisset acceptum. Atque hinc Ludovicus de Tena, Bellarmino audacior, nec ulla circuitione usus, de Vulgata affirmat, *quod non solum nullum contra fidem errorem contineat; sed etiam infallibilem veritatem & Spiritus sancti mentem in omnibus suis partibus, quantumvis minimis*; adeo ut nec *periodus, clausula, dictio, syllaba, aut jota, repugnans vulgatæ editioni, debeat admitti*, Isagog. ad Scriptur. lib. I, diff. VI, sect. I. Verum non est instituti nostri, recensere nunc & examinare diffidentes Pontificiorum de sensu Tridentini decreti sententias, tanta inter ipsos contentione agitatas, ut a probris & contumeliis ad tribunalia tandem ventum sit, & coacti nonnulli e vinculis causam dicere

dicere, teste Jo. Mariana, Jesuita Hispano, tract. de Versione vulgata cap. I. Videri possunt de mutuis istis Papistarum pugnis Calovius noster in Critico sacro, sive Tom. I in Aug. Confess. pag. 502. seqq. Rivetus Isagog. ad Scripturam cap. XI, Sixtinus Amama Antibarb. Bibl. lib. I, cap. VI, aliique.

X. Amplius subjungit hucusq; discussis ex Protestantium mente Bellarminus, *quod Patres passim doceant, ad fontes Hebraeos & Graecos esse recurrendum.* Respondet autem, *quatuor temporibus licere recurrere ad fontes Hebraeos & Graecos, ut Patres moneant: primo, quando in Latinis codicibus videtur esse error librariorum: secundò, quando Latini codices variant, ut non possit certò statui, quae sit vera vulgata lectio: tertio, quando verba aut sententia in Latino anceps: quartò, ad energiam & proprietatem vocabulorum intelligendam.* *Responsio illius ad arg. 3.*

XI. Ubi primo observa, subdole & statum quaestionis a Bellarmino perverti, & Patrum mentem, quando, ostensurus, quousque verum sit quod de consulendis fontibus prisci illi Ecclesiae Doctores inculcant, *quatuor temporibus* ait *LICERE recurrere ad fontes Hebraeos & Graecos, ut Patres monent.* Neque enim tam in controversia est nos inter ac Pontificios, an *liceat* ad fontes recurrere, quam, an *debeat* illuc recurri: neque Patres docent modo, quod licitum sit fontes consulere, sed eos consulere jubent. Quin Hieronymus comment. in Zach. IIX, 19. (quem locum ipse Bellarminus heic citat) *COGIMUR*, inquit, *ad Hebraeos recurrere, & scientia veritatem de fonte magis quam de rivulis quaerere.* Cetera testimonia produximus supra cap. II, 3. *Examen.*

XII.

XII. Deinde, unde probabit Cardinalis, esse Patrũ dicta de consulendis fontibus ad quatuor illos casus, quos ipse enumerat, restringenda, nec extendenda amplius? Sane Augustinus, lib. XV de Civ. Dei, cap. XIII, disputans de discrepantia, quæ ratione dinumerationis annorum Patriarchalium, Gen. V, inter Hebræum & Græcum textum occurrit, cum agnoscat, non posse eam imputari librariorum mendis, siquidem *videatur habere quandam error ipse constantiam, nec casum redoleat, sed industriam*; scribit nihilominus: *Recte fieri nullo modo dubitaverim, ut, cum diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque esse non potest verum, ei linguæ potius credatur unde est in aliam per interpretes facta translatio.* & capite mox sequenti XIV: *Illa numerorum varietas, quæ inter codices Hebræos invenitur & nostros, neque de antiquorum longævitate dissentit, & si quid habet ita diversum, ut verum esse utrumque non possit, rerum gestarum fides ab ea lingua repetenda est ex qua interpretatum est quod habemus.* Sed quid opus in re per se manifesta hærere diutius? Ad tertium argumentum pergamus, petitum ex variis locis quibus Vulgata impingit.

CAPUT XII.

DE LOCIS, QUÆ CHEMNITIUS DEPRAVATA ESSE DICIT IN VULGATA LATINA.

De loco Gen. 3, 15.

I.

PRimus itaque locus, ex enumeratione Bellarmini, quem

quem in Vulgata corruptum ait Chemnitius, est Gen. III, 15. ubi legitur: *Ipsa conteret caput tuum*; cum esse deberet, *ipsum*, nempe semen, CHRISTUS. Respondet autem Cardinalis, editionem vulgatam varie habere. Quosdam enim codices habere, *ipse*, quosdam, *ipsa*: & propterea non esse contra vulgatam editionem, si convincatur debere legi *ipse*, vel *ipsum*. Dicit porro, non esse improbabile, debere legi *ipsa*: neque esse hanc depravationem Papistarum. *Nam*, inquit, *etiamsi multi codices Hebraici habeant* הוא hu, *tamen legi unum, in quo erat scriptum* היא hi, *id est*, ipsa; *ac praeterea, remotis punctis, illam vocem Hebraicam* הוא hu, *posse interpretari* ipsa, *nimis rudis est qui nescit. Passim enim occurrit in sacris Bibliis* הוא hu, *pro* היא hi. *Sic Genes. 3. vers. 12. Exod. 3. vers. 8.* Quibus addit, quod veterum nonnulli, quos recenset, legerint, *ipsa*.

II. Verum primo, si agnoscit Bellarminus, editionem vulgatam varie heic habere, cur non observavit quae paulo ante monuerat ipsemet, capite XI: *Quando Latini codices variant, ut non possit* CERTO *statui, quae sit vera vulgata lectio, possumus* (addendum, ex mẽte Patrum, quam heic exprimere vult Cardinalis: *& debemus*. vide supra cap. XI, 8.) *ad fontes recurrere, & inde juvari ad veram lectionem inveniendam*; cur, inquam, non observavit haec, quando una cum aliis vulgatam Latinam Clementis IIX jussu recognovit & castigavit? Enimvero id si fecisset, non legeremus hodie in Clementina illa editione, *ipsa*, sed *ipse*. Posteriorem namq; hanc veram esse lectionem, fons Hebraeus ignorare non sinit, ut qui constanter habet הוא.

III. Equidem opponit Cardinalis unum Codi-

cem, in quo הוא se invenisse affirmat. Quem suspicor fuisse ex officina Christoph. Plantini, unde anno superioris seculi LXXII opus prodiit Regium πολύγλωττον, exhibens in textu Hebræo, curante Guidone Fabricio Boderiano, היה (voluntariæ depravationi sphalma accessit typographicum: nam ex intentione editoris debebat esse הוא) & quidem apposita nota כרי וכתיב, quasi varia heic reperiretur in Hebraicis codicibus lectio, ipsisque Hebræis agnoscentibus aliter legi deberet quam scriptum est. Quod tamen *verum non esse*, ingenue fatetur, in hunc locum, Leonardus Marius, Professor Coloniensis. Et fuit sane corruptio hæc manifesta adeo & crassa, ut ipsosmet Pontificios ejus puduerit; qui in repetita anno LXXXIV operis illius editione veram lectionem הוא restituerunt. Quidquid autem sit, sive eam, quam dixi, editionem Antvverpiensem innuat, sive aliam, optimæ notæ fideique intemeratæ codicem haud fuisse, in quo suum illud הוא legit Bellarminus, vel inde conjectes, quod plane dissimulat, utrum vetustus fuerit, an recentior; num typis descriptus, an vero manu exaratus; ubi, & cujus cura prodierit, unde & ex qua bibliotheca eum habuerit; & quæ sunt aliæ hujusmodi circumstantiæ, ex quibus de fide & auctoritate codicum solet judicari: quod item σύμμαχος ejus Gretserus, qui facile per literas rem omnem ab ipso rescire heic potuit, non ausus tamen est editionem istam nominare, utut toties id petiissent nostri.

IV. Firmum proinde manet, textum Hebraicum constanter habere הוא. De veteri autem Latina sic dissentiunt Pontificii, ut, si ipsos heic audiamus, non pos-

possit certo statui, quæ sit vera vulgata lectio. Etenim Gulielmus Lindanus, Episcopus Ruræmundensis, lib. III de opt. genere interpretandi Scripturas, cap. III, & Fr. Ribera Jesuita, in Hab. I, ac lib. II de Templo c. II, codices Latinos veteres castigatiores & correctiores Masculinum, *ipse*, habere ajunt. Similia legas apud Dieguum Payvam Dandrada, Defens. Trident. fidei lib. IV, & Jo. Hartum in Colloquio cum Rainoldo habito, cap. VI, sect. II. Adde præterea August. Steuchum Eugubinum in Recognit. Genes. ad veritatem Hebraicam; sed & Melch. Canum, Episcopum Canariensem, lib. II Loc. Theol. cap. XV; cujus verba: *Cum apud Ebraeos* pronomen relativum *Neutro genere ad semen referatur, interpres, rem significatam perpendens, in Masculino genere transtulit,* IPSE. *quod imperiti non intelligentes, vitiumque scriptoris existimantes, substituerunt,* IPSA. Bellarminus vero, etiamsi legendum arbitretur, *ipsa*, certo tamen affirmare non audet, hanc lectionem esse genuinam; sed tantum dicit, *non esse improbabile*, debere ita legi. Quia proinde, quod Patres passim docent, ad fontes esse recurrendum, de tali casu interpretatur & admittit Cardinalis, *quando Latini codices variant, ut non possit* CERTO *statui, quæ sit vera vulgata lectio*, utique, ceu jam ante dixi, suam istanc Patrumque doctrinam observare debuisset ipsemet, debuissent ejus *συνεργοὶ*, quando Vulgatæ recognoscendæ Clementis Papæ jussu vacabant: & sic non legeremus in Clementina ista editione, *ipsa*, sed *ipse*. Quoniam vero illa nunc exhibet, *ipsa*, frustra est Bellarminus, dum ait, *non esse contra vulgatam editionem, si convincatur debere legi*, ipse, *vel* ipsum. Etenim quid tandem censendum erit

rit contra vulgatam editionem esse, si non hoc, quod est contra editionem, quæ, ut Tridentinæ Synodi decreto satisfieret, publica ipsius Pontificis auctoritate & auspiciis prodiit, quamque adeo *cæteris omnibus, quæ ad hanc usque diem prodierunt, emendatiorem puriorem que esse*, in præfatione eidem præmissa ipse Bellarminus affirmat? Annon rotunda Gretseri confessio est, col. 1059: *Eam editionem, tanquam omnibus præstantiorem, & ad mentem Tridentini Concilii conformatam, amplectimur, quam nobis, volente & jubente Sixto Quinto, dedit & exhibuit Clemens Octavus. QUIDQUID CUM HAC CONGRUIT, RATUM GRATUMQUE ACCIDET; QUIDQUID DISCONVENIT, IRRITUM INGRATUMQUE EVENIET: sive sit ex Hentenii, sive ex Lovaniensium, sive ex cujuscunque alterius officina depromptum?*

V. Sed videamus, quid adduxerit Bellarminum, ut statueret, non esse improbabile, debere legi, *ipsa*. Prima ejus ratio est, quod unum conspexerit Codicem, in quo fuerit scriptum היא *hi*, id est, *ipsa*.

VI. Resp. Inde argumentum nascitur tanto disputatore prorsus indignum, nempe hoc: Unus Codex Hebræus habet הִיא, *ipsa*, ceteri autem omnes habent הוא *ipse*; ergo non est improbabile, debere legi *ipsa*, non vero *ipse*. Risum teneatis, amici! Esto, habuerit Bellarminus Codicem, qui legerit היא (quod tamen, nisi intelligat quem ab ipsismet Pontificiis reprobatum supra diximus, sine dubio falsum est) utrum erit probabilius, obsecro? an, quod unus ille Codex perperam legat, & reliqui omnes recte; num vero, quod unicus ille Codex legat recte, & omnes ceteri perperam?

VII. Ratio secunda nihilo melior. *Remotis*, inquit,

quit, *punctis, illam vocem Hebraicam* הוא *hu, posse interpretari*, ipsa, *nimis rudis est qui nescit. Passim enim occurrit in sacris Bibliis* הוא hu, *pro* היא hi. *Sic Genes. 3, vers. 12. Exod. 3. vers. 8.*

IIX. Resp. Collectio hæc est: Hebraicum הוא remotis punctis POTEST reddi, *ipsa*, & occurrit aliquando in Scripturis הוא pro היא; igitur non est improbabile, Gen. III DEBERE legi, *ipsa*. Cujus argumenti infirmitatem quis non animadvertit? Etenim si verum sit vel maxime, quod heic supponit Bellarminus, puncta sacri textus non esse literis coæva, sed a Rabbinis superaddita, (quam tamen opinionem ne ipsis quidem Pontificiis omnibus probari, jam supra cap. II, 24. monuimus) nondum ex consequens est, ubicumque legitur in Scriptura הוא, posse illud accipi tamquam Femininum, & verti, *ipsa*; multo minus, probabile esse, quod Gen. III, 15. *debeat* legi, *ipsa*. Possunt namque etiam, remotis punctis, alia adhuc superesse manifesta indicia, unde colligas, cur הוא Masculinum sit, non Femininum.

IX. Et quidem, quod speciatim ad nostrum attinet locum, non posse in eo vocem istanc Feminino genere capi, docet primo verbum Masculinum ישופך, quod urget ipse Lindanus loco num. IV citato (cum quo confer, ubi idem habet, Panopliam ejus lib. IV cap. II) *Si quis contendit*, inquiens, י*pro* י*esse, is sane ex verbo Futuri Mascul. ita refutabitur, ut nullum ei sit tergiversationis refugium.* docet præterea in altero membro affixum Masculinum תשופנו, serpentini capitis contritorem citra controversiam respiciens.

x. Atqui hinc evidemus, & Chal[illegible]

ften, & LXX Interpretes (quorum translationem etiam Philonis Judæi tempore habuisse *αὐτὸς*, ex hujus de Allegoriis Legis libro II constat) & Hieronymum, legisse הוא Masculino genere, etiamsi, ex Bellarmini hypothesi, punctis vocalibus ipsorum ævo textus Biblicus non fuerit vestitus. Sed nec Hebræorum Critici Masoretæ aliter heic legendum censuerunt: qui sane alibi, ubi הוא Masculinum esse non posse, vel præcedentia vel subsequentia nomina aut verba Feminina indicant (ut, exempli gr. Gen. III, 12. Exod. III, 8. ad quæ loca Cardinalis noster provocat) in margine notarunt, pro הוא legendam הִיא, quemadmodum & in ipso textu punctato sub ה ibi visitur Chirek, adeoque הִוא legitur, non, ut Bellarminus ait, הוא.

XI. Excipit Cardinalis contra illud, quod diximus, τὸ הוא hoc loco non posse esse Femininum, cum verbum immediate subsequens ישופך sit Masculinum; *non esse novum in Scriptura, ut cum Nominibus Femininis conjungantur Pronomina aut Verba generis Masculini*: laudatque eam in rem Ruth. I, 8. Esth. I, 20. Eccl. XII, 5.

XII. Verum etiamsi certissimum sit, occurrere hujusmodi interdum in Scriptura Enallagas, certum tamen & hoc est, non esse lectori integrum, easdem pro lubitu comminisci, sacroque textui inferre. Ut enim rectissime de Personarum mutatione scribit Bellarminus, lib. I de Christo cap. V; *Si licet sine causa fingere mutationes Personarum, nihil unquam certi ex divinis literis colligi poterit*; sic non minus recte de mutatione Generum dixeris: si licet sine causa fingere mutationes Generum, nihil umquam certi ex divinis literis

ris colligi poterit. In exemplis ab auctore allatis Enallagen esse, per se est evidens; quippe cum, etiam demptis punctis, ex literarum positu pateat, vocem unam Genere differre ab altera. At in nostro loco longe se aliter res habet. Ipse enim Bellarminus contendit, τὸ הוא, si puncta demas, posse tum ut Masculinum tum ut Femininum accipi. Quandoquidem igitur heic quæcunque adjiciuntur sunt Masculina, & præterea res ipsa clamat, agnoscuntque etiam, punctis haud adjuti (ut quidem Bellarminus supponit) Chaldæus, Græci, Masoretæ, Hieronymus, non de muliere, sed semine ejus, sermonem esse, ut adeo nullus Feminino locus sit; annon aperta pertinacia, Enallagen in re adeo manifesta excogitare?

XIII. Tandem urget Cardinalis, quod Femininum, *ipsa*, heic legerint, C. Marius Victor, Alcimus Avitus, Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, Gregorius, Eucherius, Rupertus, Beda, Rabanus, Strabus, Lyranus, Bernardus; indeque mendacium esse ait, quod Kemnitius dicit, omnes veteres legere *ipsum*.

XIV. Sed de Chrysostomo falsum, quod legerit *ipsa*. Quidquid enim de interprete ejus Latino, Græcus sane textus, prout ab ipsismet Pontificiis editus, ita habet: *αὐτός σου τηρήσει κεφαλήν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν. καὶ γὰρ τοσαύτην ἐκείνῳ παρέξω τὴν ἰσχύν, ὡς διηνεκῶς ἐπικεῖσθαι τῇ σῇ κεφαλῇ, σὺ δὲ τοῖς ἐκείνου ποσὶν ὑποκεῖσθαι.* Ubi toties, ecce, legis Masculinum. Quod ad ceteros attinet qui memorantur auctores, an ideo probabile erit, in loco nostro debere legi, *ipsa*, quia illi sic legerunt? Imo vero contraria potius ratione ita concludendum: Omnes codices Hebræi, Paraphrastes Chal-

dæus, LXX Seriores, sed & vetustissimi Ecclesiæ Doctores, Irenæus, lib. III, cap. XXXIX, lib. IV, cap. LXXIIX, lib. V, cap. XXI, ac Cyprianus, lib. II adversus Judæos cap. IX, nec non Chrysostomus (ut jamjam visum) Hieronymus, Quæstion. Hebr. in Genesin, Leo Papa, serm. II de Nativitate Domini, quin, testibus celeberrimis quibusdam Pontificiis, (vide supra num. IV) ipsi Codices Latini vetustiores & correctiores legunt, *ipse*; ergo absurdum est, statuere, quod legi debeat *ipsa*: nihil quidquam, obstantibus illis a Bellarmino citatis scriptoribus, ut quos, Hebraice nescientes, Latina, quibus usi, exemplaria in errorem induxere.

Chemnitius Vindicatur. XV. Chemnitius noster præter rem insimulatur mendacii. Assertio ejus est, quod *tota antiquitas textum* Gen. III, 15. *legat & interpretetur de ipso semine.* Hoc si propterea mendacium, quod unus atque alter ex antiquis, v. g. Ambrosius, Augustinus, non ita legunt; mendacium quoque fuerit, e. c. illud Rom. XI, 26. *Totus Israël servabitur.* Nec enim quisquam ea verba sic accipit, quasi iis prædiceretur, fore aliquando, ut omnes & singuli Israelitæ, nemine prorsus excepto, serventur; sed, interprete Jesuita Pererio libro XV in Danielem, Apostolus innuit, *tantam credentium ejus populi tunc futuram multitudinem, ut præ eorum, qui in impietate mansuri sunt, paucitate, rectè & verè dici possit omnis Israël crediturus.* Similes loquendi modi passim obvii, tum in sacris, tum in sermone vulgari. Et annon ipse mox Bellarminus, eodem hoc capite, paucisque tantummodo lineis interjectis, illa Scripturæ verba: *Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum*; &: *Omnis caro corruperat viam*

am suam; Gen. VI, 5. 12. ita explicat, ut verum nihilominus esse credat, quasdam cordis cogitationes non esse ad malum intentas, & quandam carnem non corrupisse suam viam? Sane lib. V de Gratia & lib. arb. cap. III, diserte scribit: *Dicitur malum OMNE figmentum cordis humani, quamvis non desit aliquod figmentum, id est, aliqua cogitatio non mala.* Et Gretserus quoque fatetur, *universales locutiones non semper universim, sed restricte accipi debere: quia,* inquit, *vox* omnis, *seu* cuncta, *significat frequenter totum in modo, hoc est, universum non universe sumptum.* Verum ad alia pergamus. *col. 591.*

XVI. Progreditur videlicet Cardinalis, postquam locum Gen. III, 15. expendit, ad illum, cujus jamjam fiebat mentio, quique extat Genes. VI, 5. ubi Vulgata habet: *Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum:* cum in fonte sit: *Figmentum cordis ejus tantum malum omni die.* Ait autem, *sensum esse eundem. Nam,* inquit, *illud, figmentum cordis, significat cogitationem cordis, quia a corde fingitur & formatur, ut etiam Hebræi in eum locum docent. Idem autem est, cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum, &, figmentum, id est, cogitatio cordis, non est nisi malum. Non autem sequitur hinc* (ita pergit) *ut Lutherani putant, omnia opera hominum esse mala. Nam illa est hyperbole Scripturæ, qua sæpe utitur ad rem aliquam extollendam: sicut in eodem capite dicitur: Omnis caro corruperat viam suam. Et tamen ibidem dicitur: Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis.* *De loco Gen. 6. 5.*

XVII. Verum enim vero, quod Hebræum יצר מחשבת plus heic innuat quam Latinum *cogitatio*, id ipse Bel-

 lar-

larmini hyperaſpiſtes Gretſerus diffiteri non poteſt, dum, ne diſſenſum inter Interpretem vulgatum & textum originalem admittere cogatur, vocem, *cogitatio*, qua ille utitur, ita explicari poſſe affirmat, ut notet
col. 585. *inclinationem & propenſionem voluntatis ad malum in actu primo, & quaſi in habitu.* Porro longe aliud eſt,
& 590. eſſe malum, &, eſſe intentum ad malum: præſertim ſi ad Pontificiorum attendas hypotheſin, qua, intentum ſeu propenſum eſſe ad malum, in ſe formaliter malum eſſe negant.

col. 586. XIIX. Ubi nihil efficit Gretſerus, quando ait, etiamſi inclinatio ad malum *in ſe formaliter* non ſit malum quoddam, recte tamen adhuc malum dici *ratione termini ad quem propendet*; quemadmodum id pateat
col. 585. de concupiſcentia, quæ malum nuncupetur, *non quod in ſe formaliter, non accedente voluntatis conſenſu, mala ſit, ſed quia ad malum inclinet.* Quæ enim hæc ratio probandi, obſecro: Inclinatio & propenſio ad malum, etiamſi non ſit malum in ſe, recte tamen adhuc malum dicitur, quia tendit ad malum: nam & concupiſcentia, utut in ſe malum non ſit, recte dicitur malum, quia ad malum inclinat? Pari certe Logica inferrem: Jeſuita Gretſerus ineptus eſt diſputator: nam defenſor Bellarmini Ingolſtadienſis eſt ineptus diſputator. An non enim *concupiſcentia & propenſio ad malum* idem [illegible] Bellarmino, libro v de Ami[illegible] [illegible]tium? Committitur ergo [illegible] quod in principio. Qu[illegible] ſi maxime concupiſ[illegible] lum ut diſtincta ſ[illegible] troverſum, [illegible]

jusmodi, qualem Pontificii propugnant, denominationem malum dicatur & peccatum, ac in quæstione est, num propensio ad malum hoc pacto appellari malum possit.

XIX. Ceterum quia controversia: utrum conscientia in se & formaliter malum atque peccatum sit? huc non spectat, sed alterius loci est, missa ea ad propositum revertimur, & in hoc præterea Vulgatum impingere dicimus, quod omittit exclusivam, quæ in Hebræo est, רק, *tantummodo.* Nam quod Bellarminus ait, idem esse hæc: *Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum*; &: *Cogitatio cordis non est nisi malum;* id quivis videt quam sit frivolum. Ut enim nunc non repetam, quod jamjam fuit monitum, aliud esse, intentum esse ad malum, aliud, esse malum; certe ne sic quidem formata propositio: *Cuncta cogitatio cordis est malum*; æquipollet isti: *Cogitatio cordis non est nisi malum.* Posterior namque hæc, exponens est (ut in scholis loquimur) illius exclusivæ: *Cogitatio cordis est tantùm malum;* quod de priori nemo dixerit.

XX. Quæ porro de hyperbole hujus loci, & de opinione Lutheranorum, quod omnia opera hominum sint mala, ὡς ἐν παρόδῳ Bellarminus tangit, utpote nec ipsa proprie huc pertinentia, ad genuinam suam sedem merito rejicimus. Cui placuerit, legat quæ in Apologia pro Valeriano Confessore anti-Capucciniana, num. x[illegible] a nobis disputata.

[illegible] Gen. IX, 6. u- *De loco Gen. 9. 6.*

[illegible] *hominis,*

[illegible] *effude-*

[illegible] *sanguis*

[illegible] *illius.*

[illegible]

larmini hyperaſpiſtes Gretſerus diffiteri non poteſt, dum, ne diſſenſum inter Interpretem vulgatum & textum originalem admittere cogatur, vocem, *cogitatio*, qua ille utitur, ita explicari poſſe affirmat, ut notet
col. 585. *inclinationem & propenſionem voluntatis ad malum in a-*
& 590. *ctu primo, & quaſi in habitu.* Porro longe aliud eſt, eſſe malum, & , eſſe intentum ad malum: præſertim ſi ad Pontificiorum attendas hypotheſin, qua, intentum ſeu propenſum eſſe ad malum, in ſe formaliter malum eſſe negant.
col. 586. XIIX. Ubi nihil efficit Gretſerus, quando ait, etiamſi inclinatio ad malum *in ſe formaliter* non ſit malum quoddam, recte tamen adhuc malum dici *ratione termini ad quem propendet*; quemadmodum id pateat
col. 585. de concupiſcentia, quæ malum nuncupetur, *non quod in ſe formaliter, non accedente voluntatis conſenſu, mala ſit, ſed quia ad malum inclinet.* Quæ enim hæc ratio probandi, obſecro: Inclinatio & propenſio ad malum, etiamſi non ſit malum in ſe, recte tamen adhuc malum dicitur, quia tendit ad malum: nam & concupiſcentia, utut in ſe malum non ſit, recte dicitur malum, quia ad malum inclinat? Pari certe Logica inferrem: Jeſuita Gretſerus ineptus eſt diſputator: nam defenſor Bellarmini Ingolſtadienſis eſt ineptus diſputator. Annon enim *concupiſcentia* & *propenſio ad malum* idem ſunt ipſi Bellarmino, libro V de Amiſſione gratiæ, cap. V, ſub initium? Committitur ergo heic decumana petitio ejus quod in principio. Quamquam ea non ſit ceſſatura, ſi maxime concupiſcentiam & propenſionem ad malum ut diſtincta ſumas; cum adhuc æque maneat controverſum, an concupiſcentia per extrinſecam hu-
jus-

jusmodi, qualem Pontificii propugnant, denominationem malum dicatur & peccatum, ac in quæstione est, num propensio ad malum hoc pacto appellari malum possit.

XIX. Ceterum quia controversia: utrum concscientia in se & formaliter malum atque peccatum sit? huc non spectat, sed alterius loci est, missa ea ad propositum revertimur, & in hoc præterea Vulgatum impingere dicimus, quod omittit exclusivam, quæ in Hebræo est, רק, *tantummodo*. Nam quod Bellarminus ait, idem esse hæc: *Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum*; &: *Cogitatio cordis non est nisi malum*; id quivis videt quam sit frivolum. Ut enim nunc non repetam, quod jamjam fuit monitum, aliud esse, intentum esse ad malum, aliud, esse malum; certe ne sic quidem formata propositio: *Cuncta cogitatio cordis est malum*; æquipollet isti: *Cogitatio cordis non est nisi malum*. Posterior namque hæc, exponens est (ut in scholis loquimur) illius exclusivæ: *Cogitatio cordis est tantùm malum*; quod de priori nemo dixerit.

XX. Quæ porro de hyperbole hujus loci, & de opinione Lutheranorum, quod omnia opera hominum sint mala, ὡς ἐν παρόδῳ Bellarminus tangit, utpote nec ipsa proprie huc pertinentia, ad genuinam suam sedem merito rejicimus. Cui placuerit, legat quæ in Apologia pro Valeriano Confessore anti-Capuccinia, num. XXXV, seqq. hanc in rem a nobis disputata.

XXI. Pergit Bellarminus ad locum Gen. IX, 6. ubi Vulgata habet: *Qui effuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius*; cum in Hebræo sit: *Qui effuderit sanguinem hominis, per hominem fundetur sanguis* *De loco Gen. 9. 6.*

illius. Respondet autem, *illam omissionem non reddere sensum falsum, neque imperfectum, proinde non esse magni momenti. Sensus enim est*, ait, *tam in Hebræo quam in Latino: Qui occiderit hominem, occidetur etiam ipse.*

XXII. Exceperat Whitackerus: *non idem esse, si quis dicat: Qui occiderit hominem, occidetur & ipse; & si addiderit: per hominem. Nam illud prius sic intelligi posse, ac si à DEO occidendus esset; hoc autem posterius, illum ab homine neci tradendum esse, arguere.* Ad quæ
col. 592. Gretserus, *Vana est hæc cavillatio,* reponit. *Quis enim tam hebes est ac plumbeus, qui, cum audit, homicidam occidi debere, non statim intelligat, hoc faciendum esse ope & ministerio hominis, hoc est, magistratus & legitima potestatis? neque enim aliter jam ordinariè puniuntur homicidæ, cum Deus immediatè per se non soleat in hoc rerum statu pœnas ab homicidis repetere.*

XXIII. Verum, si omnes, qui Scripturæ auctoritatem agnoscunt, agnoscerent æque, pœnam heic divinitus constitui ordinariam qua in homicidas debeat animadvertere magistratus, videri forte possent non adeo inepte ista dici. Jam autem quis nescit, negari hæc ab Anabaptistis & Socinianis, qui supplicia capitalia, præsertim inter Christianos, abominantur, nec homicidæ vel alterius cujusvis scelerati sanguinem a magistratu effundi posse existimant, indeque locum hunc ita depravant, ac si prædictionem solum contineat, & generalem comminationem, qua Deus ab homicidio deterrere mortales voluerit? Quibus sane feliciter obviam iri potest ex illa determinatione: *per hominem;* quam Vulgatus prætermisit. Nam si generaliter tantum

tum heic minatur Deus, se sanguinem humanum vindicaturum, (ut volunt Sociniani) quid attinebat adjicere, illum vindicatum iri per homines? cum utiq; per bestias etiam aliove modo divina de homicidis sumi possit & soleat ultio.

XXIV. Amplius vindicandum sibi duxit Bellarminus locum Gen. XIV, 18. ubi Vulgatam legere dicit Chemnitius: *Melchisedech obtulit panem & vinum: erat enim Sacerdos;* cum textus Hebræus nec verbum *oblationis*, nec conjunctionem rationalem ibi habeat. Respondet autem Cardinalis, *falso Kemnitium dicere, haberi in vulgata editione verbum offerendi. Nec enim*, inquit, *legimus, obtulit, sed, protulit panem & vinum. Conjunctionem autem rationalem* (ita pergit) *habet vulgata editio; sed habet etiam Hebræus textus, etsi eam Kemnitius, vel propter imperitiam non viderit, vel propter malitiam videre noluerit. Nam licet in Hebræo sit* ו *ve, non* כי *chi, tamen illud* ו *ve, sæpissime accipitur pro* כי *chi.* Addit, Melchisedechum protulisse panem & vinum, ut illud Deo in sacrificium offerret, quia fuerit Sacerdos Dei altissimi: & hoc facto gessisse eum figuram sacrificii, quo sub specie panis & vini corpus & sanguis Christi offertur Deo, ab omnibus veteribus Græcis & Latinis affirmari. *De loco Gen. 14, 18.*

XXV. Ubi primo præter rem falsitatis arguitur Chemnitius, quod ait, Vulgatam habere vocem *obtulit*. Quamvis enim ita non legerint forte quæ Bellarmino ad manum fuerunt editiones, legerunt tamen aliæ, uti non negat Dandrada libro IV Defens. Tridentinæ fidei: quin nec ipse inficiari audet Gretserus. *col. 593.* Deinde, si vel imperitus, vel malitiosus est, qui

 non

non videt heic in Hebræo textu conjunctionem rationalem, imperiti quoque fuerint oportet aut malitiosi Pagninus & Arias Montanus, Card. item Cajetanus & Hieronymus ab Oleastro, magni nominis scriptores Pontificii; qui nullam heic viderunt in Hebræo particulam rationalem: uti ex illorum versione interlineari patet, horumque commentariis. Cajetanus diserte, *Quod,* inquit, *in vulgata editione subditur ut causa oblationis: erat enim Sacerdos; in Hebræo non habetur ut causa, sed ut separata clausula: Et ipse Sacerdos Deo excelso. Adjungit siquidem Regiæ dignitati & liberalitati dignitatem Sacerdotalem.* Hier. ab Oleastro: *Adverte, quod, licet LXX & vulgata vertant: erat enim;* (Græcæ translationis probatiores editiones exhibent adversativam δὲ, quam etiam heic habet Chrysostomus homil. xxxv in Genesin; sed & Cyprianus, epist. LXIII, edit. Pamel. legit: *fuit autem*; ac Hieronymus, epist. CXXVI, ad Evagrium: *erat autem*) *quasi sequens sententia prioris causam reddiderit, in Hebræo tamen est ut vertimus, scilicet, ET ipse erat Sacerdos.* Eodem modo Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis habet: *Et ipse Sacerdos Dei excelsi*; ac Epiphanius hæresi LV: *καὶ ἦν ἱερεύς.* Nec erat cur Chemnitio Hebraismi imperitiam objiceret Cardinalis, cujus nec tenuissimam cognitionem habuit ipsemet. Vide infra cap. XIII, 10. Quod vero ait, ו sæpissime accipi pro כי, id ad præsens nihil omnino facit; ubi non quæritur, an ו aliquando in textu sacro sumatur causaliter; quod nemo negat: sed, an in nostro loco ita sumatur; quod, ut vidimus, negant ex ipsismet Pontificiis viri doctissimi.

XXVI. Ceterum, an Melchisedek protulerit panem ac vinum, ut illud Deo in sacrificium offerret, atque hoc facto figuram gesserit sacrificii Missatici; & an omnes veteres, Græci ac Latini, id affirment, ut noster ait Cardinalis, quæstio est quæ huc plane non spectat, indeque ab ipsomet Bellarmino alibi, libro nempe I de Missa, cap. VI, longe fusius & ex instituto pertractatur. Nolumus proinde in ea ventilanda nos heic detinere. Tantum verbo monemus, incuriose admodum a Bellarmino loca Patrum citari, quibus suæ sententiæ fidem facere satagit. Etenim Eusebii testimonium, quod laudare vult, non habetur libro VI Demonstr. Evang. sed libro V. Epiphanius hæresi LXXIX Melchisedecum Sacerdotem quidem appellat, loci autem, de quo nunc agimus, ibi non meminit, sed hæresi LV. Chrysostomi testimonium non extat homilia XLV in Genesin, sed homilia XXXV. Ambrosii non esse libros de Sacramentis, qui vulgo ipsi tribuuntur, dudum demonstrarunt viri docti. Sed redeamus ad rem.

XXVII. Progreditur Cardinalis ad Num. XXXVI, 7. 8. ubi Vulgata habet: *Omnes viri ducent uxores de tribu & cognatione sua: & cuncta feminæ de eadem tribu maritos accipient;* cum textus Hebræus loquatur, non de omni femina, sed tantum de ea, quæ ירשת נחלה sive heres bonorum paternorum; ac tot Scripturæ exempla doceant, licitum fuisse Israëlitarum mulieribus nubere extra tribum suam. Ubi operosus est auctor, ut ostendat, sensum legis Mosaicæ esse, si mulier careat fratribus, & proinde hæres sit, non debere eam nubere alicui qui non sit de tribu sua. *De loco Num. 36, 7. 8.*

XXIIX.

xxiix. Hoc vero uti verissimum est, cum diserte id dicat codex Hebræus: ita ad præsens nihil facit; quippe ubi non quæritur, quis sensus legis illius, sed, an hunc sensum recte ac sufficienter expresserit Vulgatus? quod negamus: cum ille sic verterit textum originalem, quasi in universum de omnibus feminis loqueretur; qui tamen, ceu diximus, de iis dumtaxat loquitur quæ in Atheniensium legibus ἐπίκληροι dicebantur, & ἐπιπροίκοις opponebantur, sive his, quæ non hereditatem totam, sed certum quid e bonis paternis, in dotem afferebant. Vide Casaubonum Exercit. Anti-Baron. I, 13.

Gretseri effugium præcluditur. col. 604.

xxix. Regerit Gretserus: etiamsi Latinus textus loquatur absolute, satis tamen in eo intelligi dictam limitationem. *Nam*, inquit, *initio capitis quæstio fuit mota à populo propter quasdam mulieres haredes, de quarum nuptiis aliena tribui metus fuit exortus, ne ex similibus nuptiis oriretur possessionum confusio & permistio, perturbans divisionem à Deo initiò factam: & ad hoc incommodum tollendum lex fuit à Deo lata. Quare satis eo ipso intelligitur, esse sermonem de feminis haredibus; quod exprimere prætermittit Hieronymus, ut posterior sententia priori concinnius responderet.*

xxx. Verum primo, si vel maxime e contextu sufficienter pateret isthæc restrictio, num propterea in translatione omittenda erat interpreti eo loco, ubi expressis verbis habetur in fonte? Sane si visum fuisset Spiritui sancto, e solo contextu sententiam illius legis debere hauriri, potuisset & ipse determinationem, quam disertis verbis in Hebræo addidit, omittere. Quoniam autem ipsi placuit apertis eam vocibus

bus exprimere, & vero, secundum Basilium, ad Amphilochium, *in Scriptura nihil est, quod non sit momenti magni, utcunque nobis parum aut nihil videatur*; secundum Hieronymum, in Epistolam ad Ephesios cap. III, *singuli sermones, syllabæ, apices, puncta, in divinis Scripturis plena sunt sensibus*; secundum Nicol. le Maire, Theologum Parisiensem, præf. tractatus de Bibliis vernaculis, *nihil non utile, non divinum, nihil otiosum aut superfluum occurrit in sacro codice, nihil quod non prodierit ex ore DEI*; secundum Fr. Costerum, in Apologia Enchiridii contra Gomarum, pag. 36. *Scripturam sacram Spiritus sanctus dictavit, singula verba composuit, & suis locis constituit, ut nec jota, nec apex unus superfluat*; secundum Fr. Riberam, apud Ph. Alegambe in Bibliotheca scriptorum Soc. Jesu, *nullum habent apicem sacræ paginæ, qui non divinis sit plenus mysteriis*; secundum Erasmum, in Enchiridio Militis Christiani, sacra Scriptura *nihil habet otiosum, imo ne apicem quidem non dignum vestigatione, non dignum hac voce quid est hoc?* secundum ipsummet Bellarminum, libro II de Conciliis, cap. XII, *nullum est verbum in Scriptura frustra positum*: indeque, monente Chrysostomo, homil. XV in Genesin, *nec dictio parva, nec syllaba, in Divinis literis contenta, est prætereunda*: non debuerat in sua translatione illa verba neglexisse Vulgatus. Qui certe, si, quod Gretserus affirmat, ideo ea prætermisit, ut posterior sententia priori concinnius responderet, non temerarius tantum fuit, sed & impius; quippe insimulans hoc ipso Spiritum sanctum, ac si minus concinne legem, de qua agimus, expressisset. Et merito heic audiendi auctores Gallici illius Journal des

In Scriptura S. nec minimi apices habendi insuper.

pag. 132.

Scavans. Quantumvis enim & ipsi Pontificiæ sint doctrinæ addicti, tamen, ubi de Tanaquillo Fabro tradidissent, ad d. III Maji, ann. LXVI, quod, *non contentus correxisse Historicos & Poëtas, Criticam etiam suam ad Scripturam usque sacram extendat, & plurima tangat loca, in quibus immutarit vocabula, transposuerit periodos, & interdum vel integras expunxerit lineas; neque ullam conatus sui rationem proferat, nisi quod sensus ipsi reddatur melior & intelligibilior*; recte subjungunt: *Tales conjecturæ, quæ tolerari in profanis autoribus poterunt, periculosam in Scriptura sacra consecutionem alunt. Si enim unicuique mutare ea, quæ sibi minus ibidem placent, concederetur, nihil omnino foret certum; sed unusquisque peculiarem sibi Scripturam pro lubitu suo fingeret.* Confer quæ habentur ad d. XII Julii; & observa insuper, jam olim in Tatiano hæretico fuisse damnatum, quod *ausus* sit *dicta Pauli Apostoli elegantioribus verbis exprimere; utpote qui compositionem verborum illius corrigere studeret;* teste Eusebio Histor. Eccles. lib. IV, cap. XXIX.

XXXI. Deinde falsum etiam est, quod e contextu ita sit manifestum, debere legem illam de solis feminis heredibus capi, ut sine ullo incommodo possit determinatio, quæ in Hebræo est, omitti. Licet enim quæstio, quæ legi isti ansam dedit, de mulieribus non quibusvis, sed ἐπικλήροις, fuerit mota, ac potuerit quod metuebatur incommodum sufficienter tolli, si his solis, ne extra tribum suam nuberent, interdiceretur, tamen nondum certo poterat constare, an ad solas illas legem suam Deus voluerit restrictam; cum potuisset isti de possessionum translatione incommodo etiam sic occurri, ut simpliciter omnes feminæ extra

suam

suam tribum nubere prohiberentur: neque insolens sit, casum specialem ansam dare & occasionem legi generali. Quo igitur de mente ac intentione Dei liqueret exacte, nec ullũ remaneret dubium, visum ipsi fuit disertis verbis restrictionem περὶ τῶν ἐπικλήρων adjicere.

XXXII. Atque hinc non desunt inter ipsosmet Pontificios viri longe celeberrimi, qui lapsum heic Vulgatæ & ab Hebræo textu diffidentiam agnoscunt. Ita Paulus de S. Maria, Episcopus Burgensis, Castellæque & Legionis Archicancellarius, in Additionibus ad Postillas Lyrani de loco nostro agens, *In hoc præcepto*, ait, *multum deviat translatio nostra a veritate Ebraica. Nam secundum Ebraicam veritatem non prohibetur fœminis, quin nubant quibuscunque voluerint de genere Israëlitico, nisi tantum fœminis quæ hæreditatem habent, sicut illa quæ non habent fratres. Et istis tantum præcipitur, quod alicui de cognatione patris sui nubant. Et hoc est quod dicitur: Omnis filia quæ habet hæreditatem, uni de cognatione patris sui erit uxor. Similiter non prohibetur, quin viri ducant uxores de alia tribu. Hoc enim quod dicitur in translatione nostra: Omnes enim viri ducent uxores de tribu & cognatione sua; non est in Ebræo; sed ibi dicitur sic: Non revertatur hæreditas filiorum Israël de tribu in tribum; sed unusquisque in hæreditatem tribus patrum suorum adhæreat.* Similia leges apud Card. Cajetanum in hunc locum. Adde etiam Cornel. a Lapide comment. in eundem, nec non Masium in Jos. XVII.

XXXIII. Pergens ad I Esdræ IX, 8. Cardinalis, ubi pro *paxillus* haberi in Vulgata *paxillum*, & paulo post ad Proverb. XVI, 11. ubi pro *sacculi* lege *seculi* Chemnitius monuerat; respondet, esse heic errorem librariorum. *De locis 1. Esdr. 9, 8. & Prov. 16, 11*

XXXIV. Uti autem verum illud est sine dubio, sic male Chemnitio opponitur, quippe qui idem hoc conceptis verbis affirmat; *quam multa*, inquiens, *indocti librarii depravarunt* in vulgata editione, *quæ nunc in templis Pontificiorum pro authenticis sine intellectu leguntur*! idque demonstraturus, inter alia loca etiam hæc duo in exempla adducit.

col. 607. XXXV. Nec est ut aquilas Lutheranas muscas captare, more suo cavilletur maledicentissimus Gretserus, hæc & similia librariorum menda quando in vulgata editione reprehendunt. Utut enim librariorum errata non sint imputanda ipsi versioni vulgatæ in se spectatæ, & prout a primo suo conditore illa est profecta; culpantur tamen merito, si, ubi talia esse in confesso sit, non tollantur, sed data opera in textu retineantur. Quod sane de duobus illis a Chemnitio notatis vitiis in aprico est: quæ, etsi lapsu scribrarum in textum irrepsisse, & res ipsa clamat, & ultro Pontificii agnoscunt, inde tamen excludere noluerunt correctores Lovanienses. Quos ridicule hoc nomine excusat Gretserus, quod voluerint, prius scilicet quam tollerent ista errata, judicium Ecclesiæ exspectare. Quasi nempe non possint manifesta istiusmodi & decumana librariorum vitia satis tuto aufferri, ni ab Ecclesia, hoc est, Romano Pontifice, num tolli debeant, ante simus edocti. Et si adeo fuere timidi Lovanienses, ut ne quidem in re tam aperta mutare aliquid in textu vulgato ausi sint suo judicio, cur emendandi provinciā susceperunt? Nam quid ille emendabit tandem, qui errores emendare metuit tam apertos? Ad editionem

à c. Vaticanam & Clementina Biblia frustra provocat Gret-

Gretserus, ubi disputatur adversus Chemnitii Examen Concilii Tridentini; quippe quod ante Romanas istas curas prodiisse constat.

xxxvi. Porro indigne fert Bellarminus, reprehendi etiam a Chemnitio Vulgatam eo nomine, quod Job. v, 1. habeat: *Voca, si quis est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum convertere;* ebrium forte ipsum fuisse dicens, cum hoc scripsit: nam apertissime in Hebræo esse: *Voca nunc, si est respondens tibi, & ad aliquem de sanctis respice.* *De loco Job. 5. 1.*

xxxvii. Verum si ebrius fuit Chemnitius, dum heic in vulgata versione aliquid desideravit, ebrios etiam fuisse oportet celebratissimum illum Hebræum, Ben. Ariam Montanum, hujusque συνεργοὺς Pontificios alios, quando eadem illa verba, quæ in Vulgata leguntur: *ad aliquem sanctorum*, tamquam Hebræo non satis respondentia, e Pagnini translatione expunxerunt, & מי interrogative reddiderunt, hoc modo: *ad quem de sanctis obtueberis?* ebriam quinimo oportet fuisse totam Academiam Lovaniensem; dum (quod testatur præfatio) istanc Ariæ correctionem publica auctoritate probavit. Quia autem religioni sibi ducent Pontificii, tot Ecclesiæ suæ Doctoribus primariis ebriam tribuere emendationem, ebriumque judicium, agnoscant sui Bellarmini præcipitantiam, qui Chemnitio nostro, in Vulgata heic aliquid desideranti, ebrietatem objicit. Quam profecto potiori jure de ipsius propugnatore Gretsero suspicari liceret, quando tam audacter is scripsit, Montanum particulam מי non expressisse interrogative, sed indefinite. Nemo quippe sobrius negabit, in hac Montani versione, *ad quem*

de sanctis obtueberis? τὸ 'מ expressum esse interrogative. Ceterum quod (ut gloriatur Bellarminus,) hic locus contineat expressissimum verbum de invocatione Sanctorum, tantum abest ut sit verum, ut nec ipse Emanuel Sà, Estius, Pineda, argumentum pro isto dogmate heic agnoscant. Sed de his alibi.

De loco Eccle 9, 1.

XXXIIX. Sequitur locus Ecclesiastæ IX, 1. ubi Vulgata: *Nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta;* cum in Hebræo longe aliter habeatur, nempe, ipsomet vertente Bellarmino, ita: *Et amorem & odium non est sciens homo, sed omnia ante faciem ipsorum.* Dicit autem Cardinalis, veterem *interpretem optimè vertisse, non quidem numerando verba Hebraica, sed ea expendendo, & sensum eorum exprimendo.*

Alius est translator, alius commentator. conf. infra c 13. n 2. & 38.

XXXIX. Verum aliud est, translatorem agere, aliud commentatorem: alia verborum, alia rerum interpretatio. Commentatoris est, si quando locus in textu occurrit obscurus ac difficilis, ex scopo dicentis, antecedentibus & consequentibus, analogia fidei, aliisque momentis, veram sententiam rimari, eandemque verbis magis perspicuis & sermone prolixiori ac liberiori exponere, aut saltem, si certi quid statui non possit, quis sensus præ ceteris commodior sibi videatur, indicare. *Commentarii quid operis habent? Alterius dicta edisserunt; quæ obscure scripta sunt, plano sermone manifestant; multorum sententias replicant; & dicunt: hunc locum quidam sic edissernnt, alii sic interpretantur; illi sensum suum & intelligentiam his testimoniis & hac nituntur ratione firmare: ut prudens lector, cum diversas explanationes legerit, & multorum vel probanda*

banda vel improbanda didicerit, judicet quid verius sit, & quasi bonus trapezita, adulterinæ monetæ pecuniam reprobet; scribit Hieronymus Apologia 1 contra Ruffinum. At translatori integrum minime est, in versionem infarcire aliquid quod in originali non habetur, ut sententiam exprimat, non quam verba textus primigenii immediate præ se ferunt, sed quam ipsemet, conjecturis quibusdam & probabilibus argumentis nixus, vel præconceptis etiam opinionibus inductus, sibi imaginatur. Esto exemplum. Bellarminus, libro 1 de Purgatorio cap. VI, difficillimi illius totque diversissimis interpretatibus nobilitati loci, 1 Cor. XV, 29. *τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται*; veram & germanam expositionem dicit esse hanc, quod Apostolus loquatur de baptismo lachrymarum & pœnitentiæ, qui suscipiatur orando, jejunando, eleemosynas faciendo; ut sensus sit: *Quid facent, qui orant, jejunant, gemunt, affligunt se pro mortuis, si mortui non resurgunt?* Cujus quidem explicationis aliquot ibidem affert rationes, v. g. quod maxime quadret cum sequentibus, sensumque pariat eundem plane cum loco II Maccab. XII, 44. Ubi non inquiremus nunc in ipsam hanc interpretationem, ejusque fundamenta: id enim alio spectat; sed tantum dicimus, si quis, Græci textus versionem adornaturus, illa Apostoli verba: *τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν*; ita reddere vellet: *Quid facient qui baptizantur baptismo lacrymarum & pœnitentiæ pro mortuis?* annon, ut temerarius & fraudulentus translator, indignationem omnium esset provocaturus, etiam illorum ipsorum, qui alias de baptismo lacrymarum locum

cum hunc cum Bellarmino exponunt? Sane Card. Cajetanus ad duos illos transtatores suos, quorum opera in Psalterio ex Hebræo in Latinum traducendo utebatur, *Non est vestri officii*, ajebat, *exponere, sed interpretari. Interpretamini sicut jacet, & relinquetis expositoribus curam intelligendi*; ut in translati illius Psalterii præfationem scribit.

XL. Hæc ad præsens nunc applicentur. Quæstio est, an locum Ecclæ IX recte ac fideliter e fonte expresserit Vulgatus? Nos negamus. Neque enim in Hebræo habetur illud: *dignus* odio vel amore; cum aliud sit, odium & amor, aliud, *dignum* odio & amore: non etiam extat in Hebræo adversativa, *sed*; nec istud: *servantur incerta*; ut mittam alia. Quod vero Bellarminus ait, veterem interpretem non verba numerasse, sed sensum expressisse; id eum non magis heic excusat, quam excusaturum esset illum, qui eo modo, ut ante dixi, vertere vellet locum de baptismo ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. Sicut enim, quanto difficillior iste Pauli locus, quantoque pluribus diffidentium Interpretum expositionibus obnoxius, tanto audacior merito censendus esset, qui verbis ἐξωτερικοῖς in textum illatis ad sensum sibi probatum accommodare eum vellet: ita de loco etiam Ecclesiasticæ judicandum; qui & ipse dubius est, ac talis, de cujus sensu non convenit inter omnes; uti ingenue fatetur Alphonsus de Castro, libro VII adversus Hæreses, verbo, *Gratia*.

XLI. Ceterum quæ commodissima ejus sit sententia, operose heic disquirere nihil attinet. Pertinet id potius ad controversiam de certitudine gratiæ, ubi testimonium hoc in prima acie solet a Pontificiis locari

cari. Tantum notetur, quod Bellarminus ait, verissimam hujus loci intelligentiam esse, non posse hominem, etiam qui nullius peccati sibi conscius, certo statuere, dum heic vivit, justusne sit, an non; id usque adeo non esse vero consentaneum, ut inter ipsosmet etiam Pontificios viri celeberrimi contrarium sentiant. Sic Alphonsus Salmeron, expendens textum illum, in commentario ad II Corinth. XII, disp. XIV, *Hic locus*, ait, *nequaquam probat, quod aliqui inde accipiunt, hominem nescire amorem* DEI *erga se*: & Alphonsus de Castro, cum in prioribus operis sui editionibus dictum hoc tanquam apertissimum pro gratiæ incertitudine testimonium adduxisset, postea illud rejicit, longeque alium ejus esse sensum, palam professus est, loco jamjam citato. Adde quæ habent Cajetanus & Joh. Ferus in hunc locum, Thuanus, Arias Montanus, & Marianus, in suis Paraphrasibus, Pineda in Job. XXI, 26. & P. Suavis sive Sarpius libro II Historiæ Concilii Tridentini. ubi narrat, cum in Synodo illa de certitudine fidei disputaretur, & contra eandem hunc Salomonis locum urgerent Serapidandus, Vega, & Soto; Catharinum, Marinarum, quique cum his faciebant, respondisse, non facere eum ad hanc rem; cum alias concludendum hinc foret, sceleratissimum quemque peccatorum, in peccatis perseverantem, nescire, an Deo sit invisus.

XLII. Objicit amplius sibi Bellarminus ex Chemnitio locum Ecclesiastici V, 5. ubi Vulgata habet: *De propitiato peccato noli esse sine metu*; cùm in Græco sit: περὶ ἐξιλασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνου ἐν πλεονασμῷ. Respondet autem, varias heic esse lectiones, ut Cor- *De loco Sir. 5, 5.*

nelius Jansenius in hunc locum ostendat. Quosdam enim codices habere: *de propitiato peccato*; & quosdam: *de propitiatione*, sive, *de propitiatu peccati*. quæ posterior videatur melior, cum sit conformior Græco textui. Sed tamen etiam hinc convinci esse falsam hæreticorum sententiam, qua jubeant hominem certo credere, se esse justum, vel fore justum, si ita credat.

XLIII. Ubi sicut non nego, variare heic lectiones Vulgatæ (etenim in editione Norimbergensi, quæ anno cIↄ cccc LXXV ex Antonii Cobergeri officina prodiit, habetur: *De propiciatu peccatorum*. atque sic in nonnullis exemplaribus legi, annotatur etiam ad hunc locum in editione Lugdunensi anni cIↄ Iↄ xx; uti & translatio vetus Germanica, anno cIↄ cccc LXXXVII Augustæ excusa, habet: **Nit wöllest sein on Forcht vm die vergebung der Sünden**) ita mirari subit, cum Bellarminus lectionem: *de propitiatione* vel *propitiatu peccati*, præferat alteri illi: de *propitiato peccato*; quid moverit ipsum, ceterosque ad eum laborem deputatos Patres Romanos, ut in editione Clementina, quæ reliquarum omnium debebat norma esse, retinerent lectionem minus probatam, nec Græco satis respondentem. Quidquid autem hujus: quod ad Chemnitium attinet, secutus is est lectionem communiorem, (alteram enim illam non ita passim occurrere, vel inde constat, quod Fr. Lucas Brug. cum, post edita jam Clementina Biblia, ex vetustis mss. non paucas collegerit lectionum varietates, hujus nullam omnino mentionem fecerit) & quam hodieq; exhibent codices, quorum auctoritate standum Pontificiis.

anm. 1. & infra c. 13. n. 22.

XLIV.

XLIV. Quod vero recepta isthæc & a Chemnitio notata versio textui Græco haud conformis sit, adeo est evidens, ut ipse id Bellarminus diffiteri nequeat: sicut idem agnoscunt etiam in suis commentariis Jansenius ac Tirinus, nec non Bellarmini hyperaspistes Christophorus a Sacrobosco, parte III Defens. cap. VI. Porro an hoc Siracidæ testimonium doctrinæ de certitudine remissionis peccatorum recte a Pontificiis opponatur, alterius loci est disquirere. Heic tantum observentur, quæ Cornelius habet Jansenius, Episcopus Gandavensis, cujus manibus Sacerdos olim inauguratus est Bellarminus. Ubi videlicet reprehenderat ille versionem: *de propitiato peccato*, tamquam Græco non respondentem, mox subjungit: *Quam lectionem contra hæresin nostri temporis, qua docetur, hominem certo credere, sibi remissa esse peccata, plerique citant, ex eo contrarium ostendere conantes; sed argumento non satis firmo: tum quod ea non sit lectio verior, tum quod dici posset, Sapientem securitatem prohibere propter recidivi periculum; cui magis convenit quod sequitur: neque adjicias peccatum super peccatum.* Ad hunc modum *eximius* ille & *candidus sacræ Scripturæ interpres* (sic enim Gretsero nostro audit) Jansenius; cui calculum adjicit, Bellarminum suum heic deserens, citatus ante Sacroboscus. *Vid. Fuligat. Vit. Bell. l. 2. c. 7.* *col 650. 676.*

XLV. Sequitur locus Ecclesiastici XVI, 15. ubi Vulgatus: *Misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum;* cum in Græco sit: *πάσῃ ἐλεημοσύνῃ ποίησον τόπον· ἕκαστος γὰρ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ εὑρήσει*, id est, ut reddit Arias Montanus: *Omni eleemosynæ fac locum: unusquisque enim secundum opera sua inveniet.* *De loco Sir. 16, 15.*

Quod

Quod toto cœlo differt a vulgata versione, ut quæ primo heic e duobus periodi membris facit unum; deinde pro Dativo substituit Nominativum, &, si Ariæ lectioni standum, (nonnulla enim exemplaria habent, *μισήσει*) pro secunda persona Præsentis Imperativi, tertiam Futuri Indicativi; tandem infarcit vocem, *meritum*, quæ in Græco non est. Bellarminus, ceteris dissimulatis, postremum ita excusat; quod, licet in Græco non sit ipsum nomem *meriti*, (neque enim vocem Latinam posse ingredi sermonem Græcum) habeatur tamen ibi aliquid quod idem significet, & rectissime per *meriti* vocabulum exprimatur, nempe *κατὰ ἔργα*. Nam *nemo*, ait, *qui Græca lingua vel tenuissime sit peritus, negare potest, quin κατὰ ἔργα significet Latine, pro meritis operum.*

Bell. Græca lingua rudis. XLVI. Ubi facile id largimur Bellarmino, quod tenuiter admodum oporteat Græcæ linguæ peritum esse, qui dixerit, *κατὰ ἔργα* significare Latine, *pro meritis operum.* Nam quis tandem illius linguæ tirunculus ignorare queat, *κατὰ ἔργα* non notare, *pro meritis operum*, sed, *secundum opera*? Et posset sane hæc tam temeraria Cardinalis assertio alicui persuadere, non omnino præter rem Exercit. anti-Baroniana XVI, 150. doctissimum scripsisse Casaubonum: *Est ridicula plane res, hominem Græcarum literarum prorsus ἀμύητον, (quod omnia Bellarmini scripta ostendunt) judicare velle de Græco scriptore.* Verum de Gretsero quid dicemus, qui ejus linguæ magisterium diversis editis libris est professus? Nam & is Bellarmini sui effatum, quod *κατὰ ἔργα* Latine significet, *pro meritis operum*, heic tuetur. Eat ergo uterque, &, v. g. in illo *κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν μὴ*

col. 618.

ποι-

ποιεῖτε, Matth. xxiii, 3. vel in eo: κατὰ πάντα τὰ ἔργα αὐτῶν, ἃ ἐποίησάν μοι, οὕτως αὐτοὶ ποιοῦσιν καὶ σοὶ, 1 Sam. iix, 8. in his, inquam, similibusque locis, κατὰ τὰ ἔργα, Latine reddat: *pro meritis*, sive, *secundum merita operum*; & omnium ludibrio haud dubie se exponet.

xlvii. Neque est ut dicant, e contextu & circumstantiis loci posse dijudicari, quando κατὰ ἔργα, &, *pro meritis operum*, unum idemque sint. De hoc enim nunc non quæritur: sed ait Bellarminus, quemvis, qui Græcæ linguæ vel tenuissime peritus, scire, quod κατὰ ἔργα significet Latine, *pro meritis operum*; indeque non e contextu, sed ipsa vi vocabulorum, æquipollentiam hanc arcessit. Nam quando, ut vera alicujus phraseos significatio innotescat, opus est consideratione contextus, magnæ imprudentiæ fuerit, dicere, neminem, qui linguæ, cujus est illa phrasis, vel tenuissime sit peritus, ignorare posse, quid ea significet, cum sæpe etiam puer peritiam habeat alicujus linguæ non contemnendam, qui tamen eo nondum pollet judicio, ut ex antecedentibus, consequentibus, aliisque circumstantiis eruat, quæ ex verbis per se non satis sunt manifesta.

xliix. Ceterum quod ad præsentem Siracidæ locum attinet, eum de nullis operum meritis agere, ipse Gregorius M. testis est. Explanans namque Psalmum vii pœnitentialem, qui in numero Psalmorum Davidicorum est cxliii, ad hujus comma iix: *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam*; ita scribit: *Quod si illa sanctorum felicitas misericordia est, & non meritis acquiritur, ubi erit, quod scriptum est: Et tu*

tu reddes unicuique secundum opera sua? Si secundum opera redditur, quomodo misericordia astimabitur? Sed aliud est, SECUNDUM opera reddere, & aliud, PROPTER ipsa opera (quid autem hoc aliud, quam, pro meritis operum?) *reddere. In eo nim, quod, secundum opera, dicitur, ipsa operum qualitas intelligitur: ut, cujus apparuerint bona opera, ejus sit & retributio gloriosa. Illi namque beata vita, in qua cum Deo & de Deo vivitur, nullus potest aquari labor, nulla opera comparari.*

De loco Joel. 2, 13. XLIX. Pergimus ad locum Joël. II, 13. ubi Vulgata habet: *Præstabilis super malitia*; cum in Hebræo sit, ipsomet Bellarmino vertente: *Pœnitens super malitia*, vel, ut Pagninus & Arias Montanus reddunt: *pœnitens super malo.*

L. Chemnitius noster locum hunc inter ea refert, quæ ab indoctis librariis depravata. Nec certe præter rem suspicari quis possit, irrepsisse illud *præstabilis* in textum pro *placabilis*, qua voce utitur Vulgata Exod. XXXII. 12. ubi eadem illa Hebræa, quæ heic apud Joëlem leguntur, videlicet, ונחם על הרעה transfert: *Et esto placabilis super nequitia.* Certe Sacroboscus ait, forte *τὸ præstabilis* Vulgato idem esse quod *placabilis*. Verum ratione literarum ac syllabarum convenientia quædam inter hæc duo & affinitas, ratione significationis omnino nulla.

LI. Bellarminus, genuinum vocis significatum retinens, *præstabilis super malitia*, idem vult esse quod, *excellens in miserando & in pœna condonanda.* At primo, quis umquam mortalium ad hujusmodi quid significandum tali loquendi formula est usus? deinde, qualis

qualis interpres, qui, cum posset verbis propriis ac usitatis, perspicuoque sermone, quod in originali satis aperte dicitur, exprimere, mavult per ambages illud & ænigmata, non tam significare, quam divinandum proponere? Atque hæc me movent, ut pene arbitrer, nec apud Hieronymum, ad cujus heic auctoritatem Bellarminus provocat, scripturam esse satis sinceram; cum certe nusquam alibi Hieronymus Hebræum נחם, quod tamen eodem sensu frequenter occurrit, v.g. Exodi xxxii, 14. Num. xxiii, 19. Jerem. xiix, 8. 10. Jonæ iv, 2. illum in modum vertat. Et insolitas non esse in Hieronymi scriptis istiusmodi ab imperitis audaculisq; librariis invectas corruptelas, hinc inter alia manifesto constat, quod præfationibus in Tobiam & Judith legitur vox *hagiographa*, cum tamen doctissimorum etiam Pontificiorum judicio, *apocrypha* sit legendum. *Qui error*, inquit auctor præfationis Bibliorum, cum Postilla, ut vocant, Lirani aliisque glossis Basileæ anno superioris seculi vi editorum, *in omnibus, quos viderim, codibibus invenitur, & inolevit (ut puto) ex pietate & devotione exscribentium, qui devotissimas historias horrebant annumerare inter apocrypha.* Vide Tractatum nostrum de Canone Scripturæ capite x, 23.

LII. Tandem quod ad dictum Mich. v, 2. attinet, etiamsi Osiandri expositionem suo loco relinquo, non possum tamen, quin mentem ipsius paulo clarius explicem. Vult igitur ille, quique cum eo heic faciunt; sicut alias ab Hebræis Nomina adjectiva sæpe pro Adverbiis ponuntur, quando cum Verbis construuntur, iidemque, quia Neutro genere carent, pro *De loco Mich, 5, 2.*

pro vocibus neutralibus Nominibus utuntur Femininis, quandoque etiam Masculinis: ita & hoc loco id fieri; indeque sic vertenda esse Michææ verba: *Et tu Bethlehem Ephrata* PARUM EST UT SIS *inter chiliadas Juda*, quomodo Es. XLIX, 6. legatur: נקל מהיותך לי עבד *Leve est ut sis mihi servus*, hoc est: nullo modo mihi eris servus. ubi LXX: *μέγα σοὶ ἐστὶ τοῦ κληθῆναί σε παῖδά μου.* Matthæum ergo liberius, sine adstrictione verborum, eodem tamen sensu, reddidisse mentem Prophetæ. Idem namque esse: *Parum est ut sis inter Chiliadas Juda*; &: *nequaquam minima es inter Principes Juda*: cum qui dicit, simpliciter aliquem esse in numero vel conditione horum aut illorum, non notet *ὑπεροχὴν*, sed *ἰσοτιμίαν*, qui vero ait, parum esse, aliquem numerari vel censeri in hoc vel illo ordine, videatur *ἐπιτατικῶς* & cum singulari emphasi *ὑπεροχὴν* designare, sive, obtinere eum ibi locum principem, vel aliquem ex præcipuis, indeque non esse minimum, Sic usitatum etiam esse Græcis scriptoribus, ita per *μείωσιν* loqui, & per locutionem negativam indicare *ἐπίτασιν* contrarii; ut cum, v. c. Dionysius Halicarnasseus Romanam historiam vocet *οὐκ ἐλαχίστην τῶν ὑποθέσεων*, significans, quod sit una e præcipuis, Denique eidem interpretiatoni favere & ipsa Prophetæ verba, textusque *συνέχειαν*. Verba: quia Propheta utatur Masculino צעיר loco Feminini. Præterquam enim quod urbium nomina Feminina sint, ביתלחם subjectum antecedens esse Femininum; cui deberet subjungi צעירה non צעיר. quod cum non fiat, videri τὸ צעיר adverbialiter sumi. *συνέχειαν*, quia alias non cohæreant inter se: *Parvula es ut sis* &c. *ex te egredietur,*

ut

ut sit dominator. Quum enim posterius membrum sit ratio prioris, nullum hoc modo datum iri nexum. Ita habet Osiandrina de Michææ loco sententia. Quæ etiamsi forte tam solida non sit, ut ei tuto acquiescere liceat, ingeniosa tamen est, ac talis omnino, ut ipsis etiam Interpretibus Pontificiis quibusdam haud displicuerit.

LIII. Ceterum quod Bellarminus ait, verba Prophetæ, ut a Vulgato translata, optime cohærere, si legantur interrogative, ut legerit Matthæus, qui propterea verterit negative: *Nequaquam minima es*; Matth. 11, 6. sciendum, hoc jam olim placuisse Isidoro, idemque probari Ludovico Vivi, ad Augustini de Civ. Dei lib. XIIX, cap. XXX, mentem Prophetæ sic exprimenti: *Quid, tu Bethleem exiguus es? Non es certe: quippe ex quo prodibit Princeps recturus populum meum Israëlem.* Eandem interpretationem & Fr. Ribera aliis præfert expositionibus, pluribusque propugnat in suo Commentario, citans in hanc rem Codices Gothicos Isidori, & Biblia Gothica antiquissima, quæ in Ecclesia Toletana habentur, in quibus legatur: *Et tu Bethleem Ephrata, numquid parvula es?* quam translationem Gothicam heic etiam laudat Gaspar Sanctius. Sed & Cornelius Jansenius, Iohannes Drusius, atque ex nostris felicissimus ille sacrarum literarum interpres Joh. Tarnovius, huic interpretationi subscribunt; vocatque eandem *expeditissimam* H. Grotius, *acutam* Lud. de Dieu, *ingeniosam & commodam* Frid. Spanhemius, Dub. Evangel. XLIV, 9. ut mittamus alios, qui idem heic sentiunt.

LIV. Bellarminus interim sententiæ huic, quam

pridem fuerat amplexus, nuncium misit postea; idque, ut ex Recognitione patet, quia *neque in Codice Hebraico neque in Chaldao, neque in interpretatione Septuaginta Interpretum, neque in versione S. Hieronymi, ullum invenitur signum interrogationis apud Michaam*; commodissime Matthæum cum Propheta conciliari ratus, si dicamus, *sanctum Evangelistam non verba Michaa referre, sed sententiam adducere atque exponere voluisse. Quamvis autem*, inquit, *Michaas dixerit, Bethlehem parvulam fuisse in millibus Juda, id est, tam exiguam quoad numerum domorum, ut vix digna esset qua in millibus oppidorum tribus Juda numeraretur; tamen ipse idem satis indicavit, eandem Bethlehem privilegio nativitatis Christi fuisse maximam, & dignam numerari inter principales urbes Juda, cum addidit: ex te mihi egredietur qui regat populum meum Israel. Ad hoc igitur privilegium respexit S. Matthaus, & non ad numerum domorum, vel frequentiam incolarum, & ideo ait: non minima es in Principibus Juda; & adiungit particulam*, enim, *dicens: ex te enim mihi exiet Dux, qui regat populum meum Israel; ut reddat rationem, cur dixerit non esse minimam.*

LV. Ubi monemus, neque sic absoni quid vel novi etiam a Bellarmino afferri, sed quod aliis quoque interpretibus probari videas, tum vetustioribus, Chrysostomo inprimis & Theophylacto; tum quoque recentioribus non paucis, affirmantibus (cum Hieronymo in cap v Amos) *Apostolos & Apostolicos viros in ponendis testimoniis de Veteri Testamento non verba considerare, sed sensum; nec eadem sermonum calcare vestigia, dummodo a sententiis non recedant*; indeque sæpe LXX versionem sequi, sæpe illa tantum verba exprimere quæ ad institu-

tum

tum illorum faciebant. Et, si nobis licet auctorum sententias aliquando citare nostris verbis, utique nec scriptoribus θεοπνεύστοις vitio debere verti, siquidem non stricte verbis Propheticis semper adhærescant; præsertim cum illi fuerint αὐτόπται & αὐτηκόοι, adeoque ipsis licuerit heic singulari etiam libertate uti. Neque excipiendum, quod Matthæus dicat, *scriptum esse per Prophetam*. Interdum enim aliquid scriptum intelligi αὐτολεξεὶ, interdum κατ' ἰσοδυναμίαν, interdum κατὰ λέξιν, interdum κατὰ πρᾶγμα, quomodo, v. c. Gal. IV, 22. Apostolus dicat, *scriptum esse, Abrahamum duos filios habuisse*: quod tamen αὐτολεξεὶ nullibi extet. Atque posteriori hoc modo, quod Matthæus refert, apud Prophetam omnino scriptum reperiri.

LVI. Et observetur, e Judæis ipsum R. David Kimchi in locum Michææ, de quo agimus, ita commentari: *Licet in millibus Juda sis parvus* (tamen) *egredietur ex te Judex, qui imperium in Israelem habeat, nempe Rex Messias. Verbum* להיות *explicandum est: Cum inter urbes Judæ referri nequeas, illarum respectu parva es*. Quibus gemina habet R. Abarbenel, *Etsi*, ajens, *oppidum hoc ambitu suo sit exiguum, & incolæ ipsius præ reliquarum urbium civibus nihil habeant peculiare; nihilominus ex te mihi egredietur qui Israeli dominetur: atq; ille est Rex Messias*. Ubi vides, ipsos Judæorum Magistros, subintellecta particula adversativa, *tamen*, affirmare, verborum Propheticorum hanc esse sententiam, angustum murorum ambitum civiumque paucitatem nullatenus fore obstaculo, quo minus ex Bethlehemo oriatur Messias, Dux nempe omnes alios Reges longo post se intervallo relicturus. Quidni igi-

tur Evangelistæ, παραφραστικῶς verba Michææ recensenti, &, quod alias inde colligi oportet, diserte exprimenti, negare licuerit, esse oppidum illud minimum, intuitu tanti Ducis inibi nasciturí?

LVII. Verum quia controversia ista huc proprie non pertinet, sed incidenter solum a Bellarmino tangitur, nos unumquemque suo heic sensu abundare sinimus. Id interim dissimulare non possumus, haud videri nobis tanti quæ priori sententiæ opponit Cardinalis, ut ad eam prorsus deserendam merito ipsum compulerint. Nam quod ait, in Codice Hebræo non inveniri ullum interrogationis signum apud Michæam, responderi potest, dari & alia Scripturæ loca, ubi æque deficit ה interrogativum, ac verba nihilominus capiuntur ἐρωτηματικῶς. Ita, v. g. Job. XL, 20. Vulgatus cum Interpretibus aliis habet: *An extrahere poteris Leviathan hamo?* nulla occurente in Hebræo interrogationis nota: observarique præterea solent a viris doctis, ubi itidem ἐρωτήσεως absit indicium, loca Gen. XXVII, Num. XXIII, Deuter. XX, II Sam. XIX, I Regg. I, II Regg. V & XIX, Nehem. VI, Jes. XXIX, XXXVI, XXXVII, Jer. XXV, Ezech. XXXIII, Jon. IV, & similia. Porro, quod Chaldæus, LXX, & Hieronymus, non subintellexerunt in textu Michææ ה interrogativum, huic nondum consequens est, neque ab aliis debere subaudiri. Sed hæc operosius persequi nostri nunc non est instituti. Consulat, qui plura eam in rem desideraverit, Spanhemii Dubia Evangelica, dub. XLI, seqq. atque amici nostri veteris, Dn. Johannis Frischmuthi, Harmoniam Michææ V & Mathæi II, anno LXII Jenæ editam.

CAPUT XIII.

Caput XIIII.

De Locis, quæ in Psalmis male reddita esse a Latino interprete, Calvinus disputat.

I.

PRogreditur porrro Bellarminus ad vindicanda loca, quæ in Psalmis editionis vulgatæ male reddita in Antidoto Concilii Tridentini notavit Calvinus. Ubi primo occurrit locus Psalm. II, 12. *Apprehendite disciplinam.* quem vitio Latini interpretis depravatum ait Calvinus, cum in Hebræo sit נשקו בר, *osculamini filium.* Respondet autem Bellarminus, quamvis ad verbum in Hebræo sit: *osculamini*, sive, *adorate filium*; tamen sensum ejus loci rectissime versum per, *apprehendite disciplinam.* Nempe sensum illius: *osculamini filium*, esse dicit: agnoscite, filium Dei esse verum Regem & Messiam vestrum, osculando illi manum honoris gratia: porro, agnoscere, filium esse Regem & Messiam, non aliter posse nos, quam fidem & doctrinam ejus recipiendo; nihil autem aliud esse: *apprehendite disciplinam*, nisi, eruditionem & doctrinam filii Dei recipite. Ita Bellarminus. De loco Ps. 2, 12.

II. Verumenimvero, si illa Psalmi II verba, נשקו בר, recte vertuntur: *apprehendite disciplinam*, ob rationes a Cardinali adductas; quidni etiam hæc, v. c. Deuter. VI, 13. את יהוה אלהיך תירא, vel ista Matth. IV, 10. κύριον τὸν θεόν σου προσκυνήσεις; cum heic eædem rationes militent? imo cur non illa Salvatoris: Σίμων Ἰωνᾶ,

ποίμαινε τὰ πρόβατά μου, Joh. xxi, recte verterentur: Pontifex Romane, esto judex infallibilis omnium controversiarum fidei? cum, docente Bellarmino lib. iv de Rom. Pontif. cap. iii, iis Christi verbis Pontifex sit institutus Doctor totius Ecclesiæ infallibilis. Nimirum aliud est, textum vertere, sive ex una lingua in aliam transferre, aliud, e textu argumentari, vel per consequentias aliquid deducere. Fido translatori non licet a verbis tam longe discedere, & audaciam suam nescio cujus sensus obtentu excusare.

Aliud est, textum vertere, aliud, e textu argumentari. conf. infra n. 38.

iii. Quomodo vertendus sit locus, de quo agimus, si sententiam velis exprimere, tradit Hieronymus Apologia i contra Ruffinum; נשקו *nascu*, inquiens, *ut verbum de verbo interpreter, καταφιλήσατε, id est, deosculamini, dicitur. quod ego nolens transferre putide, sensum magis secutus sum, ut dicerem, adorate. Quia enim qui adorant solent deosculari manum, & capita submittere, — & Hebræi, juxta linguæ suæ proprietatem, deosculationem pro veneratione ponunt id transtuli, quod ipsi intelligunt, quorum verbum est.* En, expositurus sensum, pro, *osculamini filium*, transfert: *adorate filium.* Quæ versio quantum distat ab illa vulgata: *apprehendite disciplinam*! Confer heic quæ præcedenti capite xii, 38. monuimus.

iv. Porro, non esse heic Hebræi ac Latini textus eandem plane sententiam, inde manifesto constat, quod non possumus ex utroque eodem modo & æquali robore adversus Judæos ac hæreticos divinitatem Christi negantes argumentari. Nam Bellarminus ipsemet supra capite ii, *Certe*, inquit, *in 2. Psal. Latini & Græci habent: Apprehendite disciplinam, ne irascatur*

tur, id est, reverentiam exhibete filio Dei, ne ipse irascatur, &c. qui locus est invictissimus contra Judaos. Idem etiam, divinitatem filii ex hoc loco demonstraturus libro I de Christo cap. V, Hebræum fontem urget. Sed & Galatinus, lib. III de Arcanis Catholicæ veritatis cap. VI, diserte agnoscit, non posse ex Latina translatione contra Judæos quidquam heic probari. Cum enim, demonstraturus adversus ipsos, Messiam esse filium DEI, ursisset verba Hebræa: נשקו בר, & vero Hogostratus exciperet, quod Vulgata heic habeat: *Apprehendite disciplinam*; reponit: *Author nostra editionis, aquivocatione vocabulorum deceptus, multa longe aliter transtulit quam veritas Hebraica habeat.* Ut ita, vel ipsius Bellarmini & Galatini judicio, frustra oporteat esse Gretserum, dum adeo audacter, more suo, pronunciat, posse ex vulgata Latina formari argumentum, quod *iisdem penitus lacertis adversus Judaos & Arianos pugnet, quibus illud ex altera translatione* (osculamini filium) *deductum*: item, quidquid contra Judæos efficit hæc versio: *osculamini filium*; hoc etiam efficere istam: *apprehendite disciplinam*. col. 640. col. 639.

V. Dicit Bellarminus: quemadmodum Vulgatus hunc locum transtulit, sic eundem vertere Chaldæum, sic Græcum, sic omnes veteres Græcos & Latinos hactenus legisse. Eaque ratio tantopere illum movit, ut, absurda absurdis cumulans, ipsum Hebræum textum mutationis aliquid heic passum esse, aut etiam τὸ בר *disciplinam* significare, contra omnium & codicum fidem, & Hebraice doctorum consensum, suspicari malit, quam in vulgata Latina errorem agnoscere. Ita namque in sua Psalmorum explanatione scribit:

ſcribit : *Cum Septuaginta Interpretes doctiſſimi fuerint, & textus optimos habuerint, & in translatione hujus loci nulla ſit apud Græcos varietas, & (quod magis eſt mirum) Chaldæus etiam Paraphraſtes reddiderit : accipite doctrinam, ſuſpicor omnino, vel in Hebræo aliquid mutatum vitio temporum, aut certe vocem Bar non ſolum, filium, & puritatem, ſed etiam diſciplinam ſignificare, præſertim cum aliqua litera ſuperaddita. Quemadmodum enim apud Græcos a voce παῖς, id eſt, puer, fit nomen παιδεία, id eſt, diſciplina, quod eſt in hoc loco Pſalmi : ita fieri poteſt, ut a voce Bar, id eſt, filius, fiat aliquod nomen, quod ſignificet diſciplinam, quæ maxime filiis a parentibus debetur.*

VI. Verumenimvero, quod ad Chaldaicam attinet paraphraſin, notum eſt, quam illa frequenter a verborum proprietate diſcedat. De Græca translatione quid habendum, ſuo loco, nempe ſupra capite VI, diximus. Illa vero quia communiter olim erat recepta, non mirum, priſcos Doctores, Hebræi textus ignaros, ut alibi, ſic etiam heic, ejus fidem fuiſſe ſecutos. Quod autem *omnes* veteres ſic legiſſe ait Cardinalis, ut habet Vulgata, id, niſi per hyperbolen excuſetur, verum non eſt. Et mirari ſubit, cum paulo poſt, agens de verbis Pſalmi IV, ita omnes Græcos ac Latinos verſionem τῶν LXX ſequi ſcribat, ut diſerte excipiat Hieronymum, cur non heic quoque id faciat : cum utique idem Hieronymus etiam locum Pſalmi II, de quo agimus, bis aliter verterit, quam eſt in Græco & vulgata; ſemel in ſua Pſalmorum translatione ex Hebræo, ubi habet: *Adorate pure*; deinde in commentariolis, quos Apologia I adverſus Ruffinum ci-

tat, ubi se reddidisse ait: *Adorate filium.* Porro veteribus haud dubie annumerandus est, quisquis etiam ille qui commentaria in Psalmos edidit, Hieronymo, sed perperam (ut ipsimet Pontificii, Sixtus Senensis lib. IV Bibl. sanctæ, Melchior Canus lib. II Loc. Th. cap. XIV, aliique agnoscunt) vulgo tribui solita. Jam vero & ipse commentario in Psalmum II legit: *Adorate filium.* Et si maxime cum Bellarmino statuas, *lib. de Script. Eccl.* non esse hæc commentaria plane diversa ab illis Hieronymi commentariolis, quorum in Apologia contra Ruffinum ipse meminit, manet tamen, auctorem, qui, ut censet Bellarminus, seculo quinto ex Hieronymi aliorumque Patrum scriptis ea compilavit, calculo suo approbasse, imo suam omnino fecisse, isthanc versionem: *Adorate filium.*

VII. Porro vindicaturus locum Psalmi IV, 3. *De loco Ps. 4,3* Bellarminus, ubi Vulgata habet: *Filii hominum usq. quo gravi corde?* cum in Hebræo sit: *usquequo gloriam meam in ignominiam? valde verisimile esse* ait, *corruptum esse textum Hebræum vitio librariorum. Nam*, inquit, *si mutetur* כ *in* ב, *& puncta mutentur, fit*, graves corde, ut quid? *nimirum sic:* כבדי לב למה Chebode leb lammah, *& sine dubio sic legerunt Septuaginta, quorum versionem omnes Patres Græci & Latini sequuti sunt, præter Hieronymum, qui, quoniam aliter legit, vertit: inclyti mei.*

IIX. Ubi observa, quam belle in disputationibus suis noster sibi constet Bellarminus. *Bellarmini inconstantia* Etenim hoc capite, non tantum in præsenti loco Psalmi IV, sed & paulo post Ps. XXXII, 4. LXVIII, 12. Hebræum textum corruptum esse disputat. At vero supra capite II,

 quan-

quando demonstraturus erat, Hebræos codices nec ante nec post Augustini & Hieronymi tempora fuisse depravatos, ad posterius evincendum tali argumento utebatur : *Si post illorum Patrum tempora depravatio illa contigisset, quæ caussa reddi posset, cur Psalmorum interpretatio Hieronymiana ita cum textu Hebraico, qui nunc extat,* IN OMNIBUS *conveniret? & tamen de Psalmorum depravatione præcipua querimonia est.* Unde sic licet concludere:

Qui textus Psalmorum in omnibus convenit cum interpretatione Hieronymiana, is non potest esse corruptus in citatis illis locis Psalm. IV, XXXII, LXVIII.

Atqui textus Psalmorum Hebræus, qui nunc extat, in omnibus convenit cum interpretatione Hieronymiana.

E. idem non potest esse corruptus in citatis illis locis. Minor clare continetur verbis Bellarmini jamjam productis. Sed & Major manifesta. Hieronymus quippe in interpretatione sua secutus est textum Hebræum minime corruptum, eundemque accuratissime expressit: quæ omnia memorato loco fatetur, partim quoque demonstrat, Bellarminus.

IX. Nec est ut excipias, eorum quidem opinionem ibi impugnare Bellarminum, qui volunt, Judæos in odium Christianæ fidei multa codicis Hebræi loca studiose depravasse; interim non negare, sed etiam exemplis in medium allatis adstruere conari, quod incuria librariorum similive casu leves hinc inde errores in originalem textum irrepserint. Quidquid enim hujus, agnoscit sane Cardinalis, vanum esse illam, quam præcipuam esse ait, de Psalmorum corruptione queri-

querimoniam. At quinam isti, qui de Psalmorum corruptione tantopere queruntur? nonne ii, qui, cum de versione Latina cum fonte concilianda, præcipue in Psalterio, desperent, nec tamen in editione, quam authenticam esse jussit Synodus Tridentina, lapsus Interpretis admittere velint, ad Hebræi textûs depravationem, tamquam ad tutissimum asylum, confugiunt? Idem vero hoc capite facere Bellarminum, in aprico est. Ut enim Vulgatæ suæ suppetias ferat, loca Psalterii Hebræa, quæ nec Chaldæus, nec Syrus, nec Masoretæ, aliter legerunt, quam in hodiernis exhibentur codicibus, nescio cujus & quam multiplicis corruptionis postulat.

x. Sed ut speciatim agamus de præsenti loco Psalmi IV, quid sibi, quæso, vult illud כְּבוֹדֵי, quod pro כבודי Bellarminus heic substituit? Ait, esse posse vel Participium passivum verbi כבד, vel Nomen verbale. Quæ quidem miror scribi ab eo, qui Hebræam linguam alios Grammaticis Institutionibus editis docere est ausus. Primo enim, cum Verbum כבד in Kal ex eorum sit classe, quæ עמדים *stantia* Hebræis dicuntur, sive Intransitiva & Neutra, non posse illud admittere Participium Paul seu Passivum, vel pueri norunt. Deinde, si maxime Participium tale a כבד fingere velles, an ejus Plurale constructum foret כְּבוֹדֵי *chebode*, uti bis heic exprimit noster Grammaticus? Utique secunda radicalis in Paul non cholem habet, sed schureck, idque perpetuo, nisi quod evphoniæ causa aliquando est kybbutz, ut לְבֻשׁ, Prov. XXXI, 21. Nullum ergo Participium כְּבֻדֵי agnoscit lingua Hebræa. Sed neque Nomen verbale istud כְּבוֹדֵי esse potest. Plurale

Bell. Grammaticam Hebraeam, quam alios docere volnit, ignoravit ipsemet.

enim כָּבֵד (aliud autem verbale, quod *grave* notet, non datur) in statu regiminis est כִּבְדֵי, Ezech. III, 5. 6. Quæ cum manifesta sint, certe non erat, cur Chemnitio nostro, Theologo Hebraice doctissimo, linguæ hujus sanctæ imperitiam objiceret Bellarminus, (vide cap. XII, §. *Respondeo, falso*) cujus ne prima quidem rudimenta callebat ipsemet. Confer quæ notata jam supra cap. II, 5. Sed videamus, quid porro afferat noster ille Hebræus.

XI. Urget nimirum amplius, sufficere ad veritatem interpretationis, ut sensus sit idem: jam vero, sive legamus ut habent hodierni codices Hebræi, sive ut habet vulgata Latina, sensum semper esse eundem. *Deus enim*, ait, *eo loco conqueritur de hominibus, quod, neglectis æternis, diligant temporalia: & quidem secundum versionem Græcam & Latinam vocat eos graves corde, quia tales sunt vitio suo; secundum Hebræum textum, ut modo se habet, vocat eos gloriam suam, seu inclytos suos, quia tales sunt beneficio divino, si in eis imaginem cœlestem, non vitium proprium, consideremus.*

XII. Ubi primo falsum, quod heic Deus conqueratur de hominibus. Non enim Dei verba esse, quæ nunc expendimus, sed Davidis, de adversariorum suorum audacia & nequitia conquerentis, textus ostendit συνάφεια. Nempe qui heic loquitur, sub initium sermonis Deum invocat, suamque ab eo orationem gratiose exaudiri petit, comm. 2. hinc de inimicorum suorum calumniis ac mendaciis queritur, comm. 3. eosque ad agnitionem consilii & mirificæ protectionis Dei revocat, comm. 4. porro, ut super se lumen vultus sui attollat, a Deo petit, comm. 7. unde

de ex animo gaudeat, comm. 8. & secure habitet, comm. 9. Quæ omnia non Deo, sed Davidi conveniunt. Deinde, licet respectu diverso iidem homines dici possint, & graves corde, & gloria Dei, hinc tamen nullatenus sequitur, ista duo, esse gravem corde, & esse gloriam Dei, ita æquipollere, ut unum possit substitui pro altero in versione textus iblici. Certe idem Deus in sacro Codice audit, & *ignis consumens, Deusque Zelotes*, Deut. IV, 24. & *Deus misericors*, ibid. comm. 31. si quis vero dicere vellet, sensum esse eundem, sive comma illud 24. interpreteris: *Jhova est ignis consumens & zelotes*; sive: *Ihova est misericors*; propterea quod idem ille Deus, qui zelotes est ignisque consumens respectu transgressorum legis, sit misericors intuitu eorum qui vocem ipsius audiunt; annon perversio hæc potius foret sacri textus quam versio?

XIII. Ad locum Ps. XXXII. 4. ubi Vulgata habet: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina*; Hebræus autem textus, vertente Aria Montano: *Versus est humor meus in siccitates æstatis*; respondet Bellarminus, in hoc loco Vulgatum non posse reprehendi, cum non verterit ex Hebræo, sed de Græco transtulerit in Latinum, Græcus vero textus Latino optime heic respondeat. Videri autem LXX Interpretes paulo aliter legisse textum Hebræum, quam modo se habet, ac proinde esse errorem scribarum in Hebræo. *De loco Ps. 32, 4.*

XIV. Verum, si vel maxime concedatur, Vulgatam heic ex asse respondere translationi Græcæ (de quo tamen adhuc dubitari possit: nam illud, ἐν τῷ ἐμπαγῆναί μοι ἄκανθαν, significat: *dum infigitur mihi spina*, et

 non,

non, ut Vulgata habet: *dum configitur spina*; quorum verborum nullus plane est sensus,) quid hoc ad præsens? ubi non quæritur, an Vulgata recte expressa sit e Græco, sed, an sit conformis fonti, id est, textui Hebræo; quem solum agnoscimus in V. T. normam versionum omnium, sive Latinæ illæ sint, sive Græcæ, sive aliæ. Et sane, dum Bellarminus præpostera ratione Hebræum textum heic emendat ex translatione LXX virali, prorsus immemor eorum est quæ supra capite VI scripsit, nempe, illam τῶν LXX versionem *non esse incorruptam, sed valde vitiatam in pluribus locis, ut jam tutum non sit Hebraicos vel Latinos textus ex Græcis codicibus emendare*; & quidem fuisse eam multis in locis corruptam jamtum ante tempora Justini Martyris, quem floruisse constat circa medium seculi II; quin laborare erroribus, ab illis ipsis, *qui primi descripserint libros ex Bibliotheca Regis Ptolomai*, atque ita longe ante vulgatæ Latinæ natalem, invectis: sed nec ejus recordatur, quod capite IX affirmavit, vulgatam Latinam non esse ex pura interpretatione LXX Seniorum, sed ex editione communi, quam multis modis ab ista differre ibidem agnoscit. Horum, inquam, omnium oblivіscitur hoc capite Bellarminus, dum toties tamq; confidenter ad LXX Interpretum auctoritatem provocat, ac si extra omnem controversiam esset positum, quod germanam intemeratamque ipsorum translationem fuerit secutus qui Latinam Psalterii versionem condidit. Vide supra cap. IX, 5. Nimirum scenæ inservire novit Cardinalis noster egregie. Quando enim Vulgata discrepat a textu Græco, & magis convenit cum Hebræo; quod fieri ait in omnibus V.

T. libris extra Psalterium; depravationis arguit Græcum, & Hebræum intemeratum pronunciat, *ne scilicet fateri cogatur, vulgatam editionem Latinam, quam Tridentinum Concilium authenticam esse judicavit, totam quoque esse corruptam*; uti habent ejus verba capite VI. cum quibus confer caput II, ubi omnia illa loca, quæ aliter nunc in Hebræo haberi nonnulli affirmant quam olim ibi fuerint lecta, genuina esse & inviolata hinc ostendit, quod eodem modo, quo in hodiernis codicibus Hebræis extant, extent etiam in vulgata Latina. Quando autem Vulgata discordat ab Hebræo, ac magis respondet Græco, corruptionis insimulat textum Hebræum, eique præfert Græcum, tamquam magis genuinum; (uti hoc capite, & commentario in Psalmos) ne videlicet & heic Vulgatæ suæ cogatur errores fateri. Confer infra num. XXIV.

XV. Sed, inquit Cardinalis, *si, cum videmus, in Latino textu facile potuisse aliquid mutari à librariis propter literarum similitudinem, & non potuisse in Hebræo, dicimus, errorem librariorum esse in Latino; cur hoc loco, ubi facile potuit fieri error in Hebræo, & non in Græco, vel Latino, non etiam dicemus, in Hebræo errore librariorum textum esse immutatum?*

XVI. Resp. Longe alia heic ratio est textus Hebræi, quam Latini. Hebræi textus sinceritatem quanta solicitudine jam inde ab antiquo custodiverint Judæi, docet Bellarminus ipsemet supra capite II, *Scribit Philo*, inquiens, *in libro de egressu filiorum Israel ab Ægypto, & citatur etiam ab Eusebio libro 8. cap. 2. præparat. Evangel. usq; ad sua tempora, per spatium amplius quam duorum millium annorum, ne verbum quidem fuisse unquam in*

in lege Hebræorum immutatum; & quemlibet Judæum centies potius mориturum, quam ut pateretur, legem in aliquo mutari. Et quid aliud sibi voluit stupendus ille Masoretarum labor, dum singulos Hebræi codicis versus, voces, & literas numerarunt, omnemque ipsorum varietatem annotarunt, quam ut sacri textus genuina lectio ab omni depravatione æternum servaretur incolumnis, & ne jota quidem excidere inde posset, minimumve in eo punctum mutari? De Latino autem Vulgatæ textu tantum abesse ut similia dici queant, ut potius contrario modo heic se habeant omnia, jam tum supra cap. x, 35. xi, 6. a nobis ostensum. Nil igitur mirum, si hinc inde depravationem passa editio Latina, qualem non æque experta originalis Hebræa. nam & Chaldaicas paraphrases, quod Masora munitæ non essent, corruptelas passim sensisse, Elias Levita, præfat. III libri Masoreth hammasoreth, agnoscit.

De loco Ps. 38. 8. XVII. Porro ad locum Ps. xxxIIX, quem Vulgatus transtulit: *Lumbi mei impleti sunt illusionibus;* cum in Hebræo sit, vertente Aria: *Ilia mea plena fuerunt fædo;* respondet Bellarminus, verbum Hebræum נקלה & *ignominiam* & *ardorem* significare: *quocirca Davidem loqui de eo pruritu ac ardore libidinis, qui, dum in corpore existit, illusiones in mente gignit.* Nam *Græcum interpretem, quem Latinus, & (quod magis mirum) Chaldæus sequutus, effectum pro causa posuisse; quod neque novum neque mirum cuiquam videri debeat.*

XIIX. At huic Bellarminianæ interpretationi tota Psalmi συνέχεια reclamat. Loquitur namque David de malis pœnæ ob perpetrata peccata divinitus sibi

sibi inflictis, eaque tam gravia esse conqueritur, ut non in cute tantum, sed intus etiam in ipsis intestinis, vilis ille status, qui appareat in vultu & incessu, ortum habeat, utque viscera sua nimio dolore sint pene torrefacta, quemadmodum in illis, quibus ardet jecur, inflammantur pulmones, & omnes corporis partes fiunt emarcidæ; Pruritum & ardorem libidinis in statu adeo misero totque afflictionum concursu! tribuere sancto illi viro, id vero nimis est absurdum. Et quam durus quamque insolitus loquendi modus, quo illusiones ponuntur pro ardore libidinis! Utut enim neque novum neq; mirum sit, effectum poni pro causa in sermone improprio, notum tamen & hoc vel in trivio, tropos non debere esse nimis longe petitos, nimisque obscuros. Ceterum quod ait Cardinalis, versionem hujus loci Græcam non Latino tantum interpreti, sed & Chaldæo arrisisse, inanis est jactantia. Nam Græca translatio habet: *αἱ ψόαι μου ἐπλήσθησαν ἐμπαιγμάτων*, cui quidem respondet Latina vulgata, vertens: *Lumbi mei impleti sunt illusionibus.* At Chaldæus reddit: כסלי אתמלין קדחתא *Ilia mea plena sunt inflammatione*, vel, *adustione.* Quæ cum Hebræo magis convenire quam cum Græco, manifestissimum est; cum in Hebræo sit: כסלי מלאו נקלה quod Pagninus reddit: *Ilia mea plena fuerunt ardore:* quemadmodum ipse etiam Bellarminus, נקלה & *ignominiam* & *ardorem* significare monet.

XIX. Ad locum Ps. LXIIX, 7. quem Vulgata reddit: *Qui habitare facit unius moris in domo*; cum in Hebræo sit, vertente Aria: *Faciens habitare unicos in domo*; respondet Bellarminus, *verba Hebræa optime re-* *De loco Psal. 68. 7.*

 cipere

cipere plures sensus, & omnes veros; interque illos etiam hunc, quem LXX & Latinus expresserint: *Qui in domo sua, quæ est Ecclesia, habitare facit homines unius moris, id est, unius fidei, unius spei, unius voluntatis. Neque hic sensus*, ait, *ab Hebræa voce discedit: nam* יחידים *jechidim, venit à verbo* יחד *jachad, id est, unire; inde fit* יחיד *jadich*, (יחיד dicere voluit) *unitus, sive, unus e multis compositus.*

XX. Ubi an verum sit, quod supponit Cardinalis, posse unius Scripturæ dicti plures esse sensus literales, alterius loci est disquirere. Quantum vero ad præsentem attinet, quam tentat, Latinæ versionis cum textu Hebræo conciliationem, nititur ea hypothesi aperte falsa, nempe, quod יחיד notet *unitus*. Nullibi enim hæc vox isto sensu capitur; sed semper designat *unicum, solitarium, desertum*. Vide Gen. XXII, 2. Jud. XI, 34. Ps. XXII, 21. Jer. VI, 26. Cui non obstat significatio *adunandi*, quam habet radix יחד, cum nemo ignoret, non eundem exacte significatum in Hebræo semper esse radicis, & eorum quæ inde descendunt. Porro si maxime יחידים heic denotaret *unitos*, eo tamen nondum esset probatum, quod notet homines *unius moris*. Neque enim statim, qui sunt uniti, sunt etiam unius moris, &, unitos homines habitare in domo, idem plane est quod, unius moris homines habi-
col. 653 tare in domo: uti inepte scribit Gretserus. Nam quoties contingit, eos qui uniti in eadem republica, vel alias unius societatis aut collegii membra sunt, non esse unius moris? imo quoties accidit, ut ne quidem illi, qui in eadem domo habitant arctissimo illo matrimonii vinculo uniti, moris sint unius? Annon *Esau & Jacob*

Jacob

Jacob fratres fuerunt; & quia simul habitabant, fuit eis causa discordia? dicente Hieronymo in Ps. cxxxii, 1. Tandem interpretatio ista Bellarminiana, qua de Ecclesia, cujus membra unius fidei, spei, ac voluntatis, locum hunc explicat, ab ipsa textus *συνέχεια* refellitur. Ubi enim Propheta DEUM appellasset Patrem pupillorum, & defensorem viduarum, pergens in laudibus ejus commemorandis, subjungit, quod יחידים, id est, orbos ac solitarios, nulla cognatione, nulla amicitia, nullis facultatibus pollentes, sic augeat, locupletet, ornet, ut habeant, in quibus & liberi sint & servi, familias. Unde simul patet, quam a Davidis mente aliena sit illorum expositio, qui, non improbante Bellarmino, de eremitis ipsum heic loqui opinantur, hoc sensu: *Facit* Deus, *ut quidam, præ amore cœlestis contemplationis, relicta frequentia ad loca deserta se recipiant, & soli habitent*. Sed pergamus.

XXI. Eodem Psalmo, commate eodem, Vulgata legit: *qui habitant in sepulchris*; quod, monente Calvino, secundum fontem reddi debuerat: *in siticuloso loco.*

XXII. Respondet Bellarminus, negari quidem non posse, quod vox Hebræa צחיחה *locum arentem & siccum* designet; sed neque credibile esse, id ignorasse Græcum interpretem (quem scilicet heic secutus est Vulgatus) cum vocabulum sit satis notum. Voluisse igitur ipsum exprimere horrorem deserti illius, unde Deus populum suum eduxit, quod quidem instar sepulchri fuerit visum. Ita, inquam, Bellarminus. Cui nihil heic reponimus, nisi quod transfigere eum jubemus cum socio suo & hyperaspiste Gretsero; qui

col. 456. supra capite 11 hanc tradit regulam hermenevticam: *boni Interpretis officium postulare, ut, quando verbum æque aptè per aliud verbum ejusdem prorsus significationis exprimi potest, non exprimatur per aliud prorsus metaphoricum.*

Ibid. comm. 12. XXIII. Rursus eodem Psalmo, commate 12. in Vulgata sic legimus: *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei domus dividere spolia. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.* Quæ ænigmata esse, unde se nullus Oedipus expediat, merito scribit Calvinus. Et ipse sane Jesuita Tirinus, præfatione sui in Scripturam universam commentarii, hunc locum inter ea numerat, de quibus quæsitos etiam insignes Theologos Pontificios, non semel magno suo rubore cespitantes hæsitantesque viderit, nec quidquam ad rem respondentes.

XXIV. Cardinalis tamen noster, ut ne heic quidem editionem authenticam deserat, respondet primo: *non posse accusari Latinum interpretem, qui verterit fidelissime quod in Græco repererit.* Sed illi effugio jam occurrimus supra num. XIV, quando diximus, non quæri nunc, an vulgata Latina fideliter conversa sit ex Græco; sed, an respondeat Hebræo, tanquam omnium translationum fonti. Porro ait: *posse facile Hebræum textum ad* Vulgatæ *lectionem accommodari*, (scilicet textus originalis accommodandus est ad translatitium!) si nempe, quod ipse facit, literas, puncta, voces, sententias, mutes. Verum neque hanc conciliandi rationem ullo modo procede-

re,

re, citato loco jam tum evicimus. Tandem expositionem affert Latini textus, ipsa translatione ferme obscuriorem magisque vitiosam. Quæ cum suamet absurditate concidat, neque etiam de expositione locorum propriè nunc agatur, sed versione, nolumus ei examinandæ heic immorari.

xxv. Amplius hoc ipso Psalmo commate 17. Vulgata legit: *Quid suspicamini montes coagulatos?* quæ neque cum Hebræo conveniunt, neque ullam commodam admittunt sententiam. Respondet Bellarminus: *Cum verbum illud*, רצד, *ratsad, non nisi hoc loco inveniatur, & tot sint fere expositiones hujus verbi quot sunt interpretes*, interim *necessario Interpretum judicio* heic *acquiescendum sit, quis non videt*, LXX *Interpretes omnibus aliis anteponendos esse, præsertim cum eorum versionē Catholica Ecclesia tam longo usu approbaverit?* Ibid. comm. 17.

xxvi. Verum quæ de interpretatione LXXvirali adeo magnifice heic prædicat Cardinalis, ea quam sint vana, jam supra, num. xiv, fuit ostensum. Nunc solum dicimus, quandoquidem, velut ex ibi memoratis patet, Bellarminus fatetur, τῶ LXX editionem jam ante multa secula, imo vero ab his, qui *primi* ex bibliotheca Ptolomæi exempla sua descripserint, fuisse vitiatam, & ita, ipsomet judice, certum nullatenus est, utrum, quæ vel hodie in ea leguntur, vel Latinī interpretis tempore fuere lecta, a LXX illis Senioribus profecta sint; annon heic, ubi de genuino significatu vocis רצד quæritur, tutius longe, eos audire, de quorum singulari in Hebraicis doctrina certo constat? Jam autem horum nemo talem isti vocabulo significationem tribuit, qualem ipsi affricat versio, quæ sub augusto τῶν LXX nomi-

ne vulgo circumfertur. Targum heic habet מפזין *exsilitis*, atque sic alii Hebræi; quomodo etiam Pagninus reddit: *saltatis*. Nonnulli aliter interpretantur; nemo tamen sic ut Græcus.

Ibidem comm. 19. XXVII. Iterum eopse Psalmo commate 19. Vulgata habet: *Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum*; cum in Hebræo sit: ואף סוררים *etiam rebelles*. Nec potuit eorum verborum sententiam exponere Genebrardus, ni pro Vulgatæ suæ, *etenim*, substitueret Hebraicum, *etiam*. Nequit autem heic solita sua exceptione uti Bellarminus: *non posse accusari Latinum interpretem, qui verterit fidelissime quod in Græco repererit*; siquidem voces, *Dominum Deum*, in Græco reperire non potuit, ut quæ non extant ibi. Nimirum ita habet Græca translatio editionis Sixtinæ: *καὶ γὰρ ἀπειθοῦντες τοῦ κατασκηνῶσαι.*

XXIIX. Ubi, Latinam cum Græca versione con-
fol. 664 ciliaturus, primo, *ἀπειθοῦντες* mendum esse typographicum, suspicatur Gretserus, quod irrepserit pro *ἀπειθοῦντας*. Verum quod non ex errore typographi, sed ipsorummet editorum cura, in Romana illa editione sic legatur, in suis ad eam notis satis innuit Flaminius Nobilius: exhibetq; eandem etiam lectionem textus LXXviralis Bibliorum *πολυγλώττων* Anglicanorum ex ista Romana edititione depromptus: quem licet cum Aldina, sive Veneta & Complutensi, vetustissimo item mscr. Alexandrino, contulerint qui operi illi præfuere, &, ut editor Waltonus scribit, *discrepantias omnes annotarint*, ratione tamen vocis *ἀπειθοῦντες*, de qua agimus, nullam has inter Sixtinamq; editionem diversitatem observarunt.

XXIX. Porro idem Gretserus ait, etiamsi illud: *Dominum Deum*, quod in Vulgata est, in Græco non expresse ponatur, subintelligi tamen; *quia*, inquit, *sermo est de Deo, qui etiam* non credentes *seu* rebelles *sibi sumsit, ut in eis, tanquam in suo domicilio, habitaret.* Sed quam inane hoc effugium! Si quid heic subintelligendum, an ex Græco textu potuit constare Vulgato, quod præcise subaudienda verba: *Dominum Deum*? Cur non subintellexit *domum Dei*; ut sententia esset: cepisti etiam rebelles, ut inhabitarent domum tuam, id est, Ecclesiam? Et sane translatori integrum haud esse, pro lubitu in versionem infarcire quæ in originali non habentur; ac aliud esse, Scripturas ex una lingua in aliam transfundere, aliud, commentario easdem illustrare, jam tum supra capite XII, 39. fuit monitum. col. 665.

XXX. Amplius, ubi Psalmi illius commate 23. Vulgata habet: *Convertam in profundis maris*; Hebræus vero textus, ex Pagnini ac Montani versione: *faciam redire de profundis maris*; Bellarminus primo respondet: posse recte ex Hebræo verti: *in profundum*; idque testari R. David, qui מן pro ב interdum usurpari scribat, ut Deuter. XXXIII, 2. Ibid. comm. 23.

XXXI. Verum si maxime τὸ מן aliquando idem quod ב notat, an inde sequetur, etiam hoc loco ita id posse accipi, ubi longe aliud contextus postulat? Et tantum abest, ut illud affirmet, ad cujus testimonium provocat noster, R. David Kimchi, ut ne quidem in Deuteronomii loco eam particulæ מן significationem ipse agnoscat, sed solum, quid alii heic sentiant, exponat; non diffitente Gretsero.

XXXII. Deinde ait Cardinalis: esse varias lectiones

nes tam in Græcis quam in Latinis codicibus; cum alii, *in profundum*, alii, *in profundis*, legant. *Quæ lectio posterior*, inquit, *& verior esse videtur, & cum Hebraica voce satis cohæret. Nam quid aliud est: Convertam in profundis maris; quam, eos etiam, qui sunt in profundis maris, extraham, & convertam?*

Vid. supra cap. 12, n. 2. & 43.

XXXIII. At si verior ista lectio: *in profundis;* cur in editione Clementina prætulerunt alteram? Annon in editione, quæ ceterarum omnium debebat esse norma, lectionem exprimi par erat veriorem? Sed nimirum pensi nihil habet Bellarminus, demoliri quæ extruxerat ipsemet, omnesque partes sustinere, ut Vulgatæ suæ auctoritati quaque ratione consulat. Confer supra num. XIV.

Ibidem comm. 28.

XXXIV. Adhuc eodem Psalmo, commate 28. in editione vulgata legitur: *Ibi Benjamin adolescentulus, in mentis excessu*, cum Hebræus textus, Pagnino ac Aria vertentibus, pro, *in mentis excessu*, habeat, *dominans eis.*

XXXV. Ait Bellarminus: verbum רודם posse significare, *dominator eorum*, a verbo רדה, & etiam, *alte dormiens*, a verbo רדם, atq; posteriorem hanc lectionem secutos esse Græcum Latinumque interpretem. At falsum, quod רודם notare possit, *alte dormiens;* cum non in Kal, sed Niphal, רדם hujusmodi significatum obtineat, & proinde נרדם requireretur, si locum deberet invenire istud Cardinalis responsum.

De loco Ps. 131, 15.

XXXVI. Tandem Psal. CXXXII, 15. Vulgata habet: *Viduam eius benedicens benedicam*; cum in Hebræo clarissime sit: *Victui benedicam.* Respondet Bellarminus, *si ullus error hic est, esse in Græco. Nam*, inquit, *cum*

cum χήραν & θήραν tantum una litera differant, *facile potuit fieri, ut aliqui pro* θήραν *scripserint* χήραν: *nam etiam nunc aliqui Græci habent* θήραν. Subjungit: *Quia tamen sensus fere est idem, & semper in Ecclesia Græca & Latina lectum & cantatum est, viduam, non putarem hunc locum debere mutari. Nam Hieronymus in epistola ad Suniam & Fretellam sapienter monet, ea, quæ in Psalmis Latinis videntur dissentire ab Hebræo, esse quidem notanda & observanda a doctis, tamen non esse propterea mutandum textum, qui tot seculis in Ecclesiastico usu fuit, & tantam obtinuit auctoritatem.*

XXXVII. Ubi, quando dicit Cardinalis, si ullus heic error, esse eum in Græco, hæc ipsius verba nihil præ se aliud videntur ferre, quam quod absolute neget, esse ullum in Latino errorem, etiamsi forte aliquis sit in Græco. Sine dubio tamen hoc non intendit, cum in propatulo sit, Latinam versionem Græcæ ex asse heic respondere, ut proinde, si quid peccatum, utrobique peccatum esse oporteat. Sed quia Calvinus conjectat, imperitum aliquem ita corrupisse textum Vulgatæ Latinum, ut ex *victum* fecerit *viduam*; reponit Bellarminus, si quis librariorum culpa irrepserit error, non Latinum textum violatum esse, sed Græcum, quippe ubi facile potuerit fieri, ut pro θήραν scriberetur χήραν. Quod sane non negamus. Nam simili ratione Psalmo LXXIII, 8. ex καταπαύσωμεν ortum καταπαύσωμεν, observante, epist. CXXXV, ad Suniam & Fretelam, Hieronymo. Quamvis ergo neget Cardinalis, esse in Latino errorem librariorum, sive corruptelam ex scriptorum inscitia vel incuria natam, non audet tamen inficiari errorem ipsius versionis Latinæ ex depra-

vato textu Græco expressæ. Interim quia sensus fere sit idem, sive *victum* legas, sive *viduam*, & semper in Ecclesia lectum & cantatum sit, *viduam*, non putat heic aliquid debere mutari; cum in tali casu aliud Hieronymus suadeat.

XXXIIX. Verumenimvero, annon sensus omnino mutetur, si pro *victum* in memorato Psalmo legas *viduam*, judicet quivis veritatis amans. Patrocinium quidem Bellarminianæ assertionis suscipit Gretserus, & quod idem heic sensus maneat, ita nititur demonstrare:

col. 669. *Si promisit Deus, se victui Sionis largiturum benedictionem, utique etiam viduis Sionis benedictionem promisit: quandoquidem benedictionem non aliter pollicitus est, quam ut ad salutem hominum redundat.* Sed aliud esse, ex textu argumentari, sive per consequentias aliquid eruere, aliud, textum e lingua in linguam transferre, jam supra num. 11 monuimus. Sequi ex verbis Psalmi Hebraici illud quod vult Gretserus, haud imus inficias: sed in ipsa propterea versione id recte exprimi pernegamus. Notum illud Nazianzeni: *Quadam sunt in Scriptura, nec tamen ibi dicuntur.*

Orat. de Spir. S.

XXXIX. Quod autem porro ad Hieronymi auctoritatem heic provocat Cardinalis noster, in eo frustra est. Hieronymus quippe nullam versionem habuit pro authentica; sed in illa ipsa ad Suniam & Fretelam epistola diserte scribit: *Sicut in Novo Testamento, quando apud Latinos quæstio exoritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo Novum scriptum est Instrumentum: ita in Veteri Testamento, si quando inter Græcos Latinosque diversitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem, ut, quicquid de*

fonte

fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis. Cum proinde, ceu dixi, Hieronymo nulla versio authentica fuerit, non duxit consultum, ut, si qua translatio longo usu in Ecclesia invaluisset, eique in publicis sacris populus assuevisset, in illa temere aliquid mutaretur. Vix namque fieri istiusmodi poterat mutatio sine vulgi offensione, uti inter alia docet illa de cucurbita Jonæ historia, quam ad Hieronymum perscribit Augustinus epistola x. Unde etiam Augustinus ipsemet, libro II de Doctrina Christiana, cap. XIII, *Illud*, ait, *quod jam auferre non possumus de ore cantantium populorum: Super ipsum floriet sanctificatio mea; nihil profecto sententiæ detrahit. Auditor tamen peritior mallet hoc corrigi, ut non* floriet, *sed* florebit, *diceretur. Nec quicquam impediet correctionem, nisi consuetudo cantantium.* Sed quid hæc & similia ad vulgatam Latinam, postquam ea a Tridentino Concilio talis est declarata, quæ *in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus, pro authentica* haberi debeat, quamque *nemo* debeat *rejicere quovis prætextu*? An in ejusmodi editione fas erit tolerare data opera, quæ recedunt a textu, quem ex immediato Spiritus sancti afflatu profectum agnoscimus utrinque? Si non plus Vulgatæ suæ tribuerent Pontificii, quam quod præ ceteris versionibus in sacris officiis (ut vocant) illam adhibendam censerent, errata ejus Hieronymi auctoritate possent quodammodo excusare: dum vero etiam in publicis disputationibus & Scripturæ expositionibus ut infallibilem normam eam sequendam statuunt, nihil quidquam pro ipsis facit doctissimus ille Pater; quippe qui expresse ista duo a se invicem, laudato loco, distinguit,

 guit,

guit, *Sic psallendum*, scribens, *ut nos*, ex recepto textu Græco, licet ab originali interdum deflectente, *interpretati sumus; & tamen sciendum, quid Hebraica veritas habeat. Hoc enim quod LXX Interpretes transtulerunt, propter vetustatem in Ecclesia decantandum est: & illud ab eruditis sciendum propter notitiam Scripturarum.* Ubi vides, permittere quidem ipsum, ut in communibus Ecclesiæ exercitiis translatio adhibeatur, cui usus diuturnitas prærogativam conciliavit, etiamsi cetera non possit in omnibus probari; interim tamen eruditos, & qui accurate Scripturas velint interpretari, ad ipsum fontem remittere. Nihil ergo pro colorandis vulgatæ Latinæ, Pontificiis authenticæ, vitiis & erroribus facit locus Hieronymi a Bellarmino citatus. Quin potius observare debuisset ex illa epistola Cardinalis admonitionem viri sancti, quod nequaquam *STULTA debeamus contentione defendere, si quid scriptorum ERRORE* in textu sacro *mutatum.* Cujusmodi sane mutationes inprimis Psalterium antiquæ editionis deturpasse, ipsimet Pontificiæ Ecclesiæ scriptores primarii ultro fatentur. Sic Guilielmus Lindanus, Episcopus Ruræmundensis, præfatione in Psalterium vetus a mendis sexcentis a se repurgatum, *Cum*, inquit, *hoc postremo seculo pleriq; Clericorum, alienis plane à sua quisque professione studiis intricati, ac divinorum propemodum incurii, divinos Psalmos, mendis plurimis, iisque fœdissimis, contaminatos, cum illa Cantorum colluvie (quæ magis verborum numeros appendere, ne præcipitare dicam & devorare, quam sensum tenere studet) negligenter maluerint recitare, quàm repurgare, repurgatosque intelligere, ac prudenter sive intelligenter psallere: hinc*

conf. lib. 3. de opt. gen. int. c. 6.

factum

factum tandem, ut tot nunc scateat Psalmorum liber vitiis, mendis, lectionibus variis, manifestisque adeo corruptelis, ut vix spes foret studiosis, posse sua pristina reddi integritati germanaque lectioni. Qui periculum fecerit Psalmos castigandi, verissimum comperiet quod nos attigimus. Ita, inquam, Lindanus, ille (ut Possevino audit) *haresum expugnator*: cujus verbis hoc caput claudimus; sicut Conradi Pellicani testimonio idipsum concludere visum est Bellarmino. *Appar. p. 705*

CAPUT XIV.

DE LOCIS VULGATÆ CORRUPTIS IN NOVO TESTAMENTO.

I.

VIndicaturus loca Bellarminus, quæ in textu Latino N. T. depravationis arguuntur, orditur a dicto Matth. IX, 13. ubi Vulgata habet: *Non veni vocare justos, sed peccatores*; cum in fonte addatur, εἰς μετάνοιαν. Cardinalis respondet primo, *in quibusdam Latinis inveniri illam particulam.* Deinde dicit, *verisimilius esse, illam particulam in Græco esse superfluam, & in emendatis codicibus Græcis non fuisse. Nam*, inquit, *B. Hieronymus in commentario eam non legit, & tamen Hieronymus diligenter contulit Græcum cum Latino, & ex Græco Latinum correxit.* Addit denique, non esse necessariam isthanc particulam. *Nam*, ait, *vocare peccatores, non justos, aperte significat, hortari ad pœnitentiam eos qui egent, non qui non egent; quod Dominus paulò antè exemplo Medici illustraverat.* *De loco Matth. 9, 13.*

II. Verumenimvero quod ad primum attinet, inveniri nempe in quibusdam Latinis codicibus particulam de qua agimus, agnoscit sane idipsum in suis Correctionibus Romanis, ut vocat, Franciscus etiam Lucas; sed ita, ut nequaquam illas editiones probet. Sic enim scribit: *Quod in nonnullis codicibus sequitur: ad pœnitentiam; non est hujus loci, sed Luc. 5. v. 32.* Nec ipsummet Bellarminum eam lectionem agnovisse pro genuina, in aprico est: partim, quod verba ista non habentur in Bibliis Clementinis, quorum editioni ipse inter alios præfuit; partim quod statim heic subjicit, verisimilius esse, illam particulam in Græco esse superfluam, & in emendatis codicibus Græcis non fuisse, quam esse eam Latino textui detractam. Tametsi hanc verisimilitudinem nos videre non possumus. Quod enim dicit Cardinalis, Hieronymum, qui diligenter contulerit Græcum cum Latino, eam non legere: reponimus, legere tamen Chrysostomum, Theophylactum, Euthymium.

fol. 703. III. Atqui, ait Gretserus, *hac nec nescit nec negat Bellarminus: tantum quaritur, qua exemplaria sint emendatiora?* Sed unde probabit adversarius, emendatiora heic esse exemplaria Hieronymi quam Chrysostomi? aut emendatiores codices habuisse illum, quos secutus sit, quam hunc? Addit amplius; Bezam scribere, quod in duobus vetustis exemplaribus hæc verba defuerint. At vero si defuerunt in duobus, lecta tamen sunt in reliquis septendecim. Cum novendecim enim vetustissimis codicibus Græcum N. T. textum se comparasse, in præfatione testatur Beza. Imo cum editores operis Anglicani πλυγλώτ]α annotarint vari-

variantes lectiones; quas non tantum ex sedecim antiquis exemplaribus Rob. Stephanus, ex totidem Marchio Velesius Petrus Fraxardus Hisp. ex aliis, in Bibliis Græcis Wechelianis, Fr. Junius, summo studio collegerant, sed præterea ex octo aliorum vetustissimorum codicum collatione erant observatæ; non tamen nisi in tribus particulam, εἰς μετάνοιαν, defuisse animadverterunt; nempe in duobus Stephani, (hi vero illi ipsi sunt, quorum in prima suarum Annotationum editione meminit Beza) & uno, quem Academiæ Cantabrigiensi anno seculi superioris LXXXI idem Beza donavit, satis quidem antiquo illo, sed quem optimi commatis haud fuisse, & inter quem ceterosque codices, quantumvis veteres, magnam omnino discrepantiam a se esse repertam, in epistola ad Cantabrigienses Beza fatetur ipsemet. Adde, nec Fr. Lucam Brugensem in suis variantibus N. T. Græci lectionibus alia nominare potuisse exemplaria, quæ sæpius memoratam particulam non haberent, præter illa duo Stephani, de quibus modo dictum. Jam utrum verisimilius? illam lectionem esse genuinam, quæ fide nititur codicum vetustorum amplius quadraginta; an eam, quæ trium dumtaxat?

IV. Ceterum quod postremo scribit Bellarminus, particulam, de qua agimus, non esse necessariam, quia scilicet ex contextu facile intelligatur; id dupliciter potest accipi: vel, quod non sit necessaria in ipso textu Græco, nihilque referat, num legatur ibi, an vero non; vel quod necessaria non sit in versione, sed possit ibi sine crimine omitti, si vel maxime in originali eam haberi sit in confesso. Priori sensu impium est,

est, dicere, quod non sit necessaria in textu, sed omitti possit pro lubitu, particula, quam ab ipsomet scriptore θεοπνεύστῳ profectam esse tot vetustissimorum codicum consensus evincit. Posteriori ratione utut *forte* non sit absolute necessarium, verba illa exprimi, cum etiam sine iis sententia e contextu videatur esse manifesta, si nempe componatur comma hoc 13. cum proxime præcedenti; id tamen non omnino excusat Interpretem: cujus erat, in translatione dicti illius vere aurei ne syllabam quidem prætermittere. Confer supra cap. XII, 29.

De loco Joh. 14, 26. V. Porro ad locum Joh. XIV, 26. ubi Vulgata habet: *Spiritus sanctus suggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis*; cum in Græco sit, εἶπον, *dixi*, respondet Bellarminus, S. Augustinum aliosque veteres sic legere ut legit Vulgata, & sensum esse eundem.

VI. Verum quod ad Augustini aliorumq; nonnullorum Latinorum Patrum auctoritatem attinet, si quid illa heic probat, nihil certe probat aliud, quam quod lectionem, quæ reperitur in Vulgata hodierna, jam olim exhibuerit Latina illa antiqua, quam præ ceteris commendat idem Augustinus lib. II de Doctr. Christ. cap. XV. Hoc autem quid ad præsens? ubi non agitur de convenientia Vulgatæ cum veteri Latina, sed cum fonte. Quod deinde ad sensum spectat, acceptamus quidem, quod agnoscit Cardinalis, in voce, *dixero*, minus recte poni fundamentum auctoritatis Conciliorum, (quamquam alii Pontificii, ut, v. c. Anglo-Rhemenses, secus heic sentiant, imo, *argumentum Topicum & verisimile inde peti posse*, si Gretsero
fol. 707. nostro fides, *nemo Catholicorum abnuat*) interim, quamcumque

cumque expositionem comminiscaris, verissimum manet, quod ingenue scribit Maldonatus, *obscure & ambigue dictum: quaecunque dixero vobis. Poterat*, inquit, *futurum videri, cum praeteritum sit*, εἶπον, *dixi vobis*

VII. Sequitur locus Rom. 1, 4. ubi Vulgata habet: *Qui praedestinatus est Filius Dei*; cum in Graeco sit: ὁρισθέντος, quod notat, *declarati*, vel, *manifestati*. Respondet Bellarminus, veterem Interpretem optime reddidisse. *Nam*, inquit, *etsi verbum illud Graecum* ὁρίζειν, *significet, finire, & apud profanos auctores accipiatur saepe pro declarare, tamen in Scriptura aliter accipitur. Ut enim docet B. Dionysius libro divin. nom. c. 5. hoc verbum est proprium Theologiae, id est, habet in Scriptura peculiarem significationem: nam ubique significat, statuere, decernere, definire, nunquam autem, declarare.* *De loco Rom. 1, 4.*

IIX. Ubi, (ut nihil dicamus de Dionysio, quem scriptorem supposititium esse, toties invictis argumentis demonstrarunt viri docti, praesertim peculiari tractatu Jo. Dallaeus; quique loco a Bellarmino citato non de τῷ ὁρίζειν, sed προορίζειν & προορισμῷ loquitur) quivis videt, niti hanc Cardinalis responsionem hypothesi ista, quasi non possit vocabulum aliquod in uno Scripturae loco obtinere significatum, qui deflectat a significatione quam habet in locis aliis. Id vero falsum est, vel ipsomet teste Bellarmini propugnatore Gretsero; ut qui supra capite IX, disquirens de τῷ ב Hebraeorum, an significare possit *ex*, *de*, vel ἀ, cum separandi notione. *Licet*, inquit, *haec significatio nusquam occurreret nisi in illo dicto Ecclesiast. cap. 2.* (comm. 3.) *conf. Tr. de Canone, cap. 13. n. 4. & seqq.*

an ideo falsa & rejicienda foret? Multa Hebraica vocabula (eadem vero aliarum linguarum ratio) *uno duntaxat loco exstant, & sæpe uno tantum loco aliquam significationem habent, quam si alibi quærere instituas, operam perdas.* Quæ si hoc loco memoria auctori suggesfisset, non certe Whitakero, assertionem Bellarminianam, quod ὁρίζειν numquam in Scripturis significet *declarare*, inde falsitatis postulanti, quod Rom. 1, 4. illam significationem habeat, tantopere insultasset, *Quis non rideat Witackerum*, scribens, *quan-*
col. 707. *do, adversus Bellarminum disputans, eum ipsum locum pro probatione sua & refutatione Bellarmini adducit, de quo tota est controversia?* Quasi vero aliter procederet citato loco Gretserus ipsemet, dum, adversus Junium disputans, τὸ ב aliquando in Scripturis *sejunctionem* notare, eum ipsum locum pro probatione sua Juniique refutatione adduci posse ait, de qua tota erat controversia, nempe locum Ecclæ 11, 3. Nimirum contextus ratio aliæque circumstantiæ interdum evincunt, esse vocabulum aliquod aliter capiendum uno loco, quam capitur locis aliis. id quod exemplis quibusdam demonstravimus Tract. de Canone Scripturæ capite x, 17. Atque ita in loco nostro præsenti e circumstantiis textus manifestum, ὁρίζειν accipi, ut alias, fatente ipsomet Bellarmino, apud profanos auctores accipitur sæpe, pro *declarare.* Propositum quippe est Apostolo, ostendere, quo testimonio Christus, non obstante ἐνσαρκώσεως exinanitione, manifestatus & approbatus sit verus ac naturalis Dei filius: ubi nullus locus prædestinationis vel destinationis significatui. Quod agnoscentes Chrysostomus, Theodoritus, Theophylactus, Scho-

Scholiastes Græcus, τὸ ὁρισθέντος, quod Apostolus habet, explicant pet δειχθέντος, ἀποφανθέντος, κριθέντος, διαγνωσθέντος, ἀποφανισθέντος, & similia. Nec aliter Syrus & Æthiops vocabulum illud heic accipiunt. Quin Emserus etiam & Dietenbergerus in sua translatione Germanica vertunt: zuvor erweiset; addentes glossam: Verstehe / in den Schrifften der Propheten und in dem Gesetze. *Nam*, ait Emserus, *quod in Latino hic legitur, prædestinatus, doctorum sententia intelligitur pro declaratus, ostensus, seu indicatus.* Similiter Jacobus Tirinus, Iesuita, in locum hunc commentans, approbat interpretationem Chrysostomi aliorumque Patrum Græcorum: *declaratus* est. *Hoc enim*, inquit, *proprie significat ὁρίζειν, etiam apud profanos: & sic optime cohærent sequentia. Nempe declaratus est esse filius Dei tribus argumentis: primo, in seu ex virtute, id est, potentia miraculorum editorum ad id comprobandum; secundo, quia dedit Spiritum sanctum & sanctificantem; tertio ex resurrectione.*

IX. Atqui, dicit Bellarminus, aliter legunt, nempe sic uti versio habet vulgata, omnes Latini, etiam antiquissimi, ut Irenæus, Hilarius, Ambrosius, Sedulius, Augustinus, Tertullianus, nec non Concilium Toletanum XI.

X. Resp. Quantum auctoritas Latinorum Patrum heic probet, jam supra num. VI monuimus. Mirari autem subit, Bellarminum hoc loco Latinis tam confidenter annumerare Irenæum, quem non Latine scripsisse, sed Græce, certissimum est, & vel solæ illæ rationes evincunt, quas in libro suo de Scriptoribus Ecclesiasticis Cardinalis affert ipsemet. Vide etiam *ad ann. 180*

 Rive-

Rivetum in Critico ſacro, lib. II, cap. VI. Sed & illud notandum, quod auctor Ambroſium hoc uno capite ſexies adducit ut genuinum auctorem Commentariorum in Epiſtolas Paulinas, quos tamen alibi toties indicat *ad ann. 374.* non eſſe Ambroſii; puta libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, libro I de Chriſto, cap. VI, §. *Ultimo accedat*, lib. I de Clericis, cap. XV, §. *Sed hic locus*, lib. II de Euchariſtia, cap. XIV, §. *Reſpondeo, neque*, lib. IV de Amiſſ. gratiæ, cap. V, §. *Duodecimus*, lib. II de Gratia & lib. arb. cap. XIV, §. *Reſpondeo, commentarios*, lib. IV de Juſtificatione, cap. IIX, §. *S. Ambroſius*: imo nec alterius cujusquam eſſe ex celebratis Patribus, agnoſcit libro I de Matrimonio cap. XVII, §. *Si tamen*; ut mittam alios ſcriptores Pontificios, qui itidem pro ſuppoſititiis habent illos commentarios, Franciſcum nempe Lucam, Maldonatum, Lovanienſes, *Poſſevinum*, Salmeronem, Baronium, Pererium, Lorinum, (quorum teſtimonia annotant Rob. Cocus in Cenſura, & Andr. Rivetus in Critico ſacro, lib. III, cap. *col. 718.* XIIX) Bellarminique hyperaſpiſten Gretſerum. Nempe hic Bellarmini mos eſt perpetuus; ſi quid reperiat in ſcriptis hujusmodi ſuppoſititiis quod cauſæ ſuæ videatur patrocinari, ea laudare tamquam genuinos Patrum illorum partus quorum nomina præferunt; ſin vero aliquid inde ſibi objiciatur Papiſticæ doctrinæ adverſum, repudiare ut ſpuria. De Tertulliano monemus, legere quidem ipſum, libro contra Praxeam, *definitus*, ut Bellarminus citat; ſed non patrocinari hoc Vulgatæ. Nam definitione, quæ ὅρος Græcis, ſolent obſcura explicari: & non diſſimili ratione modum ὁριστικὸν vocant Grammatici, id eſt, finiendi ſeu indicandi,

candi, quod certum aliquid indicet & explicet; ut recte observat Erasmus. Ad Toletanum denique quod attinet Concilium, in eo quidem aliquid habetur de Christo secundum humanam naturam prædestinato; sed nostrum hunc locum ibi vel legi vel exponi, falsissimum est. Verba sunt: *Per hoc, quod de Deo Patre sine initio prodiit, natus tantum, (nam neque factus neq; prædestinatus accipitur) per hoc tamen, quod de virgine Maria natus est, & natus, & factus, & prædestinatus esse credendus est.* Ubi ridicule Gretse- col. 709.
rus, *Annon*, inquit, *Concilium diserte asserit, Christum secundum carnem, & ut ex Deipara Virgine natus est, vocari natum, factum, & prædestinatum? Unde hoc accepit Concilium Toletanum, nisi ex capite primo epistolæ ad Romanos?* Quasi nempe quæcumque in Conciliis affirmantur, αὐτολεξεὶ oporteat extare in Scriptura; & non sufficiat, secundum Pontificios, si per ratiocinationem deducantur ex verbo sive scripto sive tradito. Vide Bellarminum libro II de Conciliis cap. XII.

XI. Pergimus ad locum Rom. 1, 32. ubi Vulgata De loco
habet: *Qui cum justitiam Dei cognovisset, non intelle-* Rom. 1, 32.
xerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus; Græcus autem textus ita: *οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ ἐπιγνόντες, (ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσὶν) οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι.*

XII. Ut & heic Vulgatæ suæ consulat, varia quærit effugia Bellarminus. Primum ait, ex Græco nihil certi posse colligi, cum ibi lectio variet. Dein-

 de

de urget, quod ita legant, ut Vulgata, nonnulli Doctores Latini. Tandem dicit, quod in Græco habetur, videri falsum, & lectionem Latinam omnino esse meliorem. Singula excutiemus.

XIII. Quantum ergo ad lectionis attinet varietatem, quam in Græco heic deprehendi ait Cardinalis, observandum, quod editores operis Anglicani, cum exhibeant variantes Novi Testamenti Græci lectiones, ex tot vetustis codicibus, ab aliis partim, partim a seipsis collectas, (quarum & ante num. III fiebat mentio) non nisi unum annotaverint, in quo legatur, οὐκ ἐνόησαν, ceteris omnibus has voces repudiantibus, quas neque agnoscunt Syrus, Arabs, Æthiops. Iam quid unus codex præjudicabit auctoritati ac fidei tot aliorum? Sed & Titelmannus testatur (ait Bellarminus) se legisse in vetusto codice Græco msc. οὐ συνῆκαν. Esto: nondum duo evertent quæ tanto consensu adstruunt reliqui omnes. Deinde se mutuo produnt Titelmannianus hic codex, & ille Claromontanus, quem Angli citant. Alter enim legit, οὐ συνῆκαν, alter, οὐκ ἐνόησαν. Unde suspicio nascitur non levis, e Latino textu particulam hanc in Græca ista exemplaria irrepsisse, ab aliis aliter Græce ex Latino redditam. Porro nec Origenem ita legisse, ut nos legendum censemus, urget Cardinalis. Unde vero de hoc ipsi constat? Nam Græcum Origenis textum hodie non habemus: interpres vero Latinus annon substituere heic aliquid potuit? Simile quid certe in aliorum Patrum translatione factum videmus; ut quando v. c. interpretatio Latina Chrysostomi in illustri loco Gen. III, 15. habet Femininum, *ipsa*, cum in textu originali Græco

Græco ſit Maſculinum, *αὐτῆς*. Vide ſupra cap. XII, 14. Et in Origenis quidem verſione hujusmodi quid accidiſſe, eo eſt veriſimilius, quo certius, Rufinum (quem verſionis ejus auctorem eſſe, invictis argumentis demonſtrat Eraſmus in Cenſura, & Dallæus lib. II de Dionyſii Areopagitæ & Ignatii ſuppoſititiis, cap. XL) tanta licentia Origenis ſcripta transtuliſſe, ut addendo, demendo, mutando, plane alia fecerit. Cui accedit, quod ipſos etiam Græcos Adamantii in hanc ad Romanos Epiſtolam commentarios jam ſuo tempore interpolatos fuiſſe, teſtatur in verſionis ſuæ præfatione (quæ perperam Hieronymo tribui ſolet) Rufinus. Atque hinc ex ipſis Doctoribus Pontificiis Eſtius, lectionem Latinam aliunde in Origenis libros heic irrepſiſſe ſtatuit. Tandem & Oecumenium annotaſſe Bellarminus ſcribit, quod aliqui olim ſic legerint, ut hodie Vulgata. Verùm non dicit Oecumenius, vel quisquis tandem illius Catenæ auctor (vide Poſſevinum in Apparatu ſacro) ſe vidiſſe codices qui ſic legerint; ſed dumtaxat, quosdam hunc locum ita interpretari, (& id quidem perperam) ut ſenſus ſit idem cum eo quem hodierna Latinà exprimit. Ecce verba. Τινὲς, inquit, *μὴ νοήσαντες τὸ εἰρημένον, ἀλλὰ διαπορήσαντες, καὶ παραπεποιῆσθαι τὰς ἀποστολικὰς λέξεις νομίσαντες, οὕτως αὐτὰς ἡρμήνευσαν. Quidam, non percipientes id quod dicitur, ſed hæſitantes, & falſata Apoſtoli verba ſuſpicantes, hoc modo ca ſunt interpretati.* Tom. 2, p. 169.

XIV. Porro quod ad Doctores attinet Latinos, Cyprianum, Ambroſium, Sedulium, Haymonem, Anſelmum, Heſychium, Symmachum Papam; quos Græcis, noſtram lectionem exhibentibus, opponere

ſe

ſe poſſe jactat Bellarminus; nemo non videt, quantum ad rem præſentem, diverſiſſimam horum illorumque rationem eſſe. Græci enim, qui in citandis & tractandis N. T. dictis ipſum fontem ſunt ſecuti, teſtimonio ſuo, quod jam olim in Græco textu ita fuerit lectum ut hodierni habent codices, docere nos poſſunt: at Latinorum lectio nihil aliud evincit, quam, ipſorum jam tempore verſionem, qua uſi ſunt, quamque expoſuerunt, Latinam, ſic habuiſſe ut hodierna habet Vulgata: quod nihil ad noſtram hanc controverſiam facere, jam ſupra num. VI monuimus. Accedit, quod de Ambroſio falſiſſimum ſit, eum ſic legere ut legit Vulgata. Commentarium enim in Epiſtolas Paulinas nec illius eſſe, nec alterius cujusdam ex celebratis Patribus, Bellarminus ipſemet aperte agnoſcit locis num. X citatis. Sed & Cyprianum Græcam potius lectionem confirmare quam Latinam, inde maniſeſtum, quod in annotationibus ſuis ad epiſtolam a Cardinale laudatam (eſt ea IV libri I, ſecundum editionem Manutii, ſecundum vero Pamelianam LXIII) teſtatur Pamelius, in omnibus ſex mſc. codicibus, quibus in ſua editione paranda fuerit uſus, ita ſe legiſſe: *Qui cum juſtitiam Dei cognoviſſent, non tantum faciunt mala, ſed & conſentiunt eis qui hæc agunt, quoniam qui talia (inquit) agunt, digni ſunt morte.*

XV. Denique falſum videri quod habetur in Græco, & Latinam Vulgatæ lectionem omnino eſſe meliorem, hunc in modum oſtendit Bellarminus: *Secundum Græcam ſenſus eſt, pejus eſſe, conſentire male agenti, quam malum agere: ſecundum Latinam ſenſus eſt contrarius, pejus eſſe malè agere, quam conſentire malè agentibus*

tibus. At certe absolutè pejus est, malè agere, quàm consentire malè agenti. Quis enim neget, pejus esse, occidere hominem, quam tantùm consentire ut occidatur, id est, permittere, cum possis impedire? non enim hic loquitur Apostolus de imperio, vel incitatione ad malum, sed de simplici consensu.

XVI. Verum, quando Græcum textum, tamquam falsi quid & absurdi præ se ferentem, heic accusat Bellarminus, non solum contradicit suæ sectæ Doctoribus, Cajetano, Catharino, Dom. a Soto, Justiniano, Estio, (ut de Valla, Erasmo, Fabro, quos ipse Cardinalis citat, nihil dicam) qui lectionem Græcam optimum sensum parere agnoscunt; sed & alia ratione non semel impingit. Etenim primo ait, *συνευδοκεῖν* in loco nostro non notare nisi simplicem consensum. Quod omnino falsum. Sane Chrysostomus in voce ea declaranda utitur *τῷ συμπράττειν καὶ ἐπαινεῖν*, plane ad mentem Syri & Arabis; Græca scholia explicant per *εἰς τὸ κακὸν παρακαλεῖν*, perinde ut versio Æthiopica; Theophylactus exponit per *συνηγορεῖν*, *patrocinari*; qua ipsa etiam voce utitur in sua paraphrasi Benedictus Justinianus, scriptor Pontificius. Et quis diceret, *τὸ συνευδοκεῖν*, v. c. in illo Luc. XI, 48. *συνευδοκεῖτε τοῖς ἔργοις πατέρων ὑμῶν*, & isto Act. IIX, 1, *Σαῦλος ἦν συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ*, simplicem consensum significare? Videantur & heic Syrus, Arabs, Æthiops, Persa.

XVII. Amplius supponit Bellarminus, in textu nostro Græco comparari inter se, quoad gravitatem peccati, simplicem consensum & ipsum facinus; ut sententia sit, esse crimen atrocius, si quis flagitium perpetranti consentiat, quam si id perpetret ipsemet. Ve-

rum neque hoc ex Apostoli verbis, prout in fonte habentur, evinci potest, quippe quæ nihil aliud præ se ferunt, quam, esse grande capital, & longe transcendere simplicem culpæ commissionem, si non ipse tantum peccata perpetres, sed insuper perpetrantibus aliis delecteris. Jam autem hæc duo multum differunt: esse pejus, si non ipse tantum peccata committas, sed in aliorum quoque flagitia consentias, iisdemque delecteris, quam si simpliciter pecces ipsemet; & esse pejus, si ipsemet male non agens, nude consentias male agenti, quam si malum quidem perpetres ipse, perpetrantibus vero aliis non consentias.

col. 411. XIIX. At, inquit Gretserus, *annon communi loquentium consuetudine, si quis ita loquatur*, ut heic loquitur Paulus, *posterius membrum pro graviore habet quàm prius? Si dicam: non solum scortantur, sed & mœchantur: non solum furantur, sed latrocinantur; annon significo, gravius scelus esse adulterium & latrocinium, quam scortationem & furtum.*

XIX. Ego vero, Gretsere, non existimem, hujusmodi *ῥήσεων* ex se & necessario eam esse vim, ut, qui iis utitur, posterius membrum habeat pro graviori. Ecce enim, accusatur v. g. Titius parricidii: producitur testis: quærit Judex, an Titius parricidii reus? testis, exaggeraturus facinorosam hujus vitam, Titius, inquit, non solum parricida est, sed & fur. Num, qui ita loquitur, furtum, quod in sermone suo loco ponit posteriori, censendus est pro graviori habere crimine, quam sit parricidium? Nemo id dixerit. Similia exempla passim obvia. Unde intelligitur, per accidens fieri, quod interdum in ejusmodi loquendi modis posterius

sterius priori plus momenti habeat, & aliunde de eo quam ex nudo illo ordine esse judicandum. Certe nec in iis exemplis, ubi plures virtutes dicta ratione junguntur, quæ posteriori loco a proferente ponitur, semper ex mente ipsius dignior est & excellentior. Ita laudet quis, v. c. Iohannem a singulari eruditione Theologica: accedat alius, &, exaggeraturus ejus doctrinam, dicat: imo vero non solum eximius Theologus est Iohannes, sed & egregius Medicus. an, qui hæc ait, credendus est Medicinam, quam posteriori loco in sermone suo ponit, præferre Theologiæ?

XX. Utut autem hæc ita se habeant, utut, inquam, ex verbis Pauli, de quibus agimus, non eliciatur necessario, flagitiosis *συνευδοκεῖν*, crimen esse gravius, quam si ipse flagitium committas; quod tamen ad rem ipsam attinet, omnino probamus illud Chrysostomi: *τοῦ πλημμελοῦντος ὁ τὴν ἁμαρτίαν ἐπαινῶν χαλεπώτερος πολύ. Eo qui peccat longe deterior est qui laudat.* Sane peccare ex se impium est, pœnaq; sempiterna dignum: at vero peccatis delectari, animo suo judicioque iis applaudere, illis patrocinari, ad ea concitare & impellere (quæ est vis τοῦ *συνευδοκεῖν*, ut num. XVI ostensum) summus pene est in peccato gradus: quandoquidem qui id faciunt, *efficiuntur tanquam docentes, quod hæc sint licita*; ut scribit Cajetanus.

XXI. Porro, quando ait Chemnitius, Rom. IV, 2. ubi Paulus dicit, Abrahamum non ex operibus justificatum; in Vulgata Latina vocem *legis* esse additam, *ut de ceremonialibus philosophari possent*; respondet Bellarminus, *meram calumniam esse. Nam*, inquit, *codices Latini vel omnes, vel fere omnes, non habent illud,* *De loco Rom. 4. 2.*

 legis,

legis. *Neque nos intelligimus locum illum de operibus legis veteris, sed de operibus factis viribus propriis. Adde, quod Ambrosius & in textu habet*, legis, *& in comm. exponit de lege veteri. Non igitur Papistæ locum istum, ut Kemnitius mentitur, corruperunt.*

XXII. Sed non erat, quamobrem calumniæ heic Chemnitium postularet Cardinalis. Quod enim codices Latini vel omnes, vel fere omnes, habuerint illud, *legis*, adeo certum est, ut ne ipse quidem Gretserus id inficiari sit ausus. Exhibuerunt sane isthanc vocem manuscripta, quibus usi Lovanienses; habent eamdem editio Veneta ann. cIↄ CCCCLXXIX, & cIↄ Iↄ XIX, ac Lugdunensis ejusdem seculi anni XX, (de qua sub codicis finem legitur:

col. 714.

Fontibus e Græcis, Hebreorum quoque libellis
emendata satis & decorata simul
Biblia sum præsens: superos ego testor & astra,
est impressa nec in orbe mihi similis)

ann. item LV & LVI: legerunt ita in suis exemplaribus Aquinas, Liranus, Carthusianus, alii: sed & Lovaniensium editio Gallica sic omnino reddidit: *par les œuvres de la loy*; reddiderunt ita Emserus & Dietenbergerus: aus den wercken des Gesetzs; ac diu ante translatio Germanica anno cIↄ CCCC LXXXVII Augustæ edita: aus den wercken der Ee. uti antiquissima Saxonica: uth den wercken der olden Ee. sic enim *lex* tum dicebatur Germanis. Neque opus habuisset in suo Romanarum correctionum libello Fr. Lucas Brugensis illa admonitione: *Nomini, operibus, non addas, legis*; ni vulgo ita lectum fuisset antea. Quæ cum ita sint, annon vere scripsit Chemnitius, τὸ *legis* in Vulgata textui sacro esse additum?

XXIII. Equi-

XXIII. Equidem Gretſerus heic excipit, quod *non ita hanc voculam additam dixerit* Chemnitius, *quaſi in nonnullis duntaxat exemplaribus addita fuerit, aut olim etiam; ſed quaſi omnia omnino exemplaria occupaſſet; nec olim, ſed nuper, vel Patrum noſtrorum memoria.* At nusquā hæc dicit Chemnitius. Ejus verba ſunt: *Roma. quarto, ubi Paulus dicit: Abrahamum non ex operibus juſtificatum; additum eſt, operibus legis: ut ſcilicet de ceremonialibus philoſophari poſſent.* Quibꝰ de textu loquitur Vulgatæ, prout tunc, quando hæc ſcribebat, anno videlicet ſuperioris ſeculi LXV, communiter haud dubie is fuit lectus: cum & paucis ante annis Venetiis & Lugduni codices prodiiſſe qui ſic haberent, jamjam dixerimus. Quod autem poſtea voculam *legis* in ſuis editionibus omiſſuri erant Lovanienſes (qui tamen in margine eandem exhibent) & Clementinorum Bibliorum editores, id ſane Chemnitius prævidere non poterat. Porro an nuper, & Patrum noſtrorum memoria, num vero jam olim vox illa controverſa textui Paulino fuerit addita, ne verbulo quidem tangit Chemnitius. At videtur prius illud ideo ipſi tribuere Gretſerus, quod ait, additam eſſe, *ut de ceremonialibus philoſophari poſſent.* Quaſi vero hanc de lege ceremoniali opinionem non foviſſet jam olim Petrus Lombardus! Sed ad Bellarminum revertamur. col. 712

XXIV. Negat ille, Pontificios intelligere locum hunc Paulinum de operibus legis veteris ſive ceremonialis; *Neque nos*, ſcribens, *intelligimus locum illum de operibus legis veteris; ſed de operibus factis viribus propriis.* Verum ut hæc ſit ſententia Bellarmini, Toleti, Salmeronis, Juſtiniani, Pererii, Eſtii, Dominici a So-

to, Corn. a Lapide; num propterea Pontificiorum omnino omnium? Aliud sane testatur Bellarminus ipsemet libro I de Justif. cap. XIX, *Nonnulli ex Catholicis*, inquiens, *docent, per opera, quæ a Justificatione Apostolus excludit, intelligi observantiam legalium ceremoniarum.* Ita Lombardum haud dubie pro suo habebunt Pontificii. Hic vero in Epistolæ ad Romanos cuput III diserte affirmat, Apostolum per opera legis intelligere ceremonialia. Idem statuunt Ioh. e Daventria, in Exegesi errorum Lutheranæ Confessionis, ad artic. IV, Alphonsus Virvesius Philippica V & VI, Alphonsus de Castro adversus hæreses, tit. *Fides*, hær. II, nec non Hieronymus Emserus, glossa ad Rom. III, 28. Germanici sui N. T. cujus verba: **on die werck des Gesetz / das ist / on die eusserlichen Beschneidung und / ander Judische Ceremonien / darauff die Juden allzyhr datum gesetzt hetten.** Conf. Dietenbergeri præfat. in Iohannis a se in Germanicum translatas Epistolas.

XXV. Tandem quod scribit Bellarminus, Ambrosium & in textu habere voculam, *legis*, & in commentario exponere de lege veteri; scribit reclamante conscientia: cum, uti jam supra num. X notavimus, ipsemet alibi aperte fateatur, istos in Paulinas Epistolas commentarios nec Ambrosii esse, nec alterius cujusquam ex celebratis Patribus. Quisquis autem fuerit tandem ille auctor, & ipsum, & quotquot præterea vocem *legis* heic agnoscunt, mendosis codicibus usos affirmat Commentator inter Pontificios celebratissimus Guilielmus Estius.

De loco Rom. XI, 6. XXVI. Progredimur ad locum Rom. XI, 6. ubi in Vul-

Vulgata hæc verba, quæ in Græco ſunt, deſiderantur: *Sin ex operibus, jam non eſt gratia; alioquin opus jam non eſt opus.* Largitur heic Bellarminus, *eſſe in Græcis codicibus illam ſententiam, & à Theophylacto explicari*; ſed addit, *à nullis aliis agnoſci. Nam*, inquit, *nec Origenes, nec Chryſoſtomus, nec Ambroſius, nec ulli alii explanatores hujus loci, ejus meminerunt; ſed nec Auguſtinus, qui frequentiſſimè hunc locum tractat, & præcipuè li. 2. de bono perſever. c. 18.*

XXVII. Ubi fallitur Cardinalis, dum ſcribit, non agnoſci ea verba niſi a ſolo Theophylacto. Agnoſcit ſane præter hunc Interpres Syrus, agnoſcit Arabs, agnoſcit auctor Græcorum ſcholiorum, qui vulgo Oecumenius creditur, agnoſcit Theodoritus; quid? agnoſcit, quem in contrarium adverſarius adducere non dubitat, ipſe Chryſoſtomus, ut *αὐτόψία* docet. Nec eſt ut excipiat Gretſerus, recitari quidem illa ut Paulina apud Chryſoſtomum & Theodoritum, ſed non explicari. Annon enim dicit ipſemet, verba hæc, *quantum ad ſenſum, in priori ſententia ſignificata* eſſe, adeo quidem ut *ſuperflua videantur?* quid ergo opus erat peculiari explanatione? De Origene & Ambroſio repetantur, quæ ſupra num. XIII & X notavimus. Certe nimis impudens eſt Gretſerus, dum, ad Theophylacti & Oecumenii teſtimonium reſponſurus, *quantuli*, ait, *iſti ad Origenem, Auguſtinum, Ambroſium?* Quaſi nempe intemeratos haberemus Origenis libros: & quaſi non ipſe Gretſerus eadem hac pagina ſignificet, neſcire ſe, cujus ſint qui Ambroſii nomine circumferuntur in Epiſtolas Paulinas commentarii! Auguſtini ſimiliumque Latinorum auctoritas quantum heic probet, jam ſupra num. XIV & alias dictum.

col. 715. ſeq.

col. 716.

col. 715.

XXIIX.

xxIIx. Obiter heic nota, quam iniqui cavillatores sint Emſerus & Dietenbergerus, dum Lutherum noſtrum inſimulare non erubeſcunt, quod ex ſuo cerebro textui Apoſtolico aſſuerit: **Iſts aber aus verdienſt/ ſo iſt die genade nichts/ ſunſt were Verdienſt nit verdienſt:** quæ ſane, ut diximus, apud Syrum, Arabem, Chryſoſtomum, Theodoritum, Theophylactum, Scholiaſten veterem, æque habentur ac apud Lutherum. Sed nimirum his opus erat præſidiis, ſi conſtare ſibi deberet numerus ſeptem illorum & ſexcentorum locorum, quibus N. T. textui vel addidiſſe quædam in ſua translatione, vel detraxiſſe, vel impiis eum annotatiunculis depravaſſe Lutherum, idem Emſerus Chriſtiano orbi perſvadere conatus eſt.

De loco Epheſ. 5, 32. xxIx. Subſequitur locus Epheſ. v, 32. ubi, cum in Græco ſit vox μυστήριον, vulgata Latina habet, *ſacramentum.* Quam translationem ait Bellarminus, carpi a Chemnitio ut profectam a Pontificiis, quo probare inde poſſent, Matrimonium eſſe ſacramentum.

xxx. Verum nihil aliud dicit Chemnitius, quam quod Vulgata in multis locis, inter quæ etiam hic de quo nunc agimus, transformata ſit ad dogmata Pontificia, id eſt, (ut e contextu patet) quod a conditore illius verſionis textus ſacer multis in locis ita ſit traductus, ut ſpecioſius ſua quædam inde dogmata ſtabilire poſſint Pontificii quam ex fonte. Confer ſupra cap. x, 47. Atque id verum eſſe ſpeciatim de noſtro hoc loco, negare non poſſunt ipſi Papiſtæ, ut qui, dicente Gabriele Vazquez, in partem III Thomæ, diſp. cxxIIx, cap. 1, inde *contendunt deducere nomen Sacramenti, ut ſignificet non ſolum ſignum rei occultæ in univerſum, ſed eti-*

etiam speciatim res illas septem, quas Sacramenta Ecclesiæ vocant.

XXXI. Cui sententiæ obviam iturus Cajetanus, distinguit sane inter *sacramentum* & *μυστήριον*, *Non habet*, inquiens, *ex hoc loco prudens lector à Paulo, conjugium esse Sacramentum. Non enim dicit, Sacramentum, sed, mysterium hoc magnum est.* Quoipso patrocinatur versioni Lutheri: Das Geheimniß ist groß / adversus Emseri censuram, qui reddendum contendit, redditque ipsemet (ut & Dietenbergerus ac Moguntini) das ist ein groß Sacrament. Vide translationem ejus N. T. Germanicam, & Annotationes ad versionem Lutheri annot. CXVI, a.

XXXII. Ulterius Ephes. VI, 13. Græcus textus habet: *ἵνα δυνηθῆτε ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι. ut possitis omnibus confectis stare*; at Vulgatus: *ut possitis in omnibus perfecti stare.* Respondet Bellarminus, sensum esse eundem: sed oportere *τὸ perfecti* conjungi, non cum verbo, *stare*, sed cum voce, *omnibus*; ut, *in omnibus perfecti*, idem sit quod, ab omni parte muniti & armati. *De loco Eph. 6, 13.*

XXXIII. Ubi mirari subit, non succurrisse Cardinali, quod sint diversæ hujus loci lectiones in editione Latina; cum, ut Lucas Brugensis observat, nonnulli libri habeant: *omnibus perfectis*; quod etiam Beza testatur. Certe si supra capite XII in loco Sir. V, 5. non dubitabat e variantibus lectionibus: *de propitiato peccato*, &: *de propitiatione peccati*, priori, quam communiter exhibent codices, præferre posteriorem, quod hæc Græco esset conformior; cur non eandem ob causam heic probat lectionem: *omnibus perfectis*, quæ Græco respondet ex asse? Interim Chemnitius recte carpit

istam lectionem: *in omnibus perfecti*, ut quæ codices plerosque, ipsam quinimo editionem Clementinam, occupavit, quamque mutandam esse negat, etsi timide, Fr. Lucas, *NON FACILE scribas*, ajens, *sublata præpositione*, in, *Ablativos absolute positos*, omnibus perfectis, *ut nonnulli libri*. Licet vero Bellarminus sensum aliquem receptæ illius lectionis comminiscatur, quo admisso, videri ea possit fonti non adeo refragari; cum & Syrus verbum κατεργασάμενοι de ipsius armaturæ apparatu acceperit; Staphylus tamen, qui, ut hujus loci mentionem injiceret, ansam Chemnitio dedit, longe aliter verba ista Latina intellexit, dum nempe perfectionem bonorum operum inde probare sategit; quemadmodum & Emserus; qui non tantum ipse transfert: auffdas yhr kundt in allen dingen bestehen als die vollkommene; (quomodo item Dietenbergerus ac Moguntini) sed & Lutheranæ versioni gravem dicam scribit, quod habeat: in allen dingen gerüst sein/ annot. cxv, b. Non penetravit etiam, quæ Bellarminus heic vidit, auctor versionis antiquæ Germanicæ, cujus supra num. xxII fiebat mentio, ut qui transfert: daß ihr mügt volkommen steen in allen dingen; quemadmodum priscus Saxo: up dat gy mögen vulkamen staen in allen dingen.

De loco Heb. 9, 28. XXXIV. Porro ait Bellarminus, Chemnitium conqueri, Heb. IX, 28. male haberi in Vulgata: *ad multorum exhaurienda peccata*; cum ἀνατγκέω (ubi vero in fonte ἀνατγκέω, vocabulum Græcis inauditum?) non sit *exhaurire*, sed *auferre*. Respondet autem, sensum esse eundem; & *præterea*, inquit, *videtur Interpres propriissime vertisse. Nam ἀναφέρω est proprie sur-*

rursum ferre, efferre, educere. Sicut ergo, cum aqua vel sordes educuntur ex aliqua sentina, dicuntur sordes exhauriri, ita etiam peccata, quæ Christus extulit & eduxit ex profundo pectoris nostri, recte dicuntur ab illo esse exhausta.

XXXV. Ubi sciendum, ut memoratum locum heic adduceret Chemnitius, occasionem ipsi dedisse Andradium suum; qui, probaturus, in baptisatis nec vestigia nec reliquias ullas manere peccati, eundem citaverat; *Quod exhaustum est*, inquiens, *ibi nihil reliqui est*. Ex quo ac similibus exemplis Chemnitius collegit, non esse causam omnino nullam, quare tam acriter & pertinaciter pro Vulgata sua dimicent Pontificii, cum hinc inde in ea occurrant, quæ speciose pro erroneis suis dogmatibus urgere illi possint. Quod sane ipse Gretserus confirmat, dum gloriatur, versionem loci, de quo agimus, Latinam *nimis manifeste sententiam* Papisticam *de perfecta & omnimoda peccati abolitione oculis subjicere*. col. 720.

XXXVI. Ceterum quod Bellarminus ait, interpretem Latinum propriissime heic vertisse; id certe ratio, quam affert, nullatenus evincit. Qualis enim, obsecro, consequentia: interdum, quæ ἀναφέρεται, exhauriuntur, ergo ἀνενεγκεῖν propriissime vertitur per exhaurire? annon ejusdem census cum ista: interdũ qui disputat, σοφίζει, ergo σοφίζεσθαι propriissime vertitur per disputare? Nec juvat Gretseri effugium: non omne col. 721. quidem *sustollere* esse *exhaurire*, sed illud *quod fiat per respectum & habitudinem ad fontem, sentinam, cloacam, aut aliud quid simile*. Nam supponitur ita, ex interpretatione Bellarmini, hoc loco Christum dici peccata

ſurſum tuliſſe, quatenus illa *eduxit ex profundo pectoris noſtri.* quæ hypotheſis falſa. *Eſt* enim, ut recte obſervat Beza, *manifeſta & perelegans paranomaſia inter* προσφέρειν *&* ἀναφέρειν *hoc in loco, & per alluſionem ad holocauſti ritum dicitur Chriſtus ſeſe obtuliſſe, & peccata ſibi impoſita in crucis altare ſuſtuliſſe, ſui videlicet oblatione expianda.* Confer 1 Petr. II, 24. Unde factum, ut Syrus reddiderit: *in ſeipſo* דבח *immolavit*; quemadmodum nec Arabs Græcum ἀναφέρειν aliter heic accepit, nec vetus Scholiaſtes, qui habet: ἀνήνεγκε τὰς ἁμαρτίας τῶν ἀνθρώπων τῷ πατρὶ, ἵνα αὐτὸς συγχωρήσῃ καὶ ἐξαλείψῃ αὐτάς. Sed & 1 Petri II, 5. vocabulum iſtud notat *offerre*, facta alluſione ad ſacrificandi ritum, quo victima in aram attollebatur. Porro, etiamſi verum eſſet, quod vox ἀναφέρειν reſpectum hoc loco involveret ad fontem, ſentinam, aut ſimile quid, plus tamen id non probaret, quam poſſe eam verti per *haurire*. In præſens autem de τῷ *exhaurire* quæritur, quod cum *haurire* idem nequaquam eſt; ſiquidem non ſtatim, qui, v. g. ex fonte haurit, eundem exhaurit.

col. 721. ſq. XXXVII. Reponit Gretſerus, *ſignificationes vocabulorum ex circumſtantiis ſubjectis vel ampliandas vel reſtringendas eſſe: itaque*, ait, *licet ſurſum ferre, ſeu ſuſtollere, non ſit ſimpliciter idem, quod, omnia ſurſum ferre & extollere, ſicut haurire non eſt abſolutè idem quod exhaurire; hoc tamen loco, de cujus verſione diſceptamus, neceſſariò per* ἀνενεγκεῖν, *ſuſtollere, intelligere debemus, omnia perfecte & funditus eſſe ſurſum lata, hoc eſt, exhauſta; quia Chriſtus peccata non* ἀνήνεγκεν *imperfecte, ſed perfectiſſime; & conſequenter,* ἀνενεγκεῖν *ſeu ſurſum ferre, idem erit quod exhaurire: neque enim ita ſurſum tulit*

tulit aut sustulit peccata, ut aliqua peccata vel aliquid peccati in illa sentina relinqueret, sed totam evacuavit, & per consequens, exhausit.

XXXIIX. Ad eum modum Gretserus, committens sane heic grandem crassamque petitionem ejus quod in principio. Hoc ipsum enim in quæstione est, an ita tollatur in hac vita peccatum, ut nihil ejus remaneat? quod proinde non potest, tamquam certum ac indubitatum, supponi. Quin manifestus est circulus, si ex eo, quod simpliciter omne peccatum in renatis per Christum tollitur, colligas, recte heic poni vocabulum *exhaurire*, ut facit Gretserus; & vicissim inde, quod heic ponitur vocabulum *exhaurire*, colligas, simpliciter omne peccatum in renatis per Christum tolli; ut facit Andradius. Sed nimirum hæc non curat Gretserus, in cujus Philosophia ejusmodi Circuli minime vitiosi sunt, uti constat ex ejus tractatu de quæstione: Unde scis, Scripturam esse canonicam? cap. IV. Verum quid de isthoc paradoxo habendum, ex professo ostendimus alibi.

Vide n. 35.

col. 1338.

XXXIX. Pergimus ad locum Hebr. XIII, 16. ubi Vulgata habet: *Talibus hostiis promeretur Deus*; at in Græco est: *Τοιαύταις θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεός.* Agnoscitque heic Bellarminus, verba Græca significare proprie: *delectatur Deus*, sive, *placetur Deo*; addit autem, Latine recte dici bene mereri de aliquo eum, qui facit rem illi gratam. *Sic ergo dixit noster Interpres*, ait, *his hostiis promeretur Deus, id est, his hostiis res grata fit Deo, & bene meretur de Deo qui illas offert.*

De loco Hebr. 13, 16.

XL. Resp. Primo nota, etiam hunc locum eo nomine a Chemnitio adduci, ut ostendat, Pontificios

pro sua Vulgata tam acriter & pertinaciter dimicare; quod multa in illa sic observent reddita, ut dogmata nonnulla, quorum ex ipso fonte probationem desperant, inde videantur haud inepte posse stabiliri. Et solere sane præsens testimonium, ob vocem *promereri*, quæ in Latino extat, pro meritis operum urgeri ab adversariis, palam est. Etiamsi enim de eo Gretserus,
col. 722. *Non hic fundus est*, inquit, *& fundamentum meriti; alia longe meliora & efficaciora loca suppetunt*; secus tamen visum Salmeroni in hæc verba commentanti, sive quicumque alias adjecit quæ in margine habentur. Tanti quippe is fecit locum isthunc, ut vel ex eo solo de Protestantibus, merita & satisfactiones Papisticas negantibus, indubitatum sibi triumphum promiserit; *Impie Lutherane*, inquiens, *contra Satisfactiones quid etiam oblatras? nunc tandem tace & obmutesce!* In ipso commentarii textu dicitur: *Vide, hæretice, merita & satisfactiones ad abluenda peccata!* Sic Bellarminus ipsemet, libro v de Justificatione, cap. II, ex hoc loco probat, in Scripturis opera justorum vocari *merita*. Confer item Lindanum, lib. III Panopliæ, cap. XX.

XLI. Videamus autem nunc amplius, quo pacto Vulgatam cum fonte heic conciliare nitatur Cardinalis noster. Scribit, verba Græca significare proprie, Deum delectari hostiis beneficentiæ, sive, placere eas Deo. Et hoc quidem ita se habere fatemur. Subjungit vero, *Latine recte dici bene mereri de aliquo eum, qui facit rem illi gratam, nemo est qui nesciat.* Quomodo etiam libro v de Justificatione cap. II ait: *Certe propriissime dicimus Latine, unum apud alterum mereri, & eum sibi obstringere, qui facit aliquid quod ei placeat,*
eumque

eumque delectet. Atque hinc concludit, recte vertisse vulgatum Latinum: *Talibus hostiis promeretur Deus;* cum sensus non sit alius, quam quod bene mereatur de Deo quisquis hostias illas offerat. Plane ad mentem Emseri, qui transtulit: **Mit solchen opffern verdienet man sich wol um Godt.** Quæ sane nullo modo admitti possunt. Etenim bene mereri de aliquo Latinis significat, facere aliquid, quo alter juvetur, & propter quod vicissim aliquid officii aut beneficii præstari debeat, vel saltim gratiæ haberi. Jam vero non statim qui facit quod alteri placet, eumque delectat, dicto modo illum sibi obstringit, cum fieri possit, ut ad id faciendum sit obligatus. Exemplo esse possunt filii. Honorant illi parentes; idque parentibus placet gratumque est: non autem bene de parentibus eo merentur, nec ipsos sibi obstringunt. Quamvis enim parentes alant liberos & curent, non tamen id faciunt, quod a filiis honorantur, sed quod lex naturæ, atque adeo ipse Deus, ita jubet. Cum proinde homines, si quid faciunt quod Deo placeat, nihil tamen faciant ad quod faciendum non sint obligati, Luc. XVII, 10. non posse eos dici bene de Deo mereri, manifestum est. Atque hinc apparet, quam absurdus sit Gretserus, scribere non dubitans: *Si rem gratam facere alicui, est bene de illo & apud illum mereri, isque, de quo, & apud quem bene meremur, nobis obligari & devinciri dicitur, sequitur, etiam illum, qui rem gratam Deo facit, apud Deum mereri, talique Deum devinciri & obligari.* οὐδὲν ὑγιές. *col. 722.*

XLII. Amplius monet Chemnitius, Pontificios ex voce, *alleviabit*, quæ Jacobi v, 15. in vulgata Latina habetur, probare efficaciam extremæ suæ unctionis; cum *De loco Jac. 5. 15.*

cum tamen in Græco sit ἐγερεῖ. *Unctionis extremæ efficacia*, inquit, *probatur inde, quod Jacob. 5. vetus editio habet verbum* (*alleviare*) *quod de spectris incursioneque Satanæ interpretatur, cum Jacobus habeat verbum* ἐγερεῖ.

XLIII. Respondet Bellarminus, nescire Kemnitium quid loquatur: nam verbum Græcum melius ostendere effectus extremæ unctionis, quos Catholici in eo Sacramento agnoscant, quàm verbum Latinum. Ad quæ ita Fr. Junius: *Chemnitius reprehendit, tum quia alleviare vulgo legitur pro allevandi verbo, quo fuerat vetus interpres usus, tum quia ejusdem verbi argumento narrationem a Monachis confictam narrat de terriculamentis diaboli & mortis in extremo vitæ actu. Ad horum neutrum Bellarminus respondet, qui Chemnitium criminatur; sed agit de verbi Græci significatione, de qua nullum verbum Chemnitius fecerat, ut diligentissime pugnare videatur. De Monachorum fabulis ne γρῦ quidem: has enim Bellarminus non audierat audiens. Strophæ.* Quod ubi legisset Bellarmini propugnator Gretserus, *Mentitur Junius*, scribit, *cum ait, Kemnitium reprehendere verbum* alleviandi *loco verbi* allevandi *positum. Nihil enim de hoc Kemnitius, sed tantum hoc carpit, quod Græcum* ἐγερεῖ *per Latinum* alleviandi *Interpres reddiderit. Nec de Monachis ulla est hic apud Kemnitium mentio; quos tamen Junius dicit à Kemnitio reprehensos, quasi ex verbo alleviandi collegerint, effectum extremæ unctionis hunc esse, ut spectra fuget, & incursionem Dæmonis repellat. Sed non est bene istis figulis, nisi fingant.*

col. 724. Gretseri & Junii pugna ridicula.

XLIV. Uterque autem, si dicendum quod res est, an-

andabatarum more pugnans. Etenim Junius existimavit, Bellarminum refellere heic voluisse, quæ habet Chemnitius in examine decreti Tridentini de extrema Unctione, ubi ita scribit: *Conati sunt Pontificii*, quod Iacobus affirmet, Christum instituisse extremæ Unctionis sacramentum, *ostendere inde, quod verbum allevare, quo vetus Interpres usus fuerat, à Monachis mutatum fuit in alleviare: quod postea exposuerunt de terriculamentis diaboli & mortis in extremo actu vitæ.* ad hunc, inquam, Chemnitii locum Junius respexisse putavit in sua refutatione Bellarminum; qui tamen non hæc, sed ea quæ leguntur in examine decreti de versione Scripturæ, indeque supra a nobis recitata sunt, impugnat. Contra Gretserus arbitratus est, Junium vindicare voluisse locum Chemnitii, qui est, ut dixi, in capite de versione Scripturæ, nec animadvertit, respexisse eum ad locum illum alterum, ubi de ipsa Unctione extrema ex instituto agitur. Atque hinc factum, ut falsus sit uterque: Junius, dum Bellarminum data opera dissimulasse credidit quæ de voce *alleviare* hujusque a *Monachis* allata expositione Chemnitius monet; Gretserus, dum tribui eidem Chemnitio a Junio arbitratus est quæ ille non scripserit.

XLV. Ad rem ipsam quod attinet, reprehendit Chemnitius, quod Pontificii ex voce *alleviare*, quæ in Vulgata legitur, probare ausint efficaciam Unctionis extremæ adversus spectra & incursionem Satanæ; cum tamen τὸ ἐγείρειν, quod in fonte extat, nihil hujusmodi insinuet. Ubi frustra est Bellarminus, quando contēdit, verbum hoc Græcum melius ostendere proprium extremæ unctionis effectum, (quem esse ait, ut homi-

nem in articulo mortis mœstitia & doloribus oppressum ac torpentem erigat & exhilaret) quam Latinum. Nam primo falsum, quod ἐγείρειν heic significet, animum doloribus oppressum exhilarare: notat enim, corpus ex morbo decumbens, sanitate restituta, erigere, respondetque priori membro: ἡ εὐχὴ σώσει τὸν κάμνοντα. Deinde, si maxime id significaret, quod vult Cardinalis, num ideo nescire dicendus quid loquatur Chemnitius, dum Papistas efficaciam extremæ unctionis adversus spectra Satanæque incursionem ex Latino *alleviare* probare ait, cum Jacobus habeat verbum ἐγερεῖ, nihil ejusmodi innuens? Esto: non agnoscat hunc effectum Bellarminus, nec admittat istiusmodi ex vocabulo *alleviare* probationem, num idcirco somnia statim erunt quæ de aliis Pontificiis Chemnitius annotat? Certe Aureolus, ut ipse etiam Chemnitius observat, sex recenset Unctionis extremæ fructus, quorum quartus est, *robur contra dæmonis insidias*, quintus, *arctatio diabolicæ potestatis, quæ non ita potens, sumpto isto sacramento.* Verum de his alibi fusius.

De loco 1 Joh. 5, 13.

XLVI. Tandem ubi 1 Joh. v, 13. Vulgata legit: *Hæc scripsi vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine filii Dei*; in Græco autem est: ταῦτα ἔγραψα ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, ἵνα εἰδῆτε, ὅτι ζωὴν ἔχετε αἰώνιον, καὶ ἵνα πιστεύητε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, Bellarmino judice Græcus textus redundat. *Nam*, ait, *cùm dictum sit: Hæc scribo vobis, qui creditis in nomine filii Dei; quorsum adjicitur: ut credatis in nomine filii Dei? quid enim opus erat monere, ut facerent quod jam fecerant?* Addit, etiam Bedam legere ut Vulgata habet.

XLVII. Verumenivero utut in sensu seu sententia magnam heic discrepantiam non esse largiamur, Græcæ tamen lectioni merito inhæremus, quippe quam consensus veterum optimorumque codicum confirmat. Unde etiam Beza, licet in Latino planiorem sententiam agnoscat, nostram nihilominus lectionem in sua editione exhibet, cum non nisi unum reperire potuerit exemplar mscr. quod pro altera illa faceret. Neque ratio, quam contra Græcum textum affert Bellarminus, ullius momenti est. Quid enim usitatius vel in vulgari sermone, quam monere alios, ut faciant quod jam faciunt? Sic dicit Poëta:

Quod facis, ut facias, teque imitere, rogo.

Solentque in hæc verba desinere frequenter epistolæ: *Vale, & me, quod facis, ama*, id est, constanter me amare perge. Refer etiam omnino huc illud Apostoli, 1 Thess. v, 11. *Adhortamini alii alios, & ædificate singuli singulos, sicut & facitis.* Ita ergo credentes quoque hortatur Apostolus, ut credant, hoc est, credere pergant, ac fide crescant. Confer insuper loca Exod. XXXIII, 13. Apocal XXII, 11. ubi redundare aliquid, non dicent, opinor, Pontificii. Bedæ, auctori Latino, ad quem Cardinalis provocat, opponere nos possumus Scholiasten veterem, qui synopsin ex Græcis scriptoribus condidit, adeoque longe majoris heic auctoritatis est.

CAPUT XV.

DE VERSIONIBUS LATINIS ALIIS.

I.

HUcusque, pressis Bellarmini vestigiis, eumque & ipsius hyperaspistas κατὰ πόδα sequuti, de Hebraico, Chaldaico, Syriaco, Græco, Latinoque vulgatæ versionis Scripturarum Sacrarum textu egimus. Placet nunc, tum de translationibus Latinis recentiorum, tum de versionibus Orientalibus, quas Bellarminus, utpote sibi ignotas, & quod aliquæ earum ipsius ætate in abdito adhuc laterent, non attigit, tum denique de traductionibus Bibliorum vulgaribus, in studiosæ Juventutis commodum nonnulla subjungere.

Pagnini Versio Biblica, deque ea judicium Serarii.

II. Ad Latinas ergo quod attinet editiones, primo heic sistit se versio Xantis, sive Santis, aut Sanctis Pagnini. De qua Jesuita Serarius, Prolegom. Bibl. cap. XIIX, quæst. III: *Præ aliis pene omnibus Latinis versionibus commendari solet ea quæ Pagnini est; & quæ Leonis Judæ, per Hispanos Theologos recognita.* Sixtusque

Sixti Sen.

Senensis, Bibliothecæ sanctæ libro IV: *Sanctes Pagninus, Lucensis, Prædicatorii ordinis concionator Apostolicus, vir in divinis Scripturis apprime eruditus, & trium linguarum, sed Hebrææ potissimum, peritissimus, cum animadvertisset, celebrem illam Hieronymi versionem, temporum injuria & hominum incuria, vel magna ex parte intercidisse, vel magna ex parte fuisse corruptam, tentavit & ipse novam aggredi totius Scripturæ translationem, Leone X. Pontifice Maximo hortante, & sumptus operi necessarios præbente. Collatis igitur inter*

se

se multis, iisdemque probatissimis Hebraeorum exemplaribus, quanta maxime valuit diligentia ac fide, omne Vetus Testamentum ex Hebraica veritate Latinitati donavit, & Hebraicorum nominum multitudinem, quam priores interpretes in Latinas voces inflexerant, Hebraicae linguae prolationi restituit. Utque lector haberet rectam rationem pronunciandi Hebraice, accentus Hebraeis dictionibus superposuit, additis quibusdam in margine totius voluminis numeris, qui indicarent, quot in singulis Hebraicae scripturae capitulis versiculi, quos Pesuchim appellant Judaei, continerentur. Quae omnia tam solerti cura executus est, ut ejus editionem peritissimi Hebraeorum Rabbini omnibus, quae nunc extant, translationibus praeferant, multis eam laudibus attollentes. Vertit quoque non minori laude Novum omne Testamentum juxta Graecam fidem: in quo, sicut & in Veteri Testamento, Vulgatae editionis authoritatem, manente Graeci contextus sententia, sequi conatus est. Opusque suum Clementi VII. Pont. Max. dedicavit. De eodem auctore Petrus Dan. Huetius, lib. II de Interpretatione cap. III, 15. judicat, quod *felicissimo successu perfecta propemodum & absoluta sanctorum voluminum interpretationis exemplum dederit;* quodque *Rabbinorum peritissimis summopere* ejus versio *probetur, ac reliquis anteponatur.* & Buxtorfius, praefatus in Lexicon suum Hebraicum, Santen *post Hieronymum primum Biblia Hebraea integra in Latinum fidelissime convertisse* ait. & Similiter M. Polus, in praefatione Synopseos Crit. *Versionem hanc,* inquit, *maxime literalem, cum commode fieri potuerit, fidam, singulari judicio atque peritia concinnatā, docti fere omnes consentiunt.* Laurentii porro Beyerlink, in Bibl. variarū interpretationum versionem

Huetii. *Buxtorfii.* *Poli.* *Beyerlink.*

præfati, verba sunt: *Omnes translationes (Vulgatam excipio) præcellit, cum sermonis puritate, tum proprietate verborum, ab ipsis fontibus cum delectu petita, ea quam Santes Pagninus, Lucensis, indefessa studio & stupenda judicii maturitate, e pereruditо suavissimi sui pectoris arcano, magno Ecclesiæ commodo, deprompsit.* Ubi mirum non est, Vulgatæ Latinæ Pagninianam postponi ab homine Pontificio, quem Tridentini Concilii auctoritas judicare aliter non sinit. Secus vero heic visum nostro Dn. D. Franzio, cujus verba, sub initium Tractatus de Interpretatione S. Scripturarum, pag. m. 31. *Quod attinet ad Latinam versionem a Pagnino adornatam, illa viris solide doctis & piis præ vetere millies carior habetur, certiorque & purior deprehenditur.* Tametsi statim addit, ne hanc quidem translationem ita esse comparatam, ut in omnibus & singulis possit probari. Uti de eadem pariter & Münsteri versione (de qua paulo post dicemus) ita Lutherus judicat, sub finem libri de Schemhamphorasch, Tom. IIX Jen. G. fol. 135, a. Ich sehe / wie die zween feine Männer / Sanctes und Münster / haben studio incredibili & diligentia inimitabili die Biblia verdolmetscht / viel gutes damit gethan. Aber die Rabinen sind ihr etwo zu mächtig / daß sie auch der Analogia des Glaubens gefeilet / der Rabinen glossen zuviel nachgehängt haben.

Franzii.

Lutheri.

III. Et certe cum anno CIƆ IƆ LXXI in Biblia Regia transferenda esset Veteris Testamenti versio Pagniniana, ab Aria Montano, Raphelengio, Guidone Fabricio, aliis, castigari illam prius & ab erroribus liberari oportuit. Qua de re ita in præfatione Arias: *Cum nihil simul & inventum & perfectum sit, neque una eademque*

Arias Montanus, Xantis corrector.

ætas omnia in lucem proferat, neque etiam unius mente omnia perspici ac peragi possint, non potuit vir ille, licet ob eximiam doctrinam prope singularis, in re tam ampla, & in ea lingua in qua infinita prope mysteria continentur, ita omnia accurate diligenterque vidisse, quin aliquid etiam exercitatis ingeniis dispiciendum examinandumque reliquerit. Plerique igitur eximii illius viri laboribus & doctrina adjuti, nonnulla observarunt, quæ minus diligenter (pace tanti viri dixerim) ab ipso animadversa sunt. Atque ita mox narrare pergit, quomodo insigni linguarum cognitione præditi Theologi, qui ad omne opus Regium recognoscendum electi erant, collatis inter se tribus ipsius Pagnini diversis temporibus in lucem emissis exemplaribus, adhibito etiam ejus Dictionario Hebraico, aliisque lucubrationibus & vigiliis, pleraque loca adnotarint, quæ ipse auctor aliter, quam in prima editione habebantur, legenda & tenenda esse agnoverit, idque Montano hujusque συνεργοῖς negotii dederint, ut tum ex interpretatione Pagniniana, tum etiam ex Hebraicæ locutionis ac proprietatis diligenti observatione, novo labore novum opus contexerent, in quo omnes dictiones quam aptissime, quoad effici posset, de verbo expressæ essent. Ergo, inquit, *communicatis in singulos dies sententiis, ac verbis omnibus, eorumque modis, ceterisque orationis partibus, quam maxime fieri potuit, ad Latinæ linguæ proprietatem examinatis, non pristinam quidem illam Pagnini editionem, sed Hebraicam locutionem simplicissime redditam in omnibus Veteris Testamenti libris, tandem absolvimus.*

IV. Quamquam vero illustria plane ab ipsismet Pontificiis nonnullis elogia tulerit Pagniniana Biblio- *Sinistra de Pagnini*

rum

translatione judicia Genebrardi, & rum versio, haud defuerunt tamen ex eadem schola alii, quibus nequaquam ad palatum illa fuit: siquidem Gilberto Genebrardo, præfat. in Opera Origenis, *minus diligens* audit, *nimis ambitiosa, nimis curiosa, nimis Grammatica, nimium Rabbinicarum minutiarum æmula, quæque recentium præceptionum subtilitate noxam sinceritati & sententiarum & rerum sæpiuscule afferat*; imo

Mariana e Jesuitis Johannes Mariana, libro pro Vulgata cap. XXV, quod ipsa fidei Christianæ mysteria evertat, insimulare eam non veretur: parum fortasse memor, Theologos Lovanienses, subscribentibus Parisiensibus in opere Regio, hancipsam Pagnini translationem, ut quæ *ex illustribus summorum Pontificum privilegiis probationibusque multum auctoritatis habeat* (nempe Hadriani VI & Clementis VII; quorum epistolæ in fronte editionis anni LXXV comparent: uti jam antea auctoris de paranda ex fontibus nova translatione consilium probaverat Leo X) *inter eas, quæ recens edita sunt, commodissimam tutissimamque* judicasse. Quid enim? an virum decebat sincere Romano-Catholicum, suspectam reddere tamquam Christianæ fidei mysteria evertentem sacri textus versionem, quam tot Pontifices sua auctoritate communiverunt, quamque TUTISSIMAM pronunciarunt illustres adeo Romanarum partium Theologi?

v. Et qui docet, obsecro, Mariana, quod habeat Pagniniana translatio quibus ipsa fidei mysteria evertantur? Dicit, Jobi XIX, 26. ubi Vulgata legit: *rursum circumdabor pelle mea*; unde Hieronymus corporum resurrectionem probet, Pagninum reddidisse: *postquam pellem meam contriverunt*; quin obscurius etiam

am in prima editione: *& post pellem meam contritam vermes contriverunt hanc carnem.* Quasi vero fidei mysteria evertere is statim dicendus, qui Scripturæ locum aliquem, etiam de fidei capite agentem, non satis accurate e fontibus transfert: & quasi eversum protinus esset Christianum de corporis resurrectione dogma, nec Scripturæ auctoritate sufficienter posset stabiliri, si vel maxime de eo hic Jobi locus non ageret. Aliud est, evertere fidei mysteria, aliud, pervertere testimonium quoddam, cui fidei mysterium aliquod sic innititur, ut tamen id solum & unicum ejus fundamentum non sit. Quamvis enim & hoc improbari omnino debeat, præsertim si temere fiat, vel data opera, prius tamen illud longe atrocius esse crimen, vidisset ipse Mariana facile, ni Vulgatæ suæ amor nimius Conciliique Tridentini splendor ipsum excæcasset.

VI. Atque is ipse etiam glaucoma sine dubio ob oculos objecit Jesuitis, quo minus de Ariæ Montani labore, quem Pagninianæ versioni emendandæ impendit, æquum ferre potuerint judicium; licet invidiæ forsan & æmulationi primas deferre heic oporteat: de qua Arias queritur, Tract. de varia Ebraicorum librorum scriptione, *Nos*, inquiens, *Pagnini diligentiam imitati, atque pressius etiam secuti, eam quam in prima hujus operis præfatione exposuimus operam præstabamus, quamque a nemine hactenus doctorum & candidorum virorum improbari audivimus, præter unum Erostratum, qui Theologorum suæ ætatis & superiorum fere omnium laboribus obtrectare, atque Pagnino inprimis bellum indicere, summæ sibi, ut existimo, laudi fore speravit. Is quoniam Pagninum vivum habere non potuit, nostrum præ aliis*

Ariam Montanum sugillant Jesuitæ.

nomen præscindendum suscepit, nactus fortassis opportunitatem in quorundam animis & consiliis, qui eum soli sapere, & soli bene vivere, JESUMq; propius insequi & comitari sibi videantur, atque id palam professi jactitent (descriptionem notes & encomia Societatis) *me, qui minimum atque adeo inutilem JESU discipulum ago, edio habuerunt gratis. Atque hi, quod neminem, qui alias bene audiat, palam improbare audent, aliorum, quos ad eam rem occulte inducere possunt, ingeniis & nominibus abutuntur. Horum autem nos neque artes fallunt, nec gregem prodere, aut cognomen indicare juvat. Utuntur illi quidem magno & inaccessibili ad suas res agendas mysterio, sed quod facile iis, qui simplicius apertiusque agere volunt, pelluceat, quodque non post multos annos tandem aperiendum est, virtute illius qui illuminabit abscondita cordis & occulta tenebrarum: tunc enim laus unicuiq; secundum opera sua.* Tametsi non semper occulte heic egerit gens Jesuitica, sed palam tandem in lucem contra Ariam prodierit: uti inter alia ex Jacobi Bonfrerii Præloqu. cap. XIIX, sect. 1, constare potest.

Simonii asperum de Aria judicium.

VII. Et quid dixisset bonus ille Montanus, si elogia legisset, quibus hodie Latina ejus Biblia ornat, in sua Historia Critica V.T. lib. II, cap. XX, famosus ille Gallus, Richardus Simon? *Vere*, inquiens, *& acute de ipsius correctionibus dictum: QUOT CORRECTIONES, TOT CORRUPTIONES. Nedum enim vitia castigavit; quæ innumera erant, prorsum auxit.* & paulo post: *Nequaquam jure fidissimus Interpres dicitur* (uti scilicet Huetio audit) *Imo merito INEPTISSIMUS vocandus. Tune enim fidissimum interpretem dixeris, qui ubique sensum textus pervertit?* Quæ tametsi severior est censura, negari interim

terim nequit, notare quædam de Ariæ transferendi ratione Simonium non fusq; deq; habenda: cujusmodi præ ceteris illud, quod ad diversas proque contextus & circumstantiarum conditione immane quantum sæpe variantes vocum significationes minus attenderit. *Cum voces Hebraicæ æquivocæ sunt*, ait, *attendenda tunc earum significatio juxta locorum circumstantias propria: & absurdum est, absque discrimine quamlibet significationem afferre, sive conveniat, sive non. Toto Ariæ versionis corpore fusum hoc vitii genus: qua in re non multa valere se judicio demonstravit.* moxque exempli loco affert, inter cetera, quod particulam על ubique reddat *super*, quam nemo nesciat aliquando *super* significare, aliquando *juxta*, aliquando *cum*; quod Ex. IX, 30. Hebræum טרם absurde vertat *antequam*, expuncta, qua rectissime heic usus fuerat Pagninus, voce *nondum*: & similia, repetita quoque in Disquisitionibus Criticis de Variis Bibliorum editionibus anno LXXXIV Londini a Roberto Denison publicatis, quas & ipsas Simonium parentem agnoscere, & Denisonis præfatio & res per se satis loquitur. Vide præterea eandem in rem Jacobum Bonfrerium Præloqu. in Pentateuchum cap. XIIX, sect. I. & C. Frassenium, Doctorem Sorbonicum, Disquisit. Bibl. lib. II, cap. VII, pag. 404. cujus verba: *Probetur sane hæc aliis versio; mihi vero probari non potest tanta in vertendis divinis oraculis verborum religio & ridenda barbaries.* Sed & e Reformatis Matth. Polus, præfatione in Synopsin Crit. de Montano, *Illum*, inquit, *nec immerito, viri docti hac censura perstringunt, quod Pagnini versionem temere loco movit, & pro bonis Pagnini, sua prava, inepta, ac barbara vocabula reposuit.* *Poli judiciũ.*

& Waltoni. *fuit.* Quæ mutuatus est ex Waltoni Proleg. v, 5. sed qui mox addit: *Hoc tamen pro Aria dici potest, quod hoc modo tyronibus in lingua Hebræa consuluit, nec Pagnini verba prorsus sustulit, sed tantum in marginem transtulit.* Atque hæc de Pagnino-Ariana Bibliorum versione.

Munsteri translatio. IIX. Ea vetustiorem nonnulli faciunt translationem Sebastiani Münsteri, eo moti haud dubie, quod anno clɔ Iɔ xxv hæc versio prodiit, cum Pagniniana anno demum xxIIx publicata credatur. Verum alii Pagninianam jam tum anno xxIII lucem adspexisse annotant, & illam anni xxIIX pro iterata editione habent: quemadmodum & Münsteriana meliori facie prodiit anno xxxIV, xxxIX, XLVI. ad quas forte editiones respiciunt qui eam Pagniniana recentiorem statuunt. *Lutheri* de hac traductione judicium supra num. II dedimus. *De ea judicium Huetii.* Huetius de eadem ita, lib. II de Interpretatione: *Sebastianus Münsterus, Bibliorum interpres sane doctus, in Ebraica semper stylum collineans, ad eaque nunquam non se componens; nec ideo tamen Latini coloris negligens, in ejus quamvis lingua elegantiis parum se torserit. Quod si quando obscuris explanandis unam alteramve dictionem e proprio penu adjecit, certis illam notis homo religiosus insignivit, quo adulterinis lector germana seponeret.* Quod judicium calculo suo sic approbat *Simonii,* Simonius, Historiæ Criticæ lib. II, cap. XXII, ut ipse addat: *Nova hæc Münsteri versio Pagnini & Montani, quippe qui sensum negligere solent ut Grammaticæ religiose hæreant, versionibus longe melior videtur. Münsterus enim conatur pro viribus, ne a sensu unquam discedat, etsi Grammaticam haud spernat. Nec propriam quantum-*

tumque vocum in se significationem solum attendit, sed & rerum & locorum circumstantias expendit. Utut pariter stylus ejus haud exacte purus sit, nil habet tamen quod barbarum adeo videri queat. — Pure scribere potuisset; sed veritus nimium a sensu Grammatico recedere, nec satis vim vocum Hebraearum exprimere ac reddere. Uno verbo, scopum quem sibi proposuerat, feriit & assecutus est. — Imo omnium Interpretum Protestantium exactissimus ac fidissimus merito habendus. Quæ postrema sic exprimit Disquis. Crit. cap. XXIII: *Nemo recentiorum Interpretum, inprimis Protestantium, contextus Hebraei verba & sensum melius videtur expressisse, quam Sebastianus Münsterus.* Cumque recitasset verba Sixti Senensis, ex Biblioth. S. libro IIX: *Münsterus ubique horridus, senticosus, & asper, usque adeo Hebraici sermonis horrorem secutus est, ut, cum multa Latinis auribus molliter accommodare potuisset, omnes tamen Hebraici sermonis proprietates ac phrases adeo servare studuit, ut nec ipsos Hebraicorum nominum stridores praetermittere voluerit*; hæc ubi recitasset, inquam, *Miror Sixtum*, subjicit, *qui Caietanum, Pagninum, Oleastrium, & alios laudet, qui in suis sacri contextus versionibus longe majorem barbariem in Latino sermone quam Münsterus affectaverint.* Potuisset ipsam adjicere Vulgatam: quæ quam molliter Latinis auribus multa accommodet, specimen docere potest quod sub finem hujus commentarii damus. Sed nimirum e Sixti sententia duo cum faciunt idem, non est idem, nihilque vetat, eadem illa culpari in Hæreticis, quæ laudantur, saltim non improbantur æque, in Catholicis. Sixti Sen.

Tigurina Biblia, a Leone Juda, Bibliandro, Cholino, adornata

IX. Tigurina Biblia, a loco ubi adornata sunt sic vocata, non unum agnoscunt auctorem. Primus enim translationi huic manum admovit Leo Juda. Quem natione Judæum fuisse, perperam tradunt (forsan nomine ipsius proprio ut, pote Judaici quid sonante, in errorem adducti), Genebrardus, Serarius, Bonfrerius, Gretserus; cum parentibus Pontificiis natus sit, postea que ad Zvvinglii transierit partes, quem olim studiorum socium habuerat, Minister tandem factus Tigurinus; uti in vita ejus annotat Melchior Adamus. ubi etiam de Tigurina versione hæc habentur: *Cum præter alias linguas Hebraica esset peritissimus* Leo, *ac supra annos octodecim, quibus Vetus Testamentum apud Tigurinos ex veritate Hebraica a viris doctissimis fuerat explicatum, multa observasset, ac veluti sylvulam futuro operi collegisset; instantibus fratribus, libros Veteris Testamenti sincere ad veritatem Hebraicam transferre est aggressus. In transferendo autem usus est & adiutus plurimum opera & industria virorum tam linguarum quam rerum peritissimorum; tum vero & Hebraico exemplari emendatissimo, quod religiosissime, ceu cynosuram & æternæ veritatis regulam, observavit; consultis quoque aliis exemplaribus Hebrais in locorum difficilium interpretatione, Græcis item Latinisque editionibus aliis non neglectis.* Ceterum ubi, morbo interceptus, totam absolvere translationem nequiret auctor, quæ restabant, Theodoro Bibliandro, Professori apud Tigurinos Theologo, perficienda paulo ante obitum commendavit. Cujus etiam opera traducta sunt quæcumq; ex Hebræo adhuc vertenda supererant. Apocryphorum autem ex Græco translationem adjecit Petrus Cholinus, Tugiensis.

Na-

Narrat hæc, præter jamjam citatum Adamum, illustris quoque Thuanus, lib XXXVI, ann. LXIV; & postquam addidisset, translationem istam tum Parisiis a Stephano, tum diu post ab Hispanis Theologis recognita Lugduni fuisse excusam; id *eo commemorandum duxi*, subjicit, *ut versionis tanti apud nos & Hispanos ipsos factæ origo cognosceretur, & insigne documentum extaret, quid utilitatis ex adversariorum libris & industria, si, semotis odiis, caritatem & æquitatem induamus, ad Dei gloriam capi possit.* *De ea judicio Thuani.*

X. Quæ Thuanea longe aliter tinniunt quam Genebrardi ista, Chronogr. lib. IV, an. cIↄ Iↄ XXXVI, & præf. in Origenem, quod versio hæc non probetur iis qui leviter linguis tincti sint, quippe adeo impura & indocta, ut, dum ipse eam legat, & cum Hebræo conferat, in alio mundo versari, nec sacras literas, sed fabulas ex sacris literis adductas legere sibi videatur. De quo judicio sic judicat Simonius Histor. Crit. V. T. lib. II, cap. XXI: *Acerbe nimis in* Leonem, *uti & in Munsterum, invehitur Genebrardus. Modestius sane vitia carpere poterat. Verum fartam Parisiensium Theologorum authoritatem præstare volebat, a quibus damnatus fuerat.* & in Disquisitionibus Criticis cap. XXIII: *Leonis Judæ versionem severe castigavit Genebrardus: qua in re Theologis Parisiensibus, ipse eiusdem Facultatis Theologus, placere visus fuit. Sed longe mitius a Theologis Hispania exceptus Robertus Stephanus: qui editionem Bibliorum a Theologis Parisiensibus improbatam, de auctore versionis Latina ex Hebræo minime soliciti, simul cum Notis, paucissimis in ea immutatis, Salmanticæ publicarunt, eamque dignam judicarunt quæ a viris Scriptura sacra studio-* *Genebrardi.* *Simonii.*

diosis legeretur. Quibus mox suammet subjungens sententiam, *Minus quidem proprie*, inquit, *voces Hebraicas rddidit Leo Juda quam Sebastianus Münsterus: sed editionem suam Latinis auribus accommodavit; quod a Münstero praestitum non est. Si qua in re reprehendi meretur Leo Juda, in hoc maxime, quod, ne ob brevitatem obscurus fieret, Paraphrasten interdum potius quam Interpretem se ostendit.* Quomodo etiam in Historia Critica, citato loco, de eodem scribit: *Perperam nimisque interdum styli magnitudinem & sublimitatem affectat, & suis periphrasibus nimium a sensu proprio recedit, scilicet ut intelligibilem magis se faceret.* & paulo post: *Haud negandum videtur, liberiorem paulo Leonem fuisse, singulares sensus in versione sua sequi, ac vel nimis textum limitasse, vel nimis ampliasse.* Supra de translatione hac dixerat: *Sane primo intuitu grata videtur, ac medium tenere locum inter aliarum barbariem & ad literae acribeiam exactam austeritatem, ac aliarum affectati styli & elegantiae nimiae studium. Sunt tamen aliqua loca, ubi author, nimiam dictionis simplicitatem refugiens, haud satis proprie autographi verba interpretatur.* Longe etiam aliter quam Genebrardus
Serarii, de Tigurina sentit Jesuita Serarius, cujus verba num.
Huetii. 11 dedi. Huetius de Interpretatione lib. 11, 17. judicium suum heic suspendit, *Quid de Leonis Juda editione pronunciem*, ajens, *incertum me faciunt varia de ea*
Casauboni, *hominum judicia.* Videtur tamen in Casauboni hac tandem, quam recitat, acquiescere epicrisi: *Constans ea fere est doctorum hominum sententia, recentioribus illam, cum fide & doctrina, tum perspicuitate antecellere: cui sane, si Santianam sepofueris, refragari religio est. Elegan-*

gantia tamen studium de indole nonnulla, & verborum fide, ipsorumque situ, qui, ut ex ipso Hieronymo sanximus, mysterium est, detraxisse fatentur: ut non conversionem, at paraphrasim, Salmanticenses appellandam illam censuerint. Quin ex ipsis Hispanis Theologis, notante Bibliothecæ Theolog. lib. I, cap. IV, p. 167. Hottingero, luculenter versionem hanc commendavit Ferdinandus de Escalartes. Quod ægre ferens maledicus ille Jesuita Gretserus, Admonitionem ad exteros de Bibliis Tigurinis edidit: quam suis pro Translatione Tigurinorum Latina Vindiciis profligavit Joh. Jacobus Huldricus. Quem & responsum ad oppositam sibi Defensionem Gretserianam parasse (tametsi id lucem non adspexit) testatur Bibliothecæ Hottingeri Tigurinæ ex autographo adjecta ejusdem διατύπωσις. Videatur etiam dicti Gretseri tractatus de Novis Translationibus Biblicis cap. I sub finem, ubi indignatur, quod *translationem, quæ est pestilentium Zvvinglianorum, in Catholicis locis recuderint.* *Ferd. de Escalartes.*

XI. Qua de causa versio hæc Francisco Vatablo, Romanis sacris addicto Professori Parisiensi, tributa olim fuerit, dicimus infra cap. XXXII, II. Quod autem Hottingerus, loco supra laudato, scribit: *Quæ Vatabli nomine vulgata est translatio, Tigurina per omnia non respondet. quod observatum hactenus non satis esse, miror. Vatabli certe editio mixta, pro Tigurina pura habenda non est*; id nescio de qua varietate sit accipiendum. Equidem Theologi Hispani Tigurinæ versioni medicas ubi manus adhibuissent, anno CIƆ IƆ LXXXIV Salmanticæ per Gasparem de Portonariis Codicem publicarunt sub hoc titulo: *Biblia sacra, cum duplici translatione, &* *Tigurina sera, quæque sub Vatabli nomine extat Bibliorum editio, quid differant.*

 scholiis

scholiis Francisci Vatabli, nunc denuo a plurimis, quibus scatebant, erroribus vindicata & repurgata, doctissimorum Theologorum, tam almæ Universitatis Salmanticensis, quam Complutensis, judicio, ac Sanctæ Generalis Inquisitionis jussu. Ceterum in Hispanica hac editione pauca adeo, in ipso quidem translationis textu, sunt variata, ut *mixtæ* propterea *editionis* nomen non possit tueri. Nempe quatuor dumtaxat in locis, idque leviter, aliquid fuisse mutatum, annotavit, præfatione in SynopsinCritic. Matthæus Polus. En ipsa viri verba.

Poli de Tigurina Judicium.

Versio hac, inquit, de Tigurina loquens, *summa eruditione & magno judicio confecta. Hebraici textus licet verba non semper exprimat, at sensum in plerisque ac maxime in difficillimis locis ingeniose simul & fideliter reddit. Porro proprietate & puritate sermonis, perspicuitate atq. elegantia styli, reliquisque bonæ traductionis virtutibus, vel cum primis contendere potest. Quo facit, quod ipsi Romanenses, qui alias versiones (nominatim Münsteri, Castalionis, Junii) damnant, earumque usum prohibent, in Indice expurgatorio, hanc tamen quodammodo probare videntur; eamque HispanienſesTheologi Salmanticæ recusam dederunt, QUATUOR TANTUM IN LOCIS, ET QUIDEM LEVITER, IMMUTATAM; ut ex viro doctissimo, qui utramque inter se contulit, didici.* Ubi cum Expurgatorii indicis mentionem faciat Polus, observa, eodem illo anno, quo Salmanticensia, quæ diximus, excusa sunt Biblia, prodiisse etiam Madriti, apud Alphonsum Gomezium, Regium Typographum, Indicem librorum Expurgatorium, Gasparis Quiroga, Cardinalis & Archiepiscopi Toletani, Hispan. Generalis Inquisitoris, jussu editum: in quo cum

cum notentur omnia quæ in Bibliis Rob. Stephani mutari debeant, textus tamen ipse relinquitur integer, duobus solum locis exceptis, puta III Regg. IIX, 47. & Ps. XVI, 10. Quæ cum ita sint, tantillam Hispanorum emendationem supra expressis verbis tangere voluisse Hottingerum, vix sit verosimile. Quæ ergo sit illa, quam *Tigurina pura* opponit, *Vatabli editio mixta*, dispiciant quibus ad id otium, editionumque varietas in promptu.

XII. Tandem & Sebastianus Castalio, sive Castellio, circa ipsum seculi superioris medium, Biblia nobis Latina dedit, quæ Ciceroniana non immerito forsan dixeris, quod majorem, quam par erat, Latinitatis rationem in versione hac sua auctor habuerit. De ea sic Thuanus, lib. XXXVI, ann. LXIII: *Castalio cum puriorem linguarum cognitionem ad Theologicam scientiam adjunxisse se putaret, impuras manus, multorum iudicio, ad sacra tractanda attulit, cum, a rebus ad tantum opus necessariis homo imparatissimus, novam Bibliorum interpretationem insolenti temeritate molitus est.* Quæ ubi recitasset Rivetus, Isagog. ad Script. S. cap. XII, 14. subjungit mox: *Id cuivis legenti patebit. Nam etsi versio ejus, si quis ea cum judicio utatur, in nonnullis adjumento esse possit, nec plane in omnibus contemnenda; sunt tamen plura, in quibus sibi nimium indulsit, ut præstet, præsertim minus exercitatis, ab ejus lectione prorsus abstinere; cum inter eas non injuria referri possit, de quibus Antonius Reuchlinus, præfat. ad Concord. Ebraicas Rab. Nathan, dicebat: multas translationes* Bibliorum *in lucem prodire, quas melius fuisset non natas, aut statim interiisse.* Paulo ante probaverat Alberici

Castalionis interpretatio, deque ea judicium Thuani.

Riveti.

Alb. Genti- lis. Gentilis judicium, *audaciam profanam* Castalioni tribuentis, versionemque ejus *puerilem* appellantis *interpretationem*. Cumque Jesuita Guil. Bailius in suo Catechismo Controversiarum, tract. I, qu. V, scripsisset: Bailii, *Castalio in sua versione, relicta sincera interpretandi ratione, liberius excurrens, sequutus est spiritus sui ventum. Unde etiam censuram eorum, qui judicio pollent, subit, nec ei parcunt sui: inter quos Beza eum mordet & lacerat quavis occasione data:* Beza, occupatus in examine hujus libri Rivetus, in Catholico suo Orthodoxo, *Castellionis temeritatem non praestamus*, ait, *qui turbulento suo ingenio, se non solum in eo, sed & in aliis, indignum bonorum omnium defensione reddidit. Nec ignorant Jesuitae, fuisse inter nostros, qui locutionum ejus vanitatem, & versionum Latinarum & Gallicarum errores & ineptias, redarguerint.* Ubi haud dubie Theologos Genevenses innuit, in Biblia Genevensia edit. ann. clc lↄ LIX praefatos, & prae ceteris ab ipsomet Bailio jam nominatum Bezam: qui non solum in suis in N. T. Annotationibus Castellionem passim perstringit, sed & in Responsione ad hujus defensiones & reprehensiones, praeter alia multa, *intolerandam* ei *audaciam* objicit, dum *ab illa nuda quidem & simplici, sed vere tamen divina & plena mascula majestatis eloquutione discedens, Prophetici & Apostolici sermonis puritatem quasi fuco quodam orationis inficiat*: imo translationem ejus talem esse pronunciat, quae *una potius litura quam correctionibus indigeat.*

XIII. Et certe non omnino praeter rem scripsisse Sixti Sen. arbitramur Sixtum Senensem, Bibliothecae sanctae lib. IIX, quod in versione sua, *Gentilem se verius ac prophanum*

num, quam Latinum ostendat Castalio, *nec vere se Latine loqui putet, nisi quam effœminatissime loquatur, & citra omnem divinæ Scripturæ majestatem, ac divini interpretis gravitatem, singulas quasque sententias meretricularum more fuco pingat, & calamistris inurat, lasciva quadam mollium verborum affluentia luxurians.* quemadmodum nec plane falsa judicamus Genebrardi hæc, præfatione in Origenem: *Castalionis versio est affectata, plus habens pompæ & phalerarum, quam rei & firmitatis; plus ostentationis quam substantiæ, plus fuci quam succi, plus hominis quam Spiritus, plus fumi quam flammæ; plus humanarum cogitationum quam divinorum sensuum; plus foliorum quam fructuum.* atque Huetii ista, de Interpretatione lib. II, 18. *Quid de intemperantissima S. C. conversione statuendum est? quæ res purissimas fastidiosa venustate oblimavit, & omnem divini Verbi vim nimia curatura elisit, & verba a Patribus & toto Christianorum cœtu recepta & usurpata ineptissime repudiavit.* Etenim cui Christiano pectori probabunt se illi *Genii*, illa *pollubra*, ac similia ex *Orco* (qua etiam voce delectatur) resuscitata Ethnicismi vocabula; quæ pridem sepulta oportuit, nedum ut in ipsum Scripturæ textũ inferri debuerint? quis in sacrosancti Cantici interpretatione diminuta illa molliterque tinnula vocabula, *sororculam*, *amiculam*, *columbulam*, *corculum*, *vulticulum*, *cerviculam*, *capitulum*, *occellulos*, *mammulas*, hujusque farinæ plura, elegia Tibulliana quam divina ode digniora, æquo ferat animo? quis pro *Baptista*, similibusque Theologicis rebus consecratis vocibus, Johannem *Lotorem*, & id genus alias profanas novitates in codice Biblico, & quidem sine ulla necessitatate, sibi patiatur obtrudi?

Genebrardi.

Huetii.

XIV. Ut igitur libenter Riveti subscribimus sententiæ; Castalionis versionem, si quis ea cum judicio utatur, in nonnullis adjumento esse posse, nec plane in omnibus esse contemnendam; & geminæ huic Poli, Matthæi Poli, præfat. Synopseos Crit. eam *sensum* Scripturæ *plurimis in locis perspicue, pure, eleganter, & fideliter exprimere:* ita plus justo eidem tribui censemus in Epitome Bibliothecæ Gesneri Simleriana; cujus verba: Castalio *vertit tota Biblia, ita diligenter ac summa fide ad Hebraica & Græca exemplaria collatis Veteris ac Novi Testamenti libris omnibus, ac inde in Latinam linguam, observata ubique & perspicuitatis, & elegantiæ, proprietatis ipsius ratione, ut OMNES OMNIUM VERSIONES HACTENUS EDITAS LONGO POST SE INTERVALLO RELIQUISSE VIDEATUR.* similiterque in hoc Frederici Furii Ceriolani elogio:

Gesner. Bibl.

Furii Ceriolani.

Nescio quis Veterum voluit, sermone Latino
Biblia cum priscis ut loquerentur avis.
Tentavit, fecitque suis pro viribus omnem
conatum: at fantur Biblia barbarice.
Eusebius tentavit idem, tentavit Erasmus.
Frustra est; fantur Biblia barbarice.
Pagninus tentavit idem cognomine Santes.
Frustra opera est; fantur Biblia barbarice.
Tentarunt hoc idem alii; sed non bene cessit.
Frustra opera est: fantur Biblia barbarice.
En tibi CASTALIO tentat, Cœlo auspice: idipsum
Successit: ponunt Biblia barbariem.
O opus egregium! Latio sermone loquuntur
Biblia nunc tandem Castalionis ope.

Episcopii. XV. Sane in excusando Castalione operosus est Simon

Simon Episcopus, Institut. Theol. lib. IV, sect. I, cap. XXI. Neque tamen rem acu tetigisse ipsum putamus, & iis satisfecisse quæ editioni huic objici supra notavimus. *In verbis*, inquit, *istis* profanis *error non est: nec Latinitatis puræ studium convitio mactari meretur. nemo ideo errasse dicendus est, quisquis erravit, ut recte censuit Laurentius Humfredus Anglus, quod Latine & eleganter studuerit sacros libros traducere. Errorum aliæ sunt causæ: eloquentiam nemo jure accusandam censet.* Verum esto, non erraverit adeo in rebus ipsis Castalio (quamquam aliis aliter heic visum) error tamen est, res divinas convenienti stylo non exprimere, quiq; deceat cœlestium oraculorum majestatem: error est, quod *Baptismi, Angelorum, Mediatoris*, similiaque solemnia & omnibus perspicua vocabula expunxit, & profana quædam, ac in iis etiam nonnulla plerisque ignota, substituit. Purioris latinitatis studium etsi minime improbari oporteat, tantum tamen id esse non debet, ut in ejus gratiam voces longissimo usu tritas omnibusq; cognitas e Theologia, quid? ex ipso Scripturæ contextu, eliminare ausimus, novasque, nec a cunctis intellectas, & sæpe vel ambiguas, vel diversas, pro iis obtrudere. Si aliarum artium Magistris licet, quæ longo usu optimaque fide possederunt, tamquam sua retinere, utut apud Tullium similesque purioris Latinitatis custodes non legantur; quidni idem liceat, & multo quidem magis, sanctissimæ disciplinarum Theologiæ Doctoribus: quibus præ ceteris cavendum solicite, ne vocabulis amissis tandem etiam ipsarum rerũ possessionẽ depellantur? *Etsi enim Christiana religio sita non est in literis & syllabis, tamen nemo*

nemo non videt, quantopere ad rerum cognitionem interſit, quid quibus verbis dicatur: adeo quidem, ut multa graviſſimis de rebus controverſia ſæpe unius vocabuli explicatione dirimantur; rectiſſime heic ſcribit Beza: Porro annon error eſt, in exprimendis rebus divinis, quas ſermo decet majeſtaticus, tali verborum uti lenocinio: *Mea columbula, oſtende mihi tuum vulticulum: fac ut audiam tuam voculam. Nam & voculam habes venuſtulam, & vulticulam habes lepidulum* Cant. II, 14. Cujusmodi mollium dictionum amatoriarumque blanditiarum effluentia, qua ubique in illius libri traductione luxuriat auctor, magis ludentem de Lesbiæ paſſerculo Catullum refert, quam ſacrarum literarum interpretem; ceu recte in Diſquiſitionibus ſuis

Simonii. Criticis cap. XXIII judicat Simonius. Quem tamen in Caſtalionem id fecit propenſiorem, quod, ut ipſe quidem cenſet Hiſtor. Crit. lib. II, cap. XXI *nil dubitans, Codices Hebræos eandem cum cæteris aliis libris fortunam expertos fuiſſe, non raro textum Hebræum juxta Criticæ leges, quam alicubi exacte obſervet, reformare nullus dubitet*; indeque *libere loca mutila notet, quibus pro virili medeatur.* Quæ ſi vera, vel ſolo hoc nomine meretur improbari Caſtaliana translatio. Videatur de ea etiam Iſaac Levita, ex Iudæo Chriſtianus Hebraice doctisſimus, Medit. in librum Ruth, & Jac. Gaffarellus Qu. Pacif, pag. 105. 106.

Verſio Tremellio-Juniana, ejusque ſcopus. XVI. Poſt Caſtalionem aliam rurſum ex Hebræo Bibliorum translationem moliti ſunt, Immanuel Tremellius, Ferrariæ patre Hebræo natus, poſteaq; Profeſſor Hebraicorum Heidelbergenſis, & Franciſcus Junius, celeberrimi nominis uterque inter Reforma-

tos Theologus, ille socer, hic gener. Qui quo potissimum consilio novum istum laborem susceperint, ipsimet in præfatione his verbis docent: *Regula est γραμματικωτάτη, singularem vocum naturam, constructionem earum, & interpunctionem observandam esse. At multa antehac fuerunt præter vocum naturam formamque reddita, voces detorta, res constructa alia ab aliis distracta, earum interpunctiones, quasi quadam sententiarum sepes, avulsa, denique multa advecta incommoda: qua si nostra opera saltem aliqua ex parte amoveri possint, omne punctum (quod ille ait) tulisse nobis videbimur. Ut autem nihil amplius de alieno labore cogamur dicere, ad formam nostram descendemus. Ad rectam intelligentiam rerum obtinendam, naturam singularum vocum expendimus, constructionem ex similium locorum comparatione, quam maxime fieri potuit, observavimus, interpunctiones Hebraas, non ut otiosas (quod vulgus opinatur) sed plurimum ad rem facientes, retinuimus quanta commoditate potuimus, denique sermonis & argumentorum seriem accurate exploravimus, ut evidentior esset illorum coharentia. In quibus omnibus aptè & accommodatè reddendis, etiam Hebraici sermonis ordinem, ut per Latinam linguam licuit, servavimus, nisi aliud evidentia loci postularet. Hebraïsmos singulares, & ἐμφατικωτέρους quàm ut mutari possent, Patrum exemplo religiosè retinuimus, alios Latine, quam optime per nos fieri potuit, expressimus in contextu, Hebraarum vocum interpretationē de verbo ad verbum margini apponentes; Barbarismos fugimus: denique enixi sumus, ut Mosche Latinus Christianum orbem personet, idque eodem argumento, quo civium suorum & gentilium aures, dum vixit, personabat.*

Transtulerunt autem solum Vetus Testamentum. Cui jungi solet in codicibus N. T. traductio Latina gemina; altera Tremellii ex Syro, altera Bezæ ex Græco textu.

Mutata passim post Tremellii obitū a Junio. deque mutatione hac sinistrum Læti judicium.

XVII. Vulgata primum est hæc versio anno CIↃ IↃ LXXIV, sed post defuncto Tremellio heic illic mutata a Junio, & Notarum adjectione aucta, aliquoties prodiit. De quibus sic judicat, in suo Historiæ universalis compendio, period. German. cap. XXXV, sect. II, art. II, Johannes Lætus: Fr. Junius *post Tremellii fere septuagenarii obitum eandem editionem, in opere alieno plus justo ingeniosus, recensuit, & additis multis auctiorem potius quam meliorem reddidit.* Verum non video, cur ita absolute *opus alienum* dici debeat, in quo Junius æque ac Tremellius operam consumpsit. *Atque hinc* ille, ad lectorem præfatus, *Ego*, ait, *de MEO labore ut mutem cum bona venia, ac non de Tremelliano (si ita placuerit) hoc, inquam, ego ab omnibus postulo.* moxque, nec Tremellio inscio, invito, aut inconsulto, mutationem istam fuisse factam, his verbis testatur: *Hoc voluit Tremellius ipse, quicum ego de locis aliquot amanter contuli, antequam alter ab altero coacti essemus discedere: hoc me facere jubet mea conscientia.*

De Bibliis Tremellio-Junianis variorum sententiæ.

XIIX. Quod additionibus suis auctiorem potius quam meliorem editionem istam reddiderit Junius, nescio an aliis, suæ præsertim sectæ, persuasurus sit Lætus. Tametsi inter hos non defuisse constat, quorum severiorem censuram totum illud Tremellio-Junianum opus fuit expertum; sic ut non solum ex Reformatis Doctoribus Gomarus, Rivetus, Fullerus, in Johanne Drusio inprimis & Hugone Brouchtono æ-

qui-

quitatem heic desiderent; sed & ex nostris Dn. D. Calovius, Bibl. Illustr. præloqv. gener. num. XIV, asperum Drusii de Junio judicium, quod nempe Hebraicas literas, ut infelicissime didicerat, ita infelicissime docuerit, omnino improbet; *Aliud*, inquiens, *erudita ejus scripta merebantur & benignius judicium. Sed Grammaticastris, ut barbara voce id genus hominum notemus (purus enim putus Grammaticus erat Drusius) licent omnia.* Ipse interim Calovius Ebraizantis nimium sermonis, vocumque plurium supplendi sensus causa nimis audacter textui insertarum, editionem hanc postulat. quemadmodum & Rivetus, Isagog. cap. XII, 917. eumque sequutus haud dubie Huetius de Interpretatione lib. II, 19. licentiam sive libertatem nimiam in ea carpunt: perinde ut Episcopius Instit. Theol. lib. IV, cap. XXI, ac Simonius Histor. Critic. lib. II, cap. XXI, & Disquis. Crit. cap. XXIII. qui in exemplum adducit, quod Nehem. IIX, 9. habeatur: *Exponendo sensum dabant intelligentiam* PER SCRIPTURAM IPSAM: quæ postrema in fonte non extent. Addi potest locus Jer. I, 12. ubi verba: *Ut cito amygdalus floret*, itidem in Hebræo non leguntur. Cujusmodi certe vix apparet quo pacto excusare liceat. Nam esto, sit hæc genuina locorum istorum sententia; aliud tamen est, translatorem agere, aliud commentatorem, ut ipsimet supra monuimus cap. XII, 38. Affectati praeterea styli, quique inusitatam Latinitatem sapiat, & vitiis scateat, interpretationem Tremellio-Junianam arguunt jam jam memorati Episcopius ac Simonius. Eandem nec Anglis Theologis usquequaque probatam fuisse, ex censura ipsorum; quæ ann. CIↃ IↃ XCIII impressæ Lon-

dinensi editioni præfixa, apparet. Cumque locis innumeris ab illa discesserint in sua versione Batavi, quod nec ipsis per omnia placuerit, manifestum est. Et quamvis Matth. Polus, præfatus in Synopsin Critic. miris elogiis hanc translationem ornet, omnibusque aliis eam præferat, agnoscit nihilominus, quod *nonnulla versiones propius in quibusdam locis ab Hebrais absint, nonnulla etiam sensum & dilucidius & elegantius reddant.* Constantini l' Empereur in Epicrisi ad novam Davidis lyram hæc est sententia: *In vertendis Hebraicis a Junio & Tremellio non raro abire debui. Hoc enim in ista Bibliorum versione sæpe observavi, conceptam analysin veluti normam statui, ad quam in vertendo respiceretur; cum hoc modo sæpe a vero sensu recedatur.* Ex Socinianorum schola Erasmum Johannis, *Pastorem* in Transylvania Claudiopolitanum, *versionem Bibliorum Junii & Tremellii, quoad Prophetas, correxisse*, in Bibliotheca Anti-Trinitariorum Sandiana pag. 88. notatur.

Isidori Clarii emendatio Vulgata Latina deque ea judicium

XIX. Et hucusque de illis auctoribus, qui versionibus Latinis plane novis textum sacrum exprimere conati sunt. Præter quos aliis, non tam novam condere translationem, quam Vulgatam antiquam corrigere & emendare visum fuit. Talis e Pontificiorum Schola Isidorus Clarius, Brixianus, Abbas primum Benedictinus, post Fulginas Episcopus. De quo Melchior Canus, Loc. Theol. lib. II, cap. XIII: *Isidorus Clarius ferendus non est; cujus emendatio nihil est aliud quam Interpretis veteris reprehensio. Pollicetur enim in operis fronte veterem editionem correctam; postea vero quàm pollicitatione hac depellit invidiam novitatis,*

Cani.

mul-

multa inserit, adjicit quædam, nonnulla mutat: ut lector non aliud possit in locis mutatis intelligere, quam aut veteris Interpretis errorem, aut veterum codicum depravationem. Quam bellum erat potius, novam editionem confiteri, quam veterem emendatam; ne lectores simplices verbis ambiguis deciperentur! Quæ censura ut displicet Huetio, de Interpretatione lib. II, 16. sic probatur per omnia Frassenio Disquis. Biblic. lib. II, cap. VII, ac Simonio Histor. Critic. lib. II, cap. XX, & Disquis. Crit. cap. XXII. qui præterea Isidoro objicit, quod *in plerisque locis, quæ castigat in Latino interprete, ineptum se ac linguæ Hebraicæ imperitum ostendat*; quodque *Münsteri, tantum suppresso hominis nomine, notas exscripserit*. Cujus posterioris ipsum insimulat etiam Polus, idque tanta vehementia, ut *ignavum illum manifestumque plagiarium* appellet, *qui ex Münstero plerumque non modo sententias, sed & verba fere singula, descripserit; quique, si in republ. vixisset, ubi, ingeniosis furibus impunitate concessa, imperitis tantum & segnibus pœna capitis statuebatur, ad furcam procul dubio damnatus fuisset*. Conveniens autem est Isidori versio, de qua agimus, sententiæ, quam, teste P. Sarpio lib. II, in Concilio Tridentino is dixit; puta: *nullam translationem cum sacro contextu lingua originali æquiparandam: quamobrem in hac se esse opinione, editionem vulgatam aliis omnibus anteponendam approbandamque, modo ad textum originarium corrigatur, ea vero emendata, ut & aliæ omnes extinguantur, & ne quis aliam inposterum edat, severo edicto prohibendum*.

Huetii. *Frassenii.* *Simonii.* *Poli.*

XX. Eodem pertinet Augustini Steuchi Eugubini *Veteris Testamenti ad Hebraicam veritatem Recognitio*, quam

Eugubini V. T. Recognitio.

quam in Apparatu suo sacro Possevinus memorat. Cujus tamen non nisi pars aliqua prodiisse videtur, Annotationes videlicet in Pentateuchum, quibus iste titulus præfigitur, & in quo opere Latinam vulgatam passim emendat.

Osiandri correctio Vulgatæ;

XXI. Ex nostris Lucas Osiander Vulgatam Latinam & ipse emendavit; sed ita, ut versionis Lutheri quam ipsius textus Hebræi potjorem interdum habuerit rationem. Dn. D. Waltherus, Officin. Bibl. Repos. I, thec, IV, arc. V, 434. id sibi aliisque in auctore hoc displicere ait, *quod cum quibusdam seculi sui antesignanis non raro textum originalem Hebraum hìc & isthic suspicetur amanuensium cura falsatum esse & corruptum.* Loca varia, emendationem poscere visa, neque tamen ab Osiandro correcta, in Lexico suo Pentaglotto Valentinus Schindlerus annotavit. Superiori seculo

& Eberi,

simili ratione Paulus Eberus, Theologus Wittebergensis, Vulgatam sic reformavit, ut versio plane alia, quam nov-antiquam dicere possis, enata inde fuerit.

Pellicani item.

XXII. Sed & ex Reformatorum schola Conradus Pellicanus, commentarios suos Biblicos editurus, medicas Vulgatæ adhibuit manus. Quo de ipsemet ita in præfatione: *Translationem vulgatam D. Hieronymi titulo adhibuissem, si meo licuisset arbitrio agere. Sed rogatus a fratribus & Calcographo, cum jam liber commentariorum prælo subjiciendus esset, ut veterem textum alicubi emendarem, — amicorum piorum tum consilio tum precibus obsecutus, translationem, quæ sub Hieronymi nomine in ecclesiis recepta est, interpolatam reddidi.*

XXIII. Præterea maximæ V. T. partis nova versio Thomæ Malvendæ, Dominicani, Lugduni anno clↄ Iↄ L edita est; sed *adeo barbara, adeo inconstans, ut, nisi author statim notas explanationis gratia, & in textus explicationem observationes adjecisset, nullius plane utilitatis foret*; judice Simonio Histor. Crit. lib. II, cap. XX, & Disquis. Crit. cap. XXII. qui tamen aliquam ejus utilitatem ipse mox agnoscit, *Si quis*, scribens, *pure versiones Grammaticas textus sacri habere velit, legat Malvendam, qui ipsi & Grammatica & Dictionarii instar unus erit.* Simile fere judicium Matthæi Poli, in Synopsin Bibliorum Criticorum præfati. *Malvenda aliquot V. T. librorum translatio.*

XXIV. Psalterium speciatim ex Hebræo reddidit, vel potius, Hebraicorū ipsemet ignarus, opera studioq; duorum Judæorum, quorū alter baptizatus, alter non, reddendum curavit, Card. Cajetanus: quo consilio, omniū rectissime disci potest ex libri illius præfatione; ubi Cajetanus, *Testor ego*, ait, *quod inter hos labores dicebatur mihi ab Interpretibus: Dictio Hebraica sonat hoc; sed non apparet sensus, nisi mutetur in hoc alterum. Respondebam ego, auditis omnibus significationibus: Non sit vobis cura, si sensus non apparet; quia non est vestri officii exponere, sed interpretari. Interpretamini sicut jacet, & relinquetis Expositoribus curam intelligendi.* Ubi Melchior Canus, Loc. Theolog. lib. II, cap. XIII, *Quid Hieronymus?* inquit, *Psalmosne ad verbum translatos pateretur? qui in libro de ratione interpretandi, Horatianum præceptum illud:* *Psalterii nova versio Cajetani.* *De eo judicium Cani.*

Nec verbum verbo curabit reddere fidus
Interpres,

etiam in sacris literis interpretandis magnopere commendat.

quam in Apparatu suo sacro Possevinus memorat. Cujus tamen non nisi pars aliqua prodiisse videtur, Annotationes videlicet in Pentateuchum, quibus iste titulus præfigitur, & in quo opere Latinam vulgatam passim emendat.

Osiandri correctio Vulgatæ

XXI. Ex nostris Lucas Osiander Vulgatam Latinam & ipse emendavit; sed ita, ut versionis Lutheri quam ipsius textus Hebræi potiorem interdum habuerit rationem. Dn. D. Waltherus, Officin. Bibl. Repos. I, thec. IV, arc. V, 434. id sibi aliisque in auctore hoc displicere ait, *quod cum quibusdam seculi sui antesignanis non raro textum originalem Hebræum hic & isthic suspicetur amanuensium cura falsatum esse & corruptum.* Loca varia, emendationem poscere visa, neque tamen ab Osiandro correcta, in Lexico suo Pentaglotto Valentinus Schindlerus annotavit. Superiori seculo

& Eberi,

simili ratione Paulus Eberus, Theologus Wittebergensis, Vulgatam sic reformavit, ut versio plane alia, quam nov-antiquam dicere possis, enata inde fuerit.

Pellicani item.

XXII. Sed & ex Reformatorum schola Conradus Pellicanus, commentarios suos Biblicos editurus, medicas Vulgatæ adhibuit manus. Quo de ipsemet ita in præfatione: *Translationem vulgatam D. Hieronymi titulo adhibuissem, si meo licuisset arbitrio agere. Sed rogatus a fratribus & Calcographo, cum jam liber commentariorum prælo subjiciendus esset, ut veterem textum alicubi emendarem, — amicorum piorum tum consilio tum precibus obsecutus, translationem, quæ sub Hieronymi nomine in ecclesiis recepta est, interpolatam reddidi.*

xxiii. Præterea maximæ V. T. partis nova versio Thomæ Malvendæ, Dominicani, Lugduni anno cIↄ Iↄ L edita est; sed *adeo barbara, adeo inconstans, ut, nisi author statim notas explanationis gratia, & in textus explicationem observationes adjecisset, nullius plane utilitatis foret*; judice Simonio Histor. Crit. lib. ii, cap. xx, & Disquis. Crit. cap. xxii. qui tamen aliquam ejus utilitatem ipse mox agnoscit, *Si quis*, scribens, *pure versiones Grammaticas textus sacri habere velit, legat Malvendam, qui ipsi & Grammatica & Dictionarii instar unus erit.* Simile fere judicium Matthæi Poli, in Synopsin Bibliorum Criticorum præfati. *Malvenda aliquot V. T. librorum translatio.*

xxiv. Psalterium speciatim ex Hebræo reddidit, vel potius, Hebraicorū ipsemet ignarus, opera studioq; duorum Judæorum, quorū alter baptizatus, alter non, reddendum curavit, Card. Cajetanus: quo consilio, omniū rectissime disci potest ex libri illius præfatione; ubi Cajetanus, *Testor ego*, ait, *quod inter hos labores dicebatur mihi ab Interpretibus: Dictio Hebraica sonat hoc; sed non apparet sensus, nisi mutetur in hoc alterum. Respondebam ego, auditis omnibus significationibus: Non sit vobis cura, si sensus non apparet; quia non est vestri officii exponere, sed interpretari. Interpretamini sicut jacet, & relinquetis Expositoribus curam intelligendi.* Ubi Melchior Canus, Loc. Theolog. lib. ii, cap. xiii, *Quid Hieronymus?* inquit, *Psalmosne ad verbum translatos pateretur? qui in libro de ratione interpretandi, Horatianum præceptum illud:* *Psalterii nova versio Cajetani.* *De eo judicium Cani.*

Nec verbum verbo curabit reddere fidus
Interpres,

etiam in sacris literis interpretandis magnopere commendat.

dat. — Fallitur ergo præ cæteris Cajetanus, qui, hujus præcepti immemor, Psalmorum versionem, dum fidam voluit reddere, reddit ad Ecclesiæ quidem usum prorsus inutilem. & Gretserus, Tract. de Novis Translationibus cap. 11: *Quis ad psallendum adigi posset, si psallendi pensum ex Cajetani translatione persolvendum esset, qua nihil insuavius & insipidius?* Verum neque id intendebat Cajetanus, quod versionis hujusmodi per se talis deberet in Ecclesia esse usus: sed existimabat ille, si stricte adeo & verbotenus Latine exprimeretur, qui solus θεόπνευστος, textus Psalterii Hebræi, fore ut rectius mentem Spiritus sancti inde liceret assequi sacrarum literarum expositoribus. In quo tamen fugit illum ratio. Turbabit enim potius commentatorem quam juvabit istiusmodi translatio, ni idiotismi Hebraici probe gnarus sit ipsemet. Cano & Gretsero longe *Prateoli.* adhuc impudentior Gabriel Prateolus, ob dictam illam interpretandi rationem hæreseos notam Cajetano inurere non dubitavit, teste Simonio Histor. Crit. lib. II, cap. xx. qui tamen e vestigio, *At sciunt omnes*, subjicit, *hunc vesanum hominem pro libitu hæreses confinxisse.* ut solent nimirum prompti in eo esse & faciles Romanæ curiæ mancipia.

Translatio Psalterii Fel. Pratensis, Variorumque aliorum. XXV. Traduxit quoque Psalterium, præter librum Jobi, ex Hebraica veritate Felix Pratensis, natione Hebræus, interque suos magni nominis Rabbi, postea Augustinianus, anno ↀ IↃ LIX prope centenarius Romæ mortuus. Quam versionem præ ceteris sæpe citant Matthæus Aurogallus libro de Hebraicis nominibus, Franciscus Titelmannus in sua Psalmorum expositione, & Wolfgangus Musculus in suis commentariis:

tariis: quibus & ipse, perinde ut aliis commentariis nonnullis, novam translationem præmisit. Ediderunt insuper versiones Psalterii ex Hebræo Rudolphus Agricola, Johannes Bugenhagius, Martinus Bucerus, (sub Aretii Felini nomine) Georgius Major, Henricus Mollerus, Jodochus Willichius, Joh. Calvinus, Huld. Zvvinglius. Qui præterea Isaiam & Jeremiam ex fonte reddidit; uti similiter libros V. T. aliquot Joh. Oecolampadius, nostraque ætate Joh. Coccejus, & Dn. D. Sebast. Schmidt. Denique Psalterium, Jobum, libb. Salomonis, & Prophetas omnes, ex Hebraica veritate vertit Franciscus Forerius, qui Tridentino interfuit Concilio, Indicemque librorum prohibitorum conficere jussus est. Siraciden comptiori stylo Latino expressit Justus Jonas.

Novi Test. Versio Erasmi, deque ea judicium Huetii.

XXVI. Qui speciatim in Novo Testamento ex Græca in Latinam linguam traducendo patrum memoria laborarunt, eorum primus est magnus ille Desiderius Erasmus, Roterodamus. Atque is, judice Huetio de Interpretatione lib. II, 22. *ea felicitate hanc ornavit spartam, ut & verba verbis, & sententias sententiis, & saporem sapore exæquaverit; & perspicuitatem tamen cum dictionis castitate & nativo illo colore obtinuerit: quæ ad integram Interpretis laudem unice requirebamus. Quin etiam ubi propter Latinæ linguæ indolem, quod uno Græci, idem pluribus exponere verbis necesse habuit, ascititia verba vario & insigni charactere depingi curavit, quo fidei suæ integritas palam exstaret. Inde adeo Leonis X Pontificis Maximi diplomate commendari meritus est hic ipsius labor. Et tamen, qua rerum humanarum varietas est, eodem nomine sugillatus est a*

 mul-

Opposuerunt se illi Sutor. *multis: inter quos familiam duxit Petrus Sutor; pius quidem homo, & doctus; sed neque doctrina, neque acuminis, neque urbanitatis, neque elegantiæ merito cum Erasmo componendus.*

Stunica. XXVII. Præter Sutorem hunc Erasmi Novo Testamento se objecit Jacobus Lopis Stunica. Qui quid in summi viri labore isto desideraverit, quemque sibi scopum habuerit in illo impugnando præfixum, docere nos potest quam operi suo præmisit præfatio; ubi scribit: *Pervenit ad manus meas Erasmicus ille Codex, numeroso proœmiorum ambitu veluti satellitio præmunitus, perpulchris literarum figuris Græce & Latine deformatus, ac titulum in fronte gestans, qui & autoris nomen & operis argumentum magnificis quidem verbis & admiranda quadam ac pene παράδοξα pollicentibus præ se ferre videbatur. Ut autem librum cæpi volvere, traductionemque illam novam & annotationes a vertice, ut ajunt, ad calcem diligentissime transcurri, audaciam hominis, qua ille pro sapientia eo in opere usus est, vehementer sum admiratus. Cum enim in Gentilium autorum lectione fuerit semper versatus, secularemque eloquentiam ex parte inde didicerit, elegantia illa dicendi qualicunque confisus, omnia sibi licuisse existimavit. Quoniam vero non ex Charitatis affectu, ut res ipsa plane indicat, neque ut S. Scripturarum studiosis quoquomodo prodesset, ad id operis Erasmus videtur accessisse, sed laudis potius cupiditate ductus, atque eo inprimis animo, ut veterem Ecclesiæ traductionem, ejusdemque autorem, captata occasione libere posset reprehendere; necessarium mihi visum fuit, ut ego Ecclesiastici Interpretis partes tuendas susciperem. Quod eo libentius feci, quod videbam non solum*

lum immerito ab Erasmo illum reprehendi, verum etiam contumeliosissime passim compellari, atque ex eruditorum virorum corona penitus explodi: atque id nullo quidem jure, quantum ego arbitror, utpote quem constet & Latine & eleganter sacros N. T. Codices ex Græco in Latinum traduxisse. Quod si aliquibus in locis a Græcis exemplaribus, quæ passim circumferuntur, veterem tralationem discrepare Erasmus senserat; si, quæ per librariorum aut incuriam aut inscitiam errata progressu temporis Codices nostros subintrarunt, reformanda videbantur; extrarium id operis futurum erat: seorsum illa erant annotanda; non totum S. Scripturæ corpus denuo transferendum; non immutanda vetera; non quæ tamdiu usitata fuerant tam licenter invertenda; non denique, ut unica oratione complectar omnia, tam aperte Ecclesiastica traductio damnanda. Annon damnat qui Interpretem illius damnat? qui dormitantem appellat? qui absurditatis affectatorem? qui Latinitati vim afferentem? quique iisdem titulis ac cognominibus non veretur illum insignire quibus ineruditi illiteratique homines ludibrii causa a doctioribus notari solent? Hæc Stunica. Cui cum Apologiam Erasmus opponeret, liti huic immiscere se cœpit, præsertim quod ad annotationes Erasmianas attinet, Sanctius Caranzaa, Theologus Complutensis, editis pro Stunica Vindiciis; quibus respondit Erasmus.

XXIIX. Insurrexit porro in Erasmum heic Edoardus Leus. De cujus in se animo hostili Lutherus etiam non semel queritur: ut in epistola quadam ad Nicolaum Hausmannum, Tom. II, pag. 170. ubi, *Fama est*, inquit, *apud nos, Angliæ Regis Oratorem Leum Norenbergæ* (in habito ibi anno clɔ lɔ XXIII Principum con- *Leus.*

ventu) *mihi facturum esse negotium*; & Tom. II Jen. G. fol. 146. ubi Leum hunc, Erasmi antagonistam, auctorem fuisse suspicatur libri sub Regis Henrici IIX nomine contra se editi. quem ab aliis ipsimet Erasmo fuisse tributum, ex hujus epistola liquet ad Georgium Saxoniæ Ducem, quæ legitur operis Epistolici libro XIX, pag. 686. ubi tamen Erasmus, *Ego nunquam dubitavi*, scribit, *quin ille libellus Serenissimi Regis Angliæ, — ipsius, cujus habet titulum, ingenio Marteque, quod aiunt, sit elaboratus.* Sed Bellarminus, de Scriptor. Eccles. Joannem Fischerum, Episcopum Roffensem, libri istius parentem credi testatur. Verum hæc obiter. Scripta reciproca inter Erasmum & Leum, ceterosque illius antagonistas, de hoc argumento edita, Hottingerus memorat Bibliothecæ Theolog. *lib. I, cap. IV*, II. Videatur insuper hanc in rem Erasmi Apologia quam Novo suo Instrumento præmisit, epistolâ item ejus ad Martinum Dorpium (qui ab operis istius editione illum deterrebat) ubi inter cetera discrimen inter suos, Laur. Vallæ, & Jac. Fabri, N. T. impensos labores indicans, *Laurentius*, ait, *tantum annotavit locos aliquot, idque, ut apparet, in transcursu, levique, quod dici solet, brachio. Faber in Paulinas duntaxat Epistolas edidit commentarios, easque suo more vertit; tum, si quid discrepabat, obiter annotavit. Nos universum Testamentum Novum ad Græcorum exemplaria vertimus, additis e regione Græcis, quo cuivis promptum sit conferre: adjecimus separatim Annotationes, in quibus partim argumentis, partim veterum autoritate Theologorum docemus, non temere mutatum quod emendavimus: ne vel fide careat nostra correctio, vel depravari possit quod emendatum est.*

Valla & Fabri lucubrationes in N. T.

XXIX.

XXIX. Post Erasmum Theodorus Beza idem saxum volvere cœpit. De cujus labore ita Daniel Chamier, Panstrat. Cathol. Tom. I, lib. XII, cap. I: *Theodoro Bezæ palmam omnes tradunt in hoc negotio, Novi, inquam, Testamenti versione. Nec mirum: viro & humanioris literaturæ peritissimo, & jam tot annos in Theologia versato, acerrimisque pugnis exercito; quique maximam sui temporis partem huc contulerit; sciscitatus etiam doctorum virorum judicia, quibus, qua est modestia, multum semper detulit. Itaque fœtum sæpius lambendo ita perfecit, ut vix quicquam addi posse videatur.* & Balduinus Walæus, præf. in N. T. *Jam a dimidio seculo, & quod excurrit, omnium cordatorum calculo in hisce palmam cæteris præripuit THEODORUS BEZA. Quo nemo plenius hoc opus pertexuit, accuratiori cum judicio, quo pollebat insigniter, ea quæ VALLA & ERASMUS tentaverant, pensitavit, omnia, quæ ad genuinum sacri contextus sensum eruendum potuerunt tum temporis adhiberi, adduxit, & se suaque, iterata libri editione, emendavit & auxit.* Josephus item Scaliger, in epicedio quo Bezæ parentavit: *Beza translatio N. T. deque ea judicium Chamieri. Walæi. Scaligeri.*

— — Fœtus supra caput extulit omnes
ille, tuorum operum summa caputque, liber,
quo penetrale Novi reseratur Fœderis, & quo
discussa lucem nocte videre datur.

Non desunt tamen, notante Waltono Proleg. Bibl. Angl. πολυγλώττων IV, sub finem, *qui Bezam nimis audacem fuisse judicant; dum a recepta lectione sæpius sine necessitate recedit, & unius, interdum nullius, Codicis authoritate fretus, Prætoriam exercet potestatem, ex conjecturis mutando & interpolando textum sacrum pro libito.* *Waltoni.*

bito. Quam in rem exempla producit Luc. IX, 48. 53. III, 36. 1 Cor. XV, 55. Ubi tamen in ipso textu, quem in suo exhibet codice, nihil mutavit aut interpolavit auctor, sed in Annotationibus dumtaxat, quomodo legendum sibi videatur, admonuit. Huetius, loco sæpius citato, *laudi facundiæ & Latinitatis studio nimium* in translatione sua *velificatum* esse Bezam observat. & Richardus Mountacutius Orig. Eccles. parte I, pag. 5. *Errare potuisse Bezam quis negaverit?* ait. *In multis, etiam per illas* (in N.T.) *annotationes, & postremas illarum editiones, graviter & pueriliter errasse agnosco.*

Mountacutii.

In Bezæ N.T. Annotationes versioni ipsi nonnunquam adversantur.

XXX. Ubi dum postremarum editionum Mountacutius meminit, non possum quin verbo moneam, per illam editionum varietatem factum esse, ut annotationes interdum versioni parum respondeant, imo aperte sibi adversentur. Sic in editione ann. CIƆ IƆ XCIX, cum Gal. I, 12. Apostoli illud: δι' ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ χριστοῦ, in ipso versionis Bezianæ textu redditum sit: *per revelationem Jesu Christi*; idque etiam initio repetatur in Annotationibus, paucis tamen interjectis lineis his diserte verbis translatio ea rejicitur: *Vulg. & Erasmus ad verbum*: Per revelationem Jesu Christi. *ambigue: quamvis Græcis ad verbum respondeat. Potest enim istud accipi passive de revelato Christo, ut in his libris sæpe: quum hic Christus significetur ipsemet Evangelium, id est, semetipsum ἀμέσως patefecisse.* Nimirum verterat alias Beza: *Illud retegente mihi Jesu Christo*; eoque aptaverat quæ jam recitavimus, minime illis editionibus convenientia, ubi, mutata mente, vulgatam & Erasmianam traductionem retinendam

au-

auctor censuit. Similiter Philipp III, 20. verba Paulina: ἡμῶν τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει, in dictæ translationis contextu vertuntur: *Nostra civitas in cœlis est*; at in subjectis annotationibus: *Nos ut cælorum cives nos gerimus.* Additque paulo post Beza, vocem ὑπάρχει per *existit* quam *est* vertere se maluisse; cum tamen in memorata editione habeatur contrarium. Conf. II Tim. I, 7.

XXXI. Cum vero, præterquam quod facundiæ & latinitatis studio nimium velificatus est, ut paulo ante Huetium observasse diximus, non solum in Annotationibus Theologiæ suæ placita magno Zelo passim propugnaverit Beza; sed & ipsum versionis textum ad ea hinc inde manifesto accommodaverit, malis istis medelam allaturus Academiæ Witteberg. Professor celeberrimus, Erasmus Schmidius, novam adornavit, eamque accuratissimam, Testamenti Novi versionem, additis Animadversionibus, quibus, præter alia monita necessaria, partim mutatæ alicubi Bezianæ translationis ratio redditur, partim Notis ipsius, sicubi a vero aberrant illæ & τῇ θέσει δουλεύουσι, erudite occurritur. Vide, e.g. quæ observat ad Act. III, 21. *Schmidii nova N. T. versio.*

XXXII. Huc porro spectat Ben. Ar. Montani labor: qui, ut in Veteri Testamento Pagnini versionem, sic in Novo translationem vulgatam ita Græco textui inter lineas inseruit, ut multis locis ab originali discedentem correxerit distincto charactere, altera lectione in marginem relegata. *Ar. Montani versio N. T. interlinearis.*

XXXIII. Similem fere in modum Codice N. T. Tubingensi, qui D. Matthiæ Hafenrefferi cura prodiit, Erasmi Latina translatio fuit inserta. Quo de sic in *Tubingensis à Hafenrefferi N. T. editio.*

præ-

præfatione editor: *Erasmiana versio non ubique ad verbum servata est: sed, sicubi vel vox, vel sententia, ab originis textu aut mente quoquo modo recedere visa est, ea non temere quacunque sua significatione est reddita, sed ponderatis cujusque loci circumstantiis & genuino sensu, ea demum adhibita est, quæ in illa ipsa convenientissima significatione apud probatos authores reperta est. Et ut constaret, quænam vox aut sententia, non Erasmi, sed mea esset versionis, illam diverso characterum genere exprimendam curavi, Erasmianis (confusionis vitandæ causa) prætermissis.*

Interpret. Lat. Vers. Bibl. Gr. Ch. Sam. Syr Ar. Pers. Æth.

XXXIV. Denique referri huc possunt interpretationes Latinæ translationum Biblicarum, Græcæ, Chaldaicæ, Samaritanæ, Syriacæ, Arabicæ, Persicæ, Æthiopicæ: quas opera polyglotta exhibent, *præsertim* Anglicana Waltoni.

CAPUT XVI.

DE PENTATEVCHO SAMARITANO.

I.

Pentateuchus Samaritanus diu fuit desideratus, præsertim a J. Scaligero.

Samaritani cum ex Scripturis Biblicis solum Pentateuchum recipiant, mirum non est, præter hunc unum nihil sacrarum paginarum extare, aut aliquando extitisse, ab ipsis quod sit profectum. Jacuit autem Pentateuchus iste per multa secula in tenebris sepultus, & ab Hieronymi fere ætate ad nostra usque tempora Christianis vix visus fuit. Quod quidem graviter inprimis molesteque tulit magnus ille Jos. Scaliger; ceu patet ex ejus libro VII de Emendatione Temporum,

porum, ubi scribit: *Qui in Palæstina peregrinantur, possent & alia, & Pentateuchum a Samaritanis adipisci. Nam sane Christianæ pietatis homines paulo hac in re negligentiores hactenus fuerunt: ex cujus rei cognitione uberrimi fructus in sacram historiam redundarent. Spero, non defuturos, qui voto nostro satisfaciant.* Et studuit certe satisfacere Nicolaus Claudius Fabricius de Peiresc, Senator Aquisextiensis, quando inter plures alios libros hunc etiam Pentateuchum in Ægypto coëmi afferrique ad se mandavit. Qui tamen cum ad Peireskii manus non pervenerit, navi, qua vehebatur, a piratis direpta, spe nihilominus frustratus est Scaliger exoptatissimi codicis; quemadmodum hæc in Peireskii vita, ad ann. Chr. cIↃ IↃc IIX, Petrus annotavit Gassendus. Qui & ibidem, ad ann. XXIX, de eodem refert Peireskio, quod in Orientem miserit, ut Biblia Samaritana acquireret, Theophilum Minutium: per quem etiam obtinuerit. Nempe faciebat id, ut rursum scribit, ad ann. XXXII, Gassendus, in gratiam Johannis Morini, Congregationis Oratorii Presbyteri, in editione operis Parisiensis Pentateuchum Samaritanum tunc curantis. cui etiam quod tres codices transmiserit, ipse Morinus Opuscul. Hebræo-Samarit. pag. 95. testatur: quamvis ille Pentateuchum jam tum edidisset ex alio codice, quem Damasci emi curaverat, & Bibliothecæ Oratorianæ Parisiensi donaverat, Achilles Harlæus, Episcopus Macloviensis, antea Congregationis Oratorii & ipse Presbyter. Sic ergo qui tantopere antea desiderabatur, satis obvius in Europa tandem factus est Samaritanus ille Pentateuchus; cum hodie publicis typis impressus extet, & in He- *Tandem tamen satis obvius in Europa est factus.*

ptaplis Parisiensibus, & in Bibliis πολυγλώττοις Anglicanis; ut de mss. exemplaribus Usserii, Golii, aliorumque nihil dicam. Et esse quidem nostros istos codices Samariticos eosdem plane cum vetustis illis, quorum apud priscos scriptores habetur mentio, ostendere satagit Waltonus, Proleg. Bibl. xi, 14. ac operosius Morinus, Exerc. in Pentateuchum Samar. iii, cap. 1, seqq. neque negat in sua, quam Morino opposuit, Censura cap. iii, Simeon de Muis, Professor Parisiensis; licet alias Pentateuchi hujus auctoritatem acerrime adversus eundem impugnet.

Morinus Samaritano Codici nimium tribuit, ut qui ἀπόγραφον est, vitiisque scateat.

II. Scilicet Morinus, nimio Codicis sui Samaritani amore fascinatus, eo progressus est temeritatis, ut, præfatione quam versioni LXXvirali operis Parisiensis præmisit, sect. vi & XLII, persuadere *lectori sit* conatus, exhiberi eodem purum putum Mosis Pentateuchum, & qui Pentateucho Judaico omnino sit superior, (conformiter scilicet judicio ipsorum Samaritanorum, de quibus ille Hebræorum Magister Moses Alaschkar in שו״ת cap. LXXIV: *Liber Legis Cuthæorum, & omnes reliqui illorum libri, scripti sunt illa scriptura Hebræa* (Samaritana) *& adhuc hodie pertinaciter contendunt, & dicunt, in ea scriptura datam esse Legem: item, se habere exemplar libri legis in Sichem, scriptum a diebus Pineas filii Eliesar, & similia multa.*) Cui audaciæ non tantum se objecit supra memoratus ille Sim. de Muis, sed & Joh. Henr. Hottingerus, Franc. Tailerus, Arn. Bootius, aliique. & merito. Samaritanum enim illum codicem ἀπόγραφον esse, & quidem vitiose satis ex Hebræo transsumptum, docet illa toties admissa confusio literarum cognatæ formæ, ה, ח, ac simi-

similium, ipsum non raro sensum in Samaritano Pentateucho pervertens: qui & variis modis aliis a prototypo Hebræo abit; dum scilicet nunc literas transponit, nunc ipsas voces phrasesque immutat, & duas dictiones in unam corripit, nunc integras omittit sententias aut infarcit, nunc commata & magnā capitum partem transjicit, nunc repetit & bis ponit quæ in Hebræo non nisi semel leguntur: quemadmodum non modo docent, qui adversus Morinum calamum strinxerunt, sed ob oculos etiam ponit collatio textus Hebræi & Samaritani, quæ instituitur ultimo tomo Bibliorum Aeglicanorum πολυγλώττων. Præ ceteris autem vitiis omnibus observatu dignum, quod cum Deuter. XXVII, 4. Codex Hebræus, eumque secuti Interpretes reliqui omnes, habeant: *Ubi trajeceritis Jordanem, erigitote lapides istos, de quibus ego præcipio vobis hodie* בהר עיבל *in monte Ebal;* Samaritani, illi montis Garizim cultores superstitiosi, (vide Josephum l. XI Antiq. Iud. c. IIX, Ioh. IV, 20. quæque ex Chronico Samaritano mscr. Hottingerus affert in Exerc. Anti-Mor. num. XLIX, seqq.) sacrilega fraude substituerint הר גרזים *montem Garisim*; ac ne quidem hoc contenti, ipsa insuper recitata illa verba Exod. XX, 17. loco decimi præcepti & scribere & recitare consueverint. Quæ quidem si perspecta habuisset Scaliger, forte non ita impatienter tulisset desiderium Samaritani illius codicis, uti quidem fecisse eum supra notavimus. Sed nimirum persuasus ex aliorum fuit relatione, ut significat memorati operis libro VI, *totidem*, quot Iudæi, *literis, ne una quidem minus aut amplius, Pentateuchum legere* Samaritanos, & *tantum abesse ut ali-*

quid assuerint Pentateucho, ut totidem literis, quot Judai, scriptum habeant. Credo, si voti sui compos esset factus Scaliger, idem dicturum fuisse, quod de Lexico Hebraico R. Pomarii ad celeberrimum scripsit Buxtorffium, lib. III, epist. CCXLIV: *Quum tandem Lexicon Davidis de Pomis, quod reperire plurimi faciebam, adeptus sim, volebam tibi significare, tanti non esse, ut tantopere a me expeteretur. — Nostrorum hominum libri faciunt, ut aequo animo carere isto Lexico possimus. — Quod si fefellit me spes mea, est tamen quod gaudeam, quod, quanquam oleum, vel potius nummos, perdiderim, est aliqua voluptas potiri eo quod optaveris.* Ita de Iudaico isthoc Lexico Scaliger, cui tamen gloriosum צמח דוד titulum indere auctorem non puduit. Sed hæc obiter. Ad Pentateuchum *nostrum* redeamus,

Pentateuchi Hebrai Samaritano charactere scripti translatio Samaritano-Chaldaa & Arabica.

III. Ejus, lingua pure Hebraica scripti, sed charactere Samaritico, duplex hodie extat translatio: Samaritano-Chaldæa, & Arabica. De priori utut affirmet Morinus, quod textum Pentateuchi Samaritano-Hebræum κατὰ πόδα sequatur, verbumque de verbo exprimat; quod tamen sæpissime ab eodem abeat, variisque laboret nævis, ostendit Hottingerus Analect. Historico-Theolog. dissert. II, II. & inprimis Dissert. Theologico-Philolog. III, 31. seq. Confer quoque Waltonum Proleg. Bibl. XI, 20. ubi etiam, sicut & in dissertatione de linguis Orientalibus, num. XXV, de indole linguæ seu dialecti, qua translatio hæc conscripta, agit. quamquam fusius, quæ illuc spectant, persequantur Morinus in Lexico Samaritano, & Castellus in Annotationibus Samariticis, ultimo tomo Biblio-

rum

rum Anglicanorum infertis. Videatur etiam de hoc argumento Pfeifferi Critica facra digreff. fubj. cap. x, §. 4. De verfione Arabica (quæ tamen Samaritanis characteribus exarata) judicat Hottingerus, fupra laudata differtatione Theologico. Philolog. III, 41. quod a Chaldæo-Samaritana raro quidem, fed tamen interdum abeat, & vel emphafin preffius urgeat, vel textui Hebræo propius accedat, vel Saadianam fequatur interpretationem (de qua paulo poft) vel Chaldæo-Samaritanam obfcurius loquentem explicet, vel etiam plane nova fit translatio. Adde Waltonum Prolegom. XI, 21. & ante memoratas Annotationes Samariticas, quæ ad calcem operis Anglicani habentur. Præter iftas verfiones, Chaldaicam & Arabicam, Græcam infuper Pentateuchi hujus translationem aliquando extitisfe nonnulli affirmant; quod tamen in dubium vocant alii. Lege de eo, fi placet, Hottingerum loco proxime citato, & libro I Thefauri Philologici, cap. III, fect. III, quæft. I, Waltonum Proleg. XI, 21. Conferantur infuper heic differtationes Epiftolicæ de Ecclefiæ Or. antiquitatibus, epift. IV, feq. & ep. XIII, feqq. ubi inprimis de Pentateucho Samaritano, quem celeberrimus ille Patritius Romanus, Petrus a Valle, ex Oriente fecum advexit, multa notatu digna leguntur, item epift. XXXVI, feqq. XLIII, feq. L, feqq. ubi de aliis ejusdem Samaritani Pentateuchi Mss. agitur. Addi poteft denique vita Morini, quæ dictis illis differtationibus præmiffa, cujus auctor itidem varia narrat de Samaritano codice, fuumque de eo judicium, a Moriniano plane diverfum, interponit. Tandem addantur quæ habet Richardus Simon Hiftor.
 Crit.

Crit. V. T. lib. I, cap. x, seqq. lib. II, cap. IX, & Disquis. Critic. cap. XI.

CAPUT XVII.

DE VERSIONE ARABICA ET TURCICA.

I.

Translatio V. T. Arabica Saadiæ. IN Arabicum idioma totam Veteris Testamenti Scripturam traduxit, seculo IX, R. Saadias, dictus κατ' ἐξοχὴν הגאון sive *Excellens* (quo titulo ornabantur olim Rectores Scholarum Babyloniæ) in usum Iudæorum, qui longe lateque per imperia Saracenorum vivebant dispersi. De qua versione consuli possunt Th. Erpenius præfat. in Pentateuchum Arabicum, Gv. Fabricius Boderianus præf. in N. T. *Syr. Edvv.* Pocokius Specim. Arab. p. 365. & *præfatione variarum lectionum Arab.* quæ ultimo tomo operis Anglicani habentur, Hottingerns Thesaur. Philolog. lib. I, cap. III, sect. II, & Differt. Theologico-Philol. III, 27. Waltonus Proleg. Bibl. XIV, 15. Nobis de ea heic monuisse sufficit, quod sæpe paraphrasis magis sit quam nuda translatio, & a versis phrasibusque Hebraicis longius interdum recedat, ac in Pentateucho modo Onkelosum sequatur, modo LXX, modo suum ingenium, id est, Judaicum. Unde ab ipsomet Aben-Ezra reprehenditur, tum alibi, tum præsertim Gen. II.

Alia Versio Arab. II. Præter Saadianam isthanc interpretationem extat alia itidem Scripturæ universæ, inter Arabes Christianos nata: de qua quod *elegans* sit *& antiqua*; testatur, loco ante memorato, Erpenius. Eandem proxime quidem accedere ad alteram illam Saadiæ, &

& in omnibus fere locis difficilioribus ipsā exprimere, interim tamen non plane eandem cum illa esse, ostendit prolixe Hottingerus Analect. Historico-Theol. dissert. II, 3. 4. A cujus judicio dissentit in dissertatione de Linguis orientalibus num. XLVII Waltonus, *Certum est*, inquiens, *ut e collatione patet, versionem Pentateuchi Arabicam* (loquitur de posteriori hac) *non esse aliam quam illum R. Saadiæ, licet in paucis mutatam: contra Hottingerum & Erpenium, qui aliter sentire videntur.* At in editis postea Prolegomenis Bibliorum πολυγλώττων, Proleg. XIV, 17. idem vir doctissimus interpretationem Saadianam *vel eandem esse* scribit *cum Parisiensi* (est vero translatio Arabica, quam Parisiensia Biblia exhibent, illa ipsa de qua nunc agimus) *ut existimet D. Pocokius, vel ad eam proxime accedere, eamque in locis difficilioribus exprimere; ut sentiat D. Hottingerus*; & mox subjicit, vel esse unam eandemque versionem Saadianam & Parisiensem, vel, si ab autoribus profectæ sint diversis, alterum alterius vitulo arasse. *Cum vero*, concludit, *de hoc dissentire video viros Arabice peritissimos, non est meum, sententiam ferre, sed unicuique iudicium esto liberum.*

III. Imo duplicem V. T. translationem Arabicam apud Christianos Orientales obtinere, constat ex Augustino Justiniano, Episcopo Nebiensi, qui utraque se usum significat in Psalm. XIV ac LXXXIV; & a regionibus, ubi in usu erant, alteram Syriacam vocat, alteram Ægyptiacam. Cornelius a Lapide, procemio in Prophetas minores, a sedibus Syriæ & Ægypti Patriarchalibus illam appellat Antiochenam, hanc Alexandrinam; & utriusque exemplum in Bibliotheca

Va-

Vaticana ac Medicea extare scribit. Idem confirmat, in indice Auctorum Commentario suo Biblico *subjuncto*, lit. A, Iacobus Tirinus. Et Ægyptiacam quidem sive Alexandrinam eandem prorsus esse cum illa, de qua numero præcedenti dictum, quæque in Bibliis Parisiensibus & Anglicanis habetur, demonstrat Waltonus Proleg. XIV, 18. Syriacam autem seu Antiochenam in suo Psalterio Arabico exhiberi, affirmat Nebiensis loco memorato. Et quidem ex Alexandrina *illa* seu Ægyptiaca editione ipsum etiam Testamentum Novum Arabicum Parisiani operis esse, liquet e præfatione in Psalterium Syriacum Gabr. Sionitæ, ubi totam Scripturam Arabice versam, quæ postmodum *facta est* pars Heptaplorum Parisiensium, dicit se habuisse ex antiquo codice in Ægypto descripto annis *abhinc* trecentis. Adde tandem quod habet *Simonius Disquis.* Critic. cap. XXVI, sub finem: *Placet nonnullis, Biblia Arabice versa ab Hispalensi Episcopo, cum Hispani Maurorum dominationi parebant.*

Translationes Arab. certorum librorum Bibl.

IV. Atque hactenus de translationibus Arabicis Scripturæ universæ. Præter has extant & aliæ quædam certorum librorum: cujusmodi est Pentateuchus Iudæorum Maurorum ab Erpenio editus, & alius Ibn-Sinæ; de quibus vide prolixius agentem Hottingerum Thesaur. Philol. lib. I, cap. III, sect. II. quales item *sunt* versiones Psalmorum ac Evangeliorum non unius generis, sed & Prophetarum omnium interpretatio præstantissima mscr. de quibus consule Waltonum loco laudato.

Versionum Arabic. auctoritas.

V. Quod ad auctoritatem Arabicarum translationum attinet, non multum iis monet tribuendum Ri-

Richardus Simon, Histor. Critic. V. T. lib. II, cap. XVI, & Disquis. Crit. cap. XXI, quod parum antiquæ sint & negligenter admodum adornatæ: quodq; ab Hebræo textu, imo a LXX etiam & aliis interpretationibus vetustioribus, innumeris in locis diffideant, variisque insuper aliis erroribus ac vitiis laborent. De quibus ipsum auctorem erudite differentem & exemplis etiam manifestis fidem assertionibus suis facientem, consule. Varias nihilominus earundem versionum utilitates enumerant C. Frassenius, Doctor Sorbonicus, Disquis. Biblic. lib. II, cap. V, 12. quique ibi citantur auctores alii. *utilitas*

VI. Referenda etiam huc, quæ celeberrimi Ungnadii cura & sumptibus prodiit, versio Scripturæ Turcica. De qua sic illustris Thuanus, lib. XXXIIX, ann. LXV: *Johannes Ungnadius Sonnekius, vir & natalium splendore & industria propria clarus, — cum incredibili propagandæ religionis desiderio arderet, immensis quoque sumptibus Biblia sacra, & Theologorum aliquot scripta, in linguam Turcicam & Croaticam converti, & ad gentes illarum linguarum peritas transferri curavit, laudabili sane, & digno quod ad posteritatem transmittatur, pietatis exemplo, quodque Principes, & qui majoribus opibus subnixi sunt, deinceps imitentur.* Novum Testamentum Turcicum Oxoniæ anno hujus seculi LXVI vulgatum est. Judæi quoque Taurici Turcica lingua Pentateuchum legere dicuntur. *Versio Scripturæ S. Turcica.*

CAPUT XIIX.
DE
VERSIONE ÆTHIOPICA.

I.

Tota Scriptura S. Æthiopice versa habetur.

D*ubitandum non est*, ait Hottingerus Dissert. Theologico-Philol. III, 63. *versionem Æthiopes habere in universa Biblia antiquam.* & Waltonus Proleg. operis Anglicani πολυγλώττου XV, 10. *Constat, apud Æthiopes totam Scripturam lingua ipsorum, quam Chaldaam & Gheez sive liberam vocant, esse descriptam.* ac mox: *Totam eos habere Scripturam tam Vet. quam Novi Testamenti, satis exploratum & certum est: totamque sperabam me in hisce Bibliis in lucem editurum, si promissis stetissent qui exemplaria perfecta Æthiopica mihi promiserant. Habuit doctissimus Gaulminus in Gallia universum Vet. Testamentum Æthiopicum, quod ope D. Bigo, viri undiquaque doctissimi, consecutus essem, nisi quod exemplar ipsum, Serenissima Regina Suecorum commodatum, & in ipsius Bibliotheca repositum, fortuito an fraude alicujus nescio, amissum, haberi non poterat.* Sed & de iisdem Æthiopibus Franciscus Alvarez, qui ante seculum circiter Legato Regis Lusitaniæ Emanuelis in Æthiopiam eunti comes additus, ipsum sexennium apud eos commoratus est, Historiæ suæ capite CLIX testatur, quod lingua Tegiana, quæ Abassinorum dialectus, sacras Scripturas legant. Adde inprimis, quæ διάθεσιν titulosq; librorum Biblicorum in codice Æthiopico accurate ob oculos ponit, epistolam Jobi Ludolfi, apud Hottingerum in Bibliotheca Orientali cap. VI, quæque de libris sacris Habessinorum idem Ludolfus tradit Historiæ Æthiopicæ lib. III,

III, cap. IV. ubi etiam, *De autore, inquit, & tempore versionis nihil certi compertum habeo. Probabile tamen est, eam tempore conversionis Habessinorum, vel paulo post, non vero tempore Apostolorum, ut quidam tradiderunt, concinnatam fuisse, & quidem a diversis interpretibus: quin vocabula rariora & difficiliora, ut sunt gemmarum nomina, non uno modo in diversis libris exponuntur.* Quidquid hujus; sane jam Theodoriti & Chrysostomi tempore in lingua Æthiopica Scripturam fuisse lectam, docent quæ ex iisdem producimus tractatu de Lectione Scripturæ in linguis vulgo cognitis num. XC, seqq. edit. rec. *Auctor & tempus versionis Æth. incerta.*

II. Ceterum non extant typis edita Æthiopice nisi Psalterium, Canticum Canticorum, Novumque Testamentum. Et Psalterium quidem, antequam ab Anglis excuderetur, operisque πολυγλώττου pars fieret, bis prodiit; primo Romæ, anno seculi superioris XIII, iterumque Coloniæ anno XIIX. Quæ editiones quid distent inter se, & in quibus abeant ab exemplo Usserii mscr. patet ex variantium lectionum catalogo, qui, contextus ab Edm. Castello, habetur tomo VI Bibliorum Anglicanorum. Hottingerus, Differt. Theologico-Philolog. III, 64. observat, Æthiopicam hanc Psalmorum traductionem fere semper exprimere versionem Græcam τῶν LXX, (quam etiam fuisse causam ait Waltonus Proleg. XV, 10. quod noluerint peculiarem ipsi dare interpretationem Latinam in opere suo Biblico Angli, sed sufficere putaverint eam quæ LXX-virali addita) interdum quoq; Syram; nec raro convenire cum Arabica: aliquando autem a reliquis versionibus omnibus recedere, non minus quam a textu *Quænam Æthiopica typis edita extent.*

Hebræo. Quæipsa etiam monet de Cantico. De Novo Teſtamento Æthiopico ita Waltonus, dicto loco: *Quod ad Nov. Teſt. attinet, mihi videtur ex Graeco codice expreſſum eſſe, non ex Syro, quod autumant quidam. Nam qui Syrum cum Æthiopico conferet, plane percipiet magnum ubique inter eos diſcrimen, & ſæpiſſime a Syro Æthiopicum recedere tum verbis tum ſenſu. Hoc tamen notandum, in multis cum Syro convenire.* & paulo poſt: *Obſervandum, Verſionem hanc textum ſatis fideliter plerumque reddere, verumque ejus ſenſum exprimere, obſcura quoque loca illuſtrare; ita ut ex hujus cum antiquis collatione multum lucis textui oriri poſſit. Unde temeraria & injuſta videtur Joſ. Scaligeri de hac verſione, quam vix ſatis intellexit, cenſura, cum ſcribit, peſſima fide illorũ libros traductos eſſe, & malã fidem in Epiſtolis Pauli reperiri, in quibꝰ vix tria commata continua reperias, in quibus aut verba aut ſenſus Apoſtoli reddita. Quod, qui Epiſtolas diligenter contulerit cum verſione noſtra Latina, aliter ſe habere deprehendet.* Interim certum, aliquando nimis longe a contextu originali Græco translationem iſthanc abire. Id quod in ſuis variis lectionibus obſervat quoque Edmund. Caſtellus. Confer & Hottingerum ſupra citato loco. Ludolfus in ante laudata Hiſtoria, *Novum Teſtamentum*, ait, *ex textu Græco authentico verſum quidem habent* Habesſini; *ſed nondum purum & integrum in Europam eſt invectum. Romana etiam editio ex lacero & mutilo exemplari facta eſt, cujus lacunas Tesfa-Tzeionus ex Græcis & Latinis exemplaribus explere coactus fuit. Hoc obſervaverunt viri quidam eruditi, ſed cauſam ignorantes, putaverunt verſionem Æthiopicam ex vulgata Latina factam fuiſſe* Ludovi-

dovicum de Azèvedo, Jesuitam Lusitanum, qui circa seculi hujus initium in Æthiopia egit, in Amaranum sermonem, qui Curialis ibi est, Novum Testamentum transtulisse, testatur in Bibliotheca Scriptorum Soc. Jesu Philippus Alegambe.

CAPUT XIX.
DE VERSIONE PERSICA.

I.

PErsas jam olim habuisse Scripturas sacras in suam linguam conversas, docent Theodoriti & Chrysostomi testimonia, quæ damus ac vindicamus tractatu de Lectione Scripturæ in linguis vulgo cognitis num. xc, seqq. Vide etiam quæ hanc in rem habet C. Frassenius, Doctor Sorbonicus, Disquis. Bibl. lib. II, cap. v, §. iv. Ceterum quæ hodie nobis notæ translationes Persicæ, recentiores sunt. Videlicet Pentateuchum in idioma hoc ex Hebræo traduxit Jacobus Tavvosus, vel, ut alii vocant, Tavusius, aut Tusius, (ab urbe Tus, ubi Academia celebris, sic nominatus) Judæus: quem anno superioris seculi LI typis ediderunt Constantinopoli, sed charactere Hebræo, ipsius gentiles, Persicis autem literis exhibet Bibliorum Anglicanorum πολυγλώττων tomus IV. De translatione illa Waltonus Prolegom. XVI, 7. *Ex hujus paraphrasis cum aliis versionibus collatione multum utilitatis exsurgere, facile perspiciet lector Christianus: cum textum Hebræum plerumque feliciter exprimat, veramque lectionem locique sensum consensu suo corroboret. Vaticinium Jacob*

Pentateuchus Persicus.

de venturo Christo, cum sceptrum de Juda auferetur, de Messia plane explicat, non, ad mentem Rabbinorum quorundam, in alienos sensus detorquet: unde insolubile argumentum contra Judæos, ad probandum Messiam jam venisse, depromitur.

Evangeliorũ Persica translatio gemina.

II. Amplius extat Persico sermone Evangeliorum versio gemina; altera ex ipso originali Græco expressa, altera ex textu Syriaco. Prior edita est, auspiciis Abrah. Whelocki, Lingg. Arabicæ & Saxonicæ in Academia Cantabrigiensi Professoris, anno seculi hujus LVII. posterior, quod optima & antiquissima judicaretur, puta annis abhinc trecentis, ut in fine indicavit translator, confecta, inserta habetur tomo V operis Anglicani. De hac notat Hottingerus, Dissert. Theologico-Philol. III, 57. quod, *etiamsi omnino ex Syriacis fluxerit rivulis, interdum tamen ab his non minus quam ab ipsis fontibus Græcis recedat*: item quod alicubi magnam observet vocum & phrasium emphasin; nonnunquam liberior sit, & de suo multa addat, quæ nec in Græco, nec in Syriaco extent contextu; delectetur verborum æquipollentia pleonastica; mutet nomina appellativa in propria, ac vice versa; phrasesque Muhammedicas referat ad Christianismum. Quæ & similia prolixe ibi persequitur, varisque in medium allatis demonstrat exemplis, modo laudatus Hottingerus. Videantur etiam observationes & annotationes in textum Persicum Thomæ Gravii, tomo ultimo Bibliorum Angl. πολυγλώττων. Historiam porro CHRISTI Persico idiomate dedit Hieronymus Xaverius Jesuita, Francisci cognatus: quam Latine vertit, Animadversionibus additis, Ludovicus

Historia Christi Persica Xaverii.

de Dieu. Pura autem hæc Evangelii historia non est, sed petitis ex Eusebio, Nicephoro, libris Sibyllinis, & Legendis, quæ vocant, narrationibus, ipsiusque auctoris commentis, passim interpolata, ut ipsa operis inspectio plus satis docet.

III. Præter Pentateuchum & Evangelia, de quibus hactenus, extant etiam duæ distinctæ versiones Persicæ Psalterii; quarum una auctorem agnoscit Fratrem quendam Carmelitam in civitate Spahanensi, altera a Jesuitis nonnullis, ut libri indicat titulus, est profecta. De quibus hoc fert judicium Waltonus, loco citato: *Pluribus erroribus & solœcismis utraque scatet: nec ex Hebræo fonte traducta, sed ex vulgata Latina, cujus vestigia exacte premunt.* Et sane eidem adhæserunt adeo religiose illi interpretes, ut, ridicule admodum, τὸ *os* Latinum Psal. CXXXIX, 15. acceperint, non pro *osse*, sed pro *ore*. Quem errorem tam crassum non commisissent, si saltim Græcum consuluissent codicem, vel consulere potuissent. *Talia* siquidem *linguæ præcedentis* (unde facta traductio) *inspectione dijudicantur: nam in Græco non* στόμα, *sed* ὀστέον *positum est;* scribit, de hoc ipso loco agens, Augustinus libro III de Doctrina Christiana cap. III. Confer Tract. nostrum de Lectione Scripturæ in linguis vulgo cognitis num. LXXII, & inprimis de Origine Christianismi ex Gentilium sententia cap. XI, 20. edit. recent.

Psalterii Versio Persica itidem gemina.

CA-

CAPUT XX.
DE
VERSIONE ARMENICA.

I.

Armenica Scriptura versio a nonnullis Chrysostomo tribuitur.

ETiam Armenos jam Theodoriti ætate Scripturas in ſua lingua legiſſe, ex hujus conſtat teſtimonio, quod producimus in tract. de Lectione Scripturæ in linguis vulgo cognitis num. XCII; idemq; confirmatur ex Gregorio Syro, qui mentionem in Scholiis ſuis injicit non ſemel textus Armenici; uti obſervat, productisque exemplis monſtrat Hottingerus Diſſert. Theologico-Philol. III, 54. Nec deſunt, qui ipſi Chryſoſtomo vetuſtam illam translationem Armenicam tribuant. Ita Sixtus Senenſis, libro VI Bibliothecæ ſanctæ, annot. CLII, *E priſcis*, inquit, *Eccleſiæ Patribus, ut plerique Eccleſiaſtici ſcriptores teſtantur, Chryſoſtomus Novum Teſtamentum & Davidicos Pſalmos in linguam Armenicam tranſtulit.* Similiter libro VI ſcribit: *Extat translatio utriusq; Teſtamenti in linguam Armenicam, qua nunc Armeni utuntur, Chryſoſtomi, ut ipſi credunt, induſtria & ſollicitudine edita. Meminit hujus translationis Gregorius, Patriarcha Alexandrinus, in vita Chryſoſtomi, referens, eum, cum in Cucuſum, Armeniæ oppidum, exularet, incolas ejus regionis ad CHRISTUM perduxiſſe, ac ſubinde curaſſe, ut Pſalmi Davidis, una cum ſanctis Evangeliis atque aliis Veteris Inſtrumenti hiſtoriis, Armenice verterentur, quo facilius divinæ Scripturæ cognitionem gentes provinciæ illius obtinerent.* Vide etiam quæ de hac Chryſoſtomi verſione habent Petrus Galeſinius Commentar. de Græcis LXXII Bibliis, Ioh. Azor parte

tè 1 Institut. Moral. lib. IIX, cap. XXVI, Angelus Rocha in sua Bibliotheca Vaticana pag. 157. Andr. Schottus, in catalogo Interpretum Scripturæ, & Anglo-Rhemenses, præfati in suas ad Nov. Testamentum annotationes.

II. Ipsi interim Armeni, ceu liquet ex Historia Armen. Eccles. annis abhinc aliquot Armenice & Latine edita, cap. II, ut gentis suæ conversionem, ita etiam Scripturæ, qua utuntur, traductionem, ad Georgium, primum suum Patriarcham, referunt. At Rich. Simon, Histor. Crit. lib. II, cap. XVI, & Disquis. Crit. cap. XXI, a quodam Armeniæ Episcopo Uscam accepisse se memorat, quod Mosis, Grammatici dicti, & Davidis Philosophi, virorum apud Armenos Græcæ linguæ peritissimorum, eorumq; Chrysostomo συγχρόνων, industria, secundum LXX Armenica versio concinnata sit. Qui ipse etiam Uscam, Jacobi, Armenorum Patriarchæ, jussu, Amstelodami, anno CIƆ IƆC LXIV, Armenica Biblia typis exscribi curavit. *ab aliis Georgio, primo Armen. Patriarcha, aut Mosi & Davide auctoribus.*

III. Quod ad Msc. attinet, meminit Bibliorum Armenicorum Bibliothecæ Vaticanæ Athan. Kircherus, Prodromi Copti cap. V. & Waltonus Differt. de Linguis Orientalibus num. LXXXV, *Quatuor*, inquit, *Evangelia ipse habeo ex Oriente allata; & in aliis Bibliothecis privatis quorundam virorum doctorum eadem versio tota habetur. — In Bibliotheca Oxoniensi asservantur Psalterii Armenorum exemplaria tria antiqua, tribus voluminibus descripta.* Confer eundem Proleg. Bibl. V, 6. *Msc. Bibl. Arm.*

CAPUT XXI.

DE VERSIONE ÆGYPTIACA S. COPTA.

I.

Ægyptii jam inde ab antiquo in sua lingua Scripturam habuerunt.

SEd & Ægyptios antiquissimis jam temporibus Scripturas idiomate legisse vernaculo, iterum ignorare nos non sinunt aliquoties jam memorata Theodoriti & Chrysostomi loca, quæ damus tract. de *Lectione* Scripturæ in linguis vulgo cognitis num. XCII, seqq. Testaturque Athan. Kircherus Prodromi sui Copti capite IIX, habere Ægyptios hodie etiamnum sua lingua exaratos omnes cum Veteris tum Novi Testamenti Codices, quos traductos existimat annis abhinc clↄccc. Verba ejus: *Quantum è Martyrologio Coptico, quod Arabicè scriptum in Maronitarum collegio conservatur, colligere licuit*, ea translatio *facta est abhinc mille circiter & trecentis annis, quo tempore, teste Nicephoro, studium sacrarum literarum in Thebaide, & per totam passim Ægyptum, maximè florebat: quod & dictum Martyrologium in prima prolusione mensis Thoth apertè dicit, præcipuam Monachorum ejus temporis occupationem fuisse, sacra Biblia è Græca, Chaldaica, & Hebraica, in linguam ipsis propriam, Coptam nimirum, transferre: quæ prototypa deinde succedentibus seculis alii & alii identidem describentes, numerum librorum pro multitudine cœnobiorum monachorumque in immensum auxerunt.*

Quinam libri Biblici Copt. hodie extent.

II. Idem Kircherus ibidem paulo post catalogum exhibet librorum Coptorum seu Ægyptiorum, qui hoc tempore in Bibliotheca Vaticana conservantur; unde patet, reperiri ibi dicto idiomate Pentateuchum

chum Mosis, Psalterium Davidis, IV Evangelia, Acta Apostolorum, Epistolas XIV Paulinas cum tribus Canonicis, Apocalypsin Johannis. Similiter Hottingerus refert, Biblioth. Oriental. cap. V, habere se Codicem msc. Arabico-Copticum, quo vel uno abunde probari possit, Coptos Scripturam in linguam suam transtulisse. Eum nempe exhibere, inter alia varia, Analysin Psalterii, Cantic. Mosis, IV Evangeliorum, Actorum, Epistolarum Apostolicarum omnium, excepta illa quæ ad Ephesios scripta, denique etiam Apocalypseos. Joh. Morinus, epistola quæ inter Dissertationes Epistolicas de Ecclesiæ Or. antiquitatibus est XIII, *Sunt*, ait, *in Bibliotheca nostra* (Parisiensi) *quatuor Evangelia lingua Coptica eleganter atque ab antiquo descripta: quæ R. Pater de Sancy Constantinopoli Lutetiam attulit.* Etiam nostras Theodorus Petræus, inter alia Æthiopica Psalterium Copticum ex Oriente in Europam invexit. Sed & Augustinus Nebiensis ad Psal. LXXXIV & XIV, versionis meminit Psalmorum Ægyptiacæ. imo occurrit quoque crebra ejus mentio in scholiis Gregorii Syri. Confer præterea Thomæ Mareschalli Observationes in versionem Evangeliorum Gothicam §. I.

CAPUT XXII.
DE
VERSIONE ITALICA.

I.

Utriusque Instrumenti divina volumina primus omnium in Italicam linguam summa fide ac diligentia transfudit, Sixto Senensi teste Bibliothecæ sanctæ li- *Translatio Italica Jac. de Varagine a Sixto Sen. commendata.*

 bro

bro IV, Jacobus de Varagine, Archiepiscopus Genuensis, ord. Prædicatorum, *vir*, ut idem Sixtus scribit, *multa variaque lectionis, propria lingua mire facundus, & in sacris declamationibus omnium opininione celebris; historiarum quoque non contemnendus scriptor, & Augustini voluminum ita studiosus, ut ea pene omnia memoria teneret.* Quod judicium sugillans, in Apparatu suo sacro, verb. *Biblia*, p.m.225. Anton. Possevinus, *Nec vero*, inquit, *uni Sixto Senensi ita fides habenda, ut credamus, Jacobi de Varagine versionem nulla egere animadversione, quippe cui nec lingua politioris Italica, neque historiarum, quas idem affert de viris sanctis, notitia defuerit* (sic enim haud dubie legi debet quod perperam sensuque nullo typis heic expressum) *quinimo in Martyrologiis, & Annalibus Ecclesiasticis, sive hujusmodi aliis perlegendis, quæ deinceps Ecclesia Catholica jussu ac pietate prodierunt ad omnium usum, rectius ponendum sit tempus.* Nempe ingenium sapit viri Romano more Catholici, quæ Ecclesiæ, recentioris etiam, auctoritate ac jussu prodierunt, ridiculis non raro absurdisque fabulis permixta, iis præferre, quæ ipsius Dei mandato & ex afflatu ejus infallibili in literas relata, omnibusq; legenda divinitus proposita & commendata, Deut. VI, 6. XI, 19. Ps. I, 2. Joh. V, 39. II Tim. III, 15.

[illegible]ringente li[illegible] Possevi[illegible]

[illegible]andata i[illegible] [illegible] Abb. de Marolles.

II. Quanto rectius cetera Possevino ὁμόδοξος ille Abbas Gallicus, Michaël de Marolles, præfatus in suam N. T. metaphrasin vernaculam, quod omnino liceat & expediat in linguis etiam vulgo cognitis Scripturam sacram legere, inter cetera, quibus ad id ostendendum utitur, argumenta, hujus quoque ipsius Sta-

Italicæ translationis exemplo probat: quam Venetiis prodiiſſe dicit anno cIↄ cccc LXXVII, ſub Sixto IV, & Andrea Vendramino, Venetorum Duce. conformiter ſcilicet iis, quæ Rivetus notat, Iſagog. cap. XIII, 4. *Habeo*, inquiens, *exemplar Bibliorum Italicorum, editum Venetiis anno 1477. apud Gabrielem de Peiro Trevisanum, regnante (ut ait) Sixto IV Pont. Max. & Andrea Vendramino, inclyto Duce Veneto. Quæ fortaſſe verſio eſt, quam Jacobus de Varagine, Genuenſis Archiepiſcopus, ante annos trecentos adornavit.*

III. Antiquiſſimam hanc verſionem Italicam excepit, anno ſuperioris ſeculi XXX, Antonii Bruccioli translatio, ſecundum originalem textum adornata quidem, ſed ita, ut, cum Hebrææ linguæ non ſatis gnarus forte eſſet ipſemet, Pagnini veſtigia religioſius preſſerit quam par erat, ne ab erroribus quidem ejus & lapſibus ſibi cavens. Notatu vero dignum, cum diverſæ hujus verſionis editiones extent, ei quæ anno XL publicata, epiſtolam præmitti ad Renatam Ferrariæ Principem, qua pro Bibliórum in linguas vulgares translationibus, earumque uſu, non minus ac ſupra memoratus Abbas de Morelles, operoſe auctor diſputat. *Verſio Itali Bruccioli,*

IV. Sequuta eſt anno cIↄ Iↄ XLI Nicolai Malermii, Abbatis monaſterii S. Michaelis de Lerno, Italica Scripturæ traductio, ſed ex Vulgata Latina expreſſa. *Malermii,*

V. Palmam vero ceteris Italicis præripit Johannis Diodati Genevæ publicata translatio: quam ipſe Richardus Simon, licet Genevenſibus parum æquus, *in multis feliciter & egregie vertiſſe, & præ omnibus aliis Interpretibus perſpicue ſenſum reddere* agnoſcit, Hiſt. *Diodati.*

Critic. lib. II, cap. XXIV; ubi tamen etiam, quid in illa desideret, nullo modo dissimulat.

CAPUT XXIII.
DE
VERSIONE GALLICA.

I.

Versio Scripturæ Gallica VValdensium.

Vetustissima Bibliorum ex Latino translatio Gallica videtur esse, qua Waldenses usi, postquam diversa a Romanis sacra sequi cœperunt. Nec de eo dubitandum, si ipsum Waldum versio illa auctorem habet, quod in Catalogo Testium veritatis cap. XV Matthias Flacius tradit, *Ipse*, inquiens, *non suas aliquas regulas, suique capitis somnia dictare, sed sacras literas tum explicando declarare, tum in vulgarem Gallicam linguam transferre. Fuit enim homo doctus, ut ex vetustis membranis cognosco, & non curavit sibi ab aliis verti, ut quidam veritatis inimici mentiuntur.* Cujusmodi videlicet est Angelus Roccha a Camarino, qui in Bibliotheca sua Vaticana, de picta generalis Concilii Lateranensis I imagine, deque damnato in eodem cum asseclis Waldo, seu, ut ipse appellat, Waldone, agens, *Quosdam*, inquit, *libros vulgari maternaque lingua, cum idiota esset, sanctorum dictis ac testimoniis extortis, sibi conscribi curavit.* Quidquid hujus, sane primos statim Waldenses vernaculo suo, id est, Gallico idiomate sacra Biblia legisse, ex Innocentii III ad Metenses epistola constat, & ex Reineri Sachoni Placentini, seculi XIV scriptoris, libri contra Waldenses capite IV; ubi inter ceteras, quas recenset hæreseos illius, ut ipse vocat, causas, tertio loco hanc po-

ponit, quod *Novum & Vetus Testamentum vulgariter transtulerint.* Imo fuisse penes se traductionis hujus Biblicæ exemplum, testatur in sua Vallium Alpinarum Historia Joannes Leger: quemadmodum & in Provincia hodieque reperiri MSS. Bibliorum vernacula, quæ Waldensibus originem debere videantur, Simonius annotat. Histor. Critic. lib. II, cap. XXIII, & Disquis. Crit. cap. XXIV.

II. Posthac apud Gallos concinnavit vernaculo sermone Scripturarum versionem, itidem secundum Latinam vulgatam, Guiars des Moulins, f. Guiartus Molinæus, Presbyter & Canonicus in diœcesi Tornacensi, anno CIↃ CC XCIV. Quam *Caroli octavi jussu primum, & aliorum subinde cura, prælo commissam fuisse* scribit Huetius de Interpretatione libro II, 12. At contra numquam publice editam esse hanc translationem; exemplar autem illius in Genevensi bibliotheca asservari, & alterum Parisiis in museo Henrici Justelli, Simonius testis est Historiæ Critic. lib. II, cap. XXII, XXIV, libri III appendice pag. 142. & Disquis. Crit. cap. XXIV. *G. Molinæi.*

III. Porro seculo sequenti, Nicolaus Oresmus, sive, ut alii nomen ejus exprimunt, Oremus, Decanus primum Rhotomagiensis, Lexoviensis deinde Episcopus, aliam edidit, similiter ex Latino textu, Scripturæ sacræ translationem Gallicam: quam in quibusdam Franciæ Bibliothecis extare, & cujus aliquot manu exarata fragmenta penes se habuisse Carolum Molinæum, Simonius tradit Disquis. Critic. loco paulo ante laudato. quemadmodum & Rivetus ait Isagog. cap. XIII, *Huius translationis exemplaria multa manuscripta in* *Oresmi.*

Gal-

Gallia reperiuntur; quorum duo memini me vidisse elegantissima, auro, minio, & lasurio, sive cæruleo colore, curiosissime illustrata, in bibliotheca Talliburgi, & insula Buchardi, ditionis Illustriss. Ducis Tremolliani. ac Chamier Panstrat. Cathol. Tom. I, lib. XI, cap. V, II. *Hanc editionem memini videre eleganter descriptam in membranis.* deniq; & Mornayus in Mysterio Iniquitatis, sub annum CIↃ CCC LXIII: *Hujus exemplaria in illustrium regni* Galliæ *familiarum bibliothecis adhuc reperiuntur. In Regia ipsa unum inprimis, in quo Caroli ipsius manu testatum, hæc Biblia suo jussu translata.* Nimirum Caroli V, sive Sapientis, Galliarum Regis, auctoritate opus illud adornatum est, indeque Biblia Caroli Quinti *id* vulgo dictum, ipsumque hunc Principem ejus auctorem habitum fuisse, Huetius loco supra citato *memorat.* Qui etiam de hac aliisque Oresmi traductionibus tale ibi fert judicium: *Plurima veterum scripta Gallice Oresmus vertit: sed fontibus, quorum aditum, propter linguarum imperitiam, sibi præclusum sentiebat, relictis, e Latinis interpretationes suas lacunis ita derivavit, ut quæ forte fœdata essent erriorbus, non modo eas non purgaret, sed novis etiam, ut fere fit, accessionibus passim inquinaret. Quod si ætatem tamen, qua vixit, respexerimus, tantum in his tenebris eum vidisse, tantamque in interpretando temperantiam adhibuisse mirabimur, nedum severe hunc & contumeliose habeamus.* Et vidit sane acute adeo in spissis istis tenebris Oresmus, ut etiam Pontificem Romanum Antichristum esse perspexerit. Quo de consulantur qui illorum temporum historiam consignarunt. Videatur amplius de his Oresmianis Bibliis C. Frassenius, Doctor Sor-

Sorbonicus, Disquis. Biblic. lib. II, cap. IIX, §. II, pag. 416. ubi præterea, *Habemus etiam*, ait, *in Bibliotheca nostra historicos, sacros libros una cum Psalterio, Gallice elaboratos ad usum filiæ S. Ludovici Regis.*

IV. Superiori seculo Biblia prodierunt Gallica, Caroli V Cæsaris privilegio munita, primum quidem Lugduni, post Antvverpiæ. De quorum γνησιότητι licet dubitari posse scribat Richardus Simon, Histor. Critic. lib. II, cap. XXII, & Disquis. Crit. cap. XXIV, quod annus editionis cum his, quæ in privilegio habentur, nequaquam concordet: dici quippe ibi, annum quo prodiit versio ista, excusa Antvverpiæ, typis Martini L'Empereur, anno CIϽ IϽ XXX, primum esse imperii Caroli V; qui tamen anno XIX ad dignitatem illam sit evectus; quodq; in eodem privilegio fidei Inquisitorũ fiat mentio; cujusmodi illo tempore in Flandria nulli fuerint: subjungit tamen mox, tanti hæc non esse, ut merito translationem isthanc suspectam faciant: forte enim errorem aliquem in privilegii verba irrepsisse; idque probari posse ex publicata anno XLI ejusdem versionis editione, cui aliter conceptum Caroli privilegium præfigatur. Ita, inquam, Simonius. Cujus dubia hinc enata, quod existimavit, nec ante annum XXX, nec alibi quam Antverpiæ, typis excusa esse Gallicana isthæc Biblia; quorum tamen jam anno XXI, idque Lugduni, publicata editio Andreæ Riveto innotuit; uti in ejus Isagoge ad Scripturam S. cap. XIII, 4. videre est.

Lugdunensis cum Caroli V. privilegio.

V. Omnium vero celeberrima, earum quidem quæ ex vulgatæ Latinæ textu traductæ, interpretatio Gallica est Theologorum Lovaniensium: quæ a variis

Lovaniensis.

sæpius emendata multoties prodiit; & de cujus origine sic scribit Richardus Simon, Disquis. Critic. cap. XXIV: *Id operis non ob alias rationes aggressi sunt Theologi illi, quam ut homines plebejos & ineruditos a Bibliorum Genevensium, quæ tunc pluris fiebant, lectione averterent. Similibus quoque adductos se fuisse testantur rationibus Theologi illi, qui Biblia in sermonem Anglicum, Germanicum, Polonicum, Hungaricum, & in alia plebeja idiomata, converterunt; ne scilicet ab omnibus passim legerentur Protestantium Biblia.*

Conf. Tract. nr. de lectione Script. in lingg. Vulg. num. 6.

Genevensis Olevitani,

VI. Ubi quod ad Biblia attinet Genevensia, sunt illa prima, quæ ex ipsis fontibus, Hebræo videlicet & Græco textu, idiomate Gallico expressa, idque a Roberto Olevitano, anno cIↄ Iↄ XXXV. Cujus versionem postea revidit, in multis castigavit, *Gallicamque* magis & intellectu faciliorem *reddidit, ejus propinquus*, Iohannes Calvinus. Quamquam nec in hujus judicio & industria penitus acquiescentes Genevenses, Cornelii Bertrami, Hebraicorum ibi Professoris doctissimi, a Beza, Fajo, Rotano, Jaquemartio, & Goulartio, adjuti, opera, anno cIↄ Iↄ LXXXIIX de novo recognita publicarunt Gallicana Olevitani Biblia. In quibus nihil immutatum posthac, nisi quod in subsequutis eorum editionibus novis, obsoleta vocabula cum usitatioribus subinde permutata.

recognita a Calvino, & Bertramo.

Maresii,

VII. Et quamquam novum videri possit opus Biblicum, quod typis Elzeviriorum nitidissimis in splendida papyro apud Batavos Samuelis Maresii cura prodiit, revera tamen nec illud a Genevensi diversum est, quantum ad textum attinet: cui suas ac Iohannis Diodati (qui & ipse Scripturas in Gallicum transfudit sermonem) Notas auctor addidit.

Diodati,

IIX.

IIX. Similiter non alia est a Genevensi translatio, quam anno cIↄ Iↄ LVII Lugduni Iohannes de Tournes publicavit. Quæ enim in illa mutantur, perpauca sunt, eoque solum tendunt, ne esse videatur, qualis tamen reapse est, Genevensis scholæ partus hæc interpretatio. Quo fine etiam ut in Vulgata Latina libri sacri in editione ista distribuuntur, nec alias ibi quam Hieronymianas præfationes legimus. *Lugdunensis Jo. de Tournes.*

IX. Eadem dissimulatione usus est Parisiensis ille Doctor Renatus Benedictus, quamquam alio consilio. Nempe *cum vidisset is homo* (verba damus Richardi Simonis, Histor Critic. lib. II, cap. XXV) *novam Logicæ Aristotelicæ versionem valde probatam fuisse, etsi prorsus linguæ Græcæ ejus author imperitus esset; pariter Gallicam versionem juxta Hebræum & Græcum, etsi neutrius linguæ peritum se libens ipse confiteatur, procudere aggreditur. Quo rem facilius perficeret, Genevensem accipit versionem, quibusdam vocibus immutatis, & synonymis suffectis. Infeliciter vero accidit, ut, cum folia jam impressa cum suis ipsius emendationibus Typographis traderet, non exacte admodum ista emendationes excusæ fuerint. Quocirca Theologi Parisienses, inventa in iis* Cœnæ *voce, & quibusdam aliis similibus Genevæ prognatis, palam hanc versionem condemnarunt, utut nomine unius e Collegis ipsorum insignitam. At ultro crimen illud author confessus est.* Hæc Simonius. Quo paulo verecundior Anton. Possevinus, auctoris nomini parcens, ejusque excusaturus plagium, rem eandem ita narrat in Apparatu sacro, verbo, *Biblia*, pag. 225. *Calviniani cum a Calvino, Magistro suo, Biblia in Gallicam linguam potius transversa quam* *Renati Benedicti.*

conversa accepissent, occasionem praebuere curiosis ingeniis, ac praecipue plerisque Nobilibus, ut ea perlegerent. At cum haereticam versionem Catholici desiderarent, fuit qui alteri versioni manum admovit. Quam cum inchoatam neque vero absolutam praelo Typographi subjecissent, dum operae folia urgebant, factum est, ut ex Calviniana versione plura extemporarie multis in locis desumpta fuerint, & ita evulgata. Quare non ita multo post agnita mendis atque erroribus gravissimis referta, a Sorbonica Schola unanimi sunt condemnata.

Castalionis. x. Superest Sebastiani Castalionis Gallica Bibliorum versio. De qua Huetius, sub finem operis de Interpretatione : *Omnium non ludibrio solum & cachinnis, sed contentioni etiam, sese propinavit Sebastianus Castalio, quum grave & serium convertendae Scripturae molitus opus, sermonis intemperiem, quam in Latina interpretatione comparanda ineptissime exercuerat, in Gallica etiam insolentius explicavit.* & Simonius Historiae Crit. lib. II, cap. XXV : *Sebastianus Castellio sive Castalio, de quo nos supra, Gallicam quoque Bibliorum editionem confecit, Henrico II Francorum Regi dicatam. Cum sua Latinae versionis Gallica haec interpretatio mera sit, crambem non recoquemus. Iisdem vitiis, quibus Latina, scatet. Affectata elegantia ubique se reum facit. Nova & insolentia vocabula usurpat, etiam fingit.* Vide supra cap. XV, 12.

CA-

CAPUT XXIV.
DE
VERSIONE HISPANICA.

I.

Hispanica Scriptura Versio sec. 15.

ANtiquissima, quam editam legimus, translatio Bibliorum Hispanica est, quæ tempore Vincentii Ferrerii, Dominicani, id est, circa initium seculi XV, in folio charta Regali prodiit; ceu testatur, præfatus in suam versionem Hispanicam, Cyprianus de Valere, *La Biblia*, inquiens, *en lengua Valenciana con licencia de los Inquisidores à cuya translacion assisto S. Vincente Ferrer.*

Versio Judæorum,

II. Posthac, anno cIↄ Iↄ LIII, Judæorum ex Hæbræo traducta interpretatio Hispanica, Ferrariæ prodiit, scabra admodum & inepte superstitiosa. Præter quam Judæos Hispanos in Oriente profugos aliam partis Bibliorum versionem habere, Simonius tradit in Catalogo qui libro III Historiæ ejus Criticæ subjunctus.

de Reyna;

III. Ferrariensem, quam diximus, sed inprimis Pagnini, sequutus translationem, ut in præfatione monet, Cassiodorus de Reyna, aliam adornavit, duodecim annorum spatio, Bibliorum versionem, quæ Basileæ vulgata anno cIↄ Iↄ LXIX.

de Valere;

IV. Hanc excepit Cypriani de Valere editio: quæ tamen non tam nova translatio est, quam Reynianæ, alicubi, ex Genevensi præsertim Gallica, mutatæ & emendatæ, repetitio.

N. T. Hisp.

V. Extat præterea Novi Testamenti anno cIↄ Iↄ XLII per Franciscum de Enzinas, & alia anno cIↄ Iↄ LVI per Johannem Perez excusa interpretatio Hispanica.

CAPUT XXV.
DE
VERSIONE GERMANICA.

I.

Versio Scripturæ German. sec. 9.

GErmanicam Bibliorum traductionem a Caroli M. tempore repetendam censet Hottingerus in Bibliothecario suo, Biblioth. Theol. lib. 1, cap. 111, *De Carolo ipso*, inquiens, *authores fide digni referunt, ejus sive cura sive opera N. T. in linguam Germanicam fuisse translatum. Et certe, sive spectemus ejusdem per Paulum Diaconum collectos textus ἐγκυκλίυς, circulari anni cursu absolvendos, sive Capitulare ejus Saxonicum, & in eo de Verbo Dei audiendo singulis diebus Solis strictum mandatum, a vero non abhorret, jam tum eo tempore Germanos sua lingua, vel totam Scripturam, vel certa ejus tmemata legisse. præsertim cum constet, quod asservata fuerint in Bibliothecis Psalteriorum Davidis exemplaria, quibus vel sola styli ratio antiquitatem tribuit.* Ita Hottingerus, qui mox de translato circa annum Iↄ CCC LXX Psalterio, quod in cœnobio D. Galli extet, Gesneri testimonium laudat, inque Bibliotheca etiam Tigurina ex Psalterio depromptum vetustæ Germanorum linguæ specimen haberi ait; sed & de Beato Rhenano refert, quod Valdoni Episcopo Frisingensi circa annum Christi Iↄ CCC translationem Evangeliorum vendicet.

Caroli M. circa Scripturæ textũ & expositionem cura;

II. Ubi vellem nominasset vir doctissimus auctores illos, a quibus, quod Caroli M. sive cura sive opera Novum Testamentum in linguam Germanicam trans-

translatum, referri dicit. Equidem de Caroli circa Vulgatam Latinam recognoſcendam ſolicitudine ita, ex Capitularibus & mſcr. codice, Baronius, ad ann. Iↄ cc LXXIIX, 22. *Carolo Magno debemus ingens opus illud ab Alcuino ſive Albino elaboratum, quo totius divinæ Scripturæ, tam Veteris quam Novi Teſtamenti, Vulgata editio emendata eſt. Acciderat enim, ut ipſa multiplicium librariorum exſcribentium vitio mendis obſita jam vileſceret: quod periniquo animo ferens Carolus, ut quam emendatiſſima ederetur, in priſtinamque vendicaretur integritatem atque ſplendorem, ſtudio propenſiori curavit.* Similiter, quod *quatuor Evangeliſtas* idem *cum Græcis & Syris optime correxerit*, apud Andr. du Cheſne Tom. II Theganus teſtis eſt. Sed de curata ipſius auſpiciis verſione Bibliorum Germanica nihil ibi habetur.

III. Textus porro Biblicos ἐγκυκλίους, ſive certas illas ſingulis Dominicis ex Evangeliſtarum & Apoſtolorum ſcriptis adſignatas lectiones, Caroli juſſu per Paulum Diaconum delectas fuiſſe, vulgaris quidem opinio eſt. At ſi Sigebertum audimus Gemblacenſem, non tam ipſi Scripturæ ſacræ textus, quam, quibus illi exponerentur, Doctorum veterum homiliæ, Caroli auctoritate ſunt ſelectæ. Ita enim, quem dixi, Sigebertus ad ann. Iↄ ccc VII: *Carolus Imperator per manum Pauli* (Warnefridi) *Diaconi ſui, decerpens optima quæque de ſcriptis Catholicorum Patrum, lectiones unicuique feſtivitati convenientes per circulum anni in Eccleſia legendas compilari fecit.* Gemina habet Sixtus Senenſis, Bibliothecæ ſuæ libro IV, niſi quod in Alcuinum confert operam, quam Sigebertus Paulo tribuit,

Homiliæ Patrum in textum Scripturæ ἐγκυκλίους Caroli juſſu ordinata.

Al-

Albinus Flaccus, inquiens, *cognomento Alcuinus*, *Monachus*, *Diaconus*, *& Abbas monasterii S. Martini Turonensis*, *natione Anglicus*, *Bedæ Presbyteri auditor*, *vir in omni scientiarum genere suo tempore celebratissimus*, *& Caroli Magni Augusti Præceptor*, — *collegit & in ordinem redegit*, *jussu Caroli Magni*, *præstantissimorum ecclesiæ Doctorum homilias in Evangelia*, *quæ per anni ambitum publice in templis leguntur*: videlicet, ut mox sequitur, aliquot Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Hilarii, Fulgentii, Origenis, Maximi, Chrysostomi, Severiani, Leonis, Gregorii, Bedæ, Isidori; omnes numero CCIX.

Caroli ævo prælecta fuerunt lingua Germanica in conventibus Ecclesiasticis homiliæ sacræ.

IV. Constat interim ex his ipsis modo productis testimoniis, jam tum Caroli ævo certas pericopas Biblicas, quibus videlicet dictæ istæ Patrum homiliæ aptatæ, statis temporibus publice in conventibus Ecclesiasticis fuisse prælectas. Idque lingua factum esse cuivis genti vernacula, res ipsa loquitur. & de Germanico speciatim idiomate testari potest celebratum Caroli jussu, anno IↃCCCXIII, Concilium Turonense III. cujus can. XVII hæc leguntur: *Visum est unanimitati nostræ, ut quilibet Episcopus habeat homilias, continentes necessarias admonitiones, quibus subjecti erudiantur.* — *& ut easdem homilias quisque aperte transferre studeat in rusticam Romanam linguam* (Gallicam) *aut Theotiscam* (Germanicam) *quo facilius possint cuncti intelligere quæ dicuntur.*

Tota Scriptura Germanice reddita sub Ludovico Pio.

V. De universo utriusque Instrumenti codice in Germanicum sermonem Ludovici Pii cura traducto testimonium hoc extat illustre præfationis cujusdam in librum antiquum Saxonica lingua scriptum, apud

apud Andr. du Chesne, Tom. II, 326. *Cum divinorum librorum solummodo literati atque eruditi prius notitiam haberent, ejus* (Ludovici) *studio, atque imperii tempore, sed Dei omnipotentia atque inchoantia, mirabiliter actum est nuper, ut cunctus populus sua ditioni subditus, Theudisca loquens lingua, ejusdem divinæ lectionis nihilominus notionem acceperit. Præcepit namque cuidam, uni de gente Saxonum, qui apud suos non ignobilis Vates habebatur, ut Vetus ac Novum Testamentum in Germanicam linguam Poëtice transferre studeret: quatenus non solum literatis, verum etiam illiteratis, sacra divinorum præceptorum lectio panderetur.* Nimirum, ut alias Rhytmico dicendi genere majores nostros delectatos fuisse constat; sic in translatione etiam Biblica eodem fuerunt usi. Exhibetque rhytmicarum ejusmodi versionum specimina quædam satis curiosa loco supra laudato Hottingerus. Porro huc refer, quod Johannes Hussus, in edita clↄ ccccxi contra Joannem Stokes pro Wiclefo Replica, apud Angliæ Reginam Teutonica lingua Evangelium eo tempore extitisse, indicium faciat. *Versio Germ. 1411.*

VI. Ad Hottingerum vero ut revertamur, is amplius dicto loco, *Antiquissimam*, inquit, *typis excusam editionem, & quæ non multo post inventum subsidium chalcographicum prodiit, vidi anno hujus seculi 57. in Bibliotheca Augustana publica. Adscriptam, ni fallor, Epocham habet 1448. quæ in aliis raro observatur exemplaribus.* Ubi fateor statim dubitasse me, quando hæc legi, an recte rem observaverit Hottingerus, præsertim cum nec ipsemet suæ satis heic fidat memoriæ. Tametsi enim errat Erasmus Schmidius, quando in *De Bibliis Germ. quæ 1448. & 1438. excusa dicuntur, quid habendum.*

Notis ad Matth. 1, 1. anno demum clɔ cccc LXV primum librum typis excusum fuisse refert, Officia scilicet & Paradoxa Ciceronis, (extat quippe in ipsa Kiloniensi nostra Bibliotheca Academica opus Grammaticum in fol. sub titulo : *Summa, qua vocatur Catholicon, edita a fratre Johanne de Janua, Ordinis fratr. Prædicatorum*; in cujus fine ista leguntur: *Altissimi præsidio, cujus nutu infantium lingua fiunt diserta. Quique sæpe parvulis revelat quod sapientibus celat. Hic liber egregius, Catholicon, Dominicæ incarnationis annis clɔ cccc LX alma in urbe Maguntina nacionis inclitæ Germanicæ, Quam Dei clemencia tam alto ingenii lumine donoque gratuito ceteris terrarum nacionibus preferre illustrareq. dignatus est, non calami, stili, aut penne suffragio, sed mira patronarum formarumque concordia proporcione & modulo impressus atque confectus est.* quod tamen jam anno clɔ cccc XLIIX libri excudi cœperint Germanici, difficile creditu mihi videbatur: cum Angelus Roccha, in sua Bibliotheca Vaticana, primum typis impressum librum, Donati scilicet Grammatici opus, ex officina Johannis Fausti, civis Moguntini, artis Typographicæ inventoris, anno demum clɔ cccc L prodiisse, notabili admodum Mariangeli Accursii testimonio confirmet. Nec mea me fefellit suspicio, memoria lapsum heic esse Hottingerum : siquidem ex amico, qui sæpe in manibus habuisse se Augustanum illum Codicem affirmat, anno demum clɔ cccc LXXX, idque Augustæ, eundem impressum esse rescivi. Et quis credat, obsecro, quod in Analectis suis Historico-Theologicis, dissert. II, 16. idem Hottingerus ex Michaele de Marolles refert, *ante natum Lutherum ver-*

ſionem Bibliorum *Germanicam ann. Chr. 1433. per Antonium Kobergerum publici juris factam eſſe?* Sane ſi de typis publicata editione intelligi id debet, (uti vix dubito, qui Ant. Kobergerum Typographum fuiſſe ſcio Norimbergenſem, e cujus officina anno clↃ CCCC LXXV Biblia prodierunt mihi viſa editionis vulgatæ) perſpicue falſum eſt. Artis enim Typographicæ primam inventionem, aut certe detectionem, in annum clↃ CCCC XL communi conſenſu auctores referunt. Errorem igitur ſubeſſe heic puto chalcographicum.

VII. Porro Hottingerus, ſupra citato Bibliothecarii loco, *Eſt & verſio Germanica*, ſcribit, *cujus partem inde ab Eſaia ad finem usque N.T. nuper amicus mecum communicavit, manu Sacellani cujusdam, Nicolai Brakmii, ann. Chr. 1472. exarata.* Pergit: *Habeo quidem ad manum Codicem ἀνεπίγραφον, quem nonnemo ann. Chr. 1457. impreſſum conjectat. Ita ſua ad Cod. obſervavit manu Joh. Jac. Huldricus, Theologus Tigurinus.* Memorat præterea editiones Bibliorum German. Norimbergenſes ann. clↃ CCCC LXXVII & LXXXIII, necnon aliam anno clↃ lↃ XIIX vulgatam: Auguſtanam videlicet illam haud dubie, cujus & alii auctores mentionem faciunt. Præter quas ego vidi & legi translationem Germanicam clↃ CCCC LXXXVII Auguſtæ excuſam, unde ſupra cap. XII, 42. XIV, 22. 33. quædam ſunt recitata: uti ex ceteris ante laudatis verſionibus ſpecimina producunt Hottingerus loco proxime expreſſo, Calovius Bibliorum Illuſtratorũ Præloqv. num. XIV. Pfeifferus Critic. ſacr. cap. XIII, ſect. II, quæſt. I.

Biblia Germ. ann. 1472.

1457.

ann. 1477. 1483. 1518.

1487.

IIX. Provocat præterea ad traductionem Pſalterii Germanicam vetuſtam Michael Beringerus, He- *Biblia Germ. antiqua Beringero viſa.*

 brææ

bRææ linguæ olim apud Tubingenses Professor, in Defensione versionis Bibliorum Lutheranæ anno cIↄ Iↄc xiii Erfurti edita; indeque specimen affert, comma videlicet primum Psalmi I, hoc modo redditum: Selig ist der Mann/ der nicht den weg ist gegangen der Unmilden/ und den weg der Sünder nicht ist gestanden/ und in dem Meister-sessel der Schelmen nicht ist gesessen.

Item alia Mathesio. IX. Johannes tandem Mathesius Bibliorum quoque Germanicorum ante Lutheranam reformationem editorum meminit, conc. XIII de vita Lutheri. Verba ejus: Ich habe in meiner Jugend eine unteutsche Teutsche Bibel gesehen/ ohne zweiffel aus dem Latein verteutschet. Die war dunckel und finster. Denn zu der zeit achteten sich die Gelahrten der Bibel nicht fast. Mein Vater hatte eine Deutsche Postill/ darin neben den Sontags Evangelien auch etliche stück aus dem Alten Testament postilliret und außgeleget waren: darauß hab ich ihm offt mit lust gelesen. Wie gern/ sagte mein Vater/ möcht ich eine gantze Deutsche Bibel sehen!

Versio Lutheri Germanica. X. Idem Mathesius eodem loco de traductis ex ipso textu originali a Luthero Bibliis Germanicis, eorumque ortu, progressu, & repetitis subinde editionibus, prolixe agit: indicans videlicet, quomodo initium versionis hujus factum sit a Novo Testamento, indeque ad Vetus perrectum; quomodo item, postquam per partes primum libri Biblici Germanice prodiissent, singulari deinde studio & diligentia Lutherus ejusque συνεργοὶ omnia recognoverint, integrumque sic tandem Scripturæ corpus & systema vernaculo nostro idiomate fuerit publicatum.

Initium &c. XI. Nempe cœpit manum arduo huic operi admo-

movere Lutherus anno clↄ Iↄ XXII. Ita enim patet ex data tunc epistola ejus ad Hartm. de Cronberg, sub cujus finem scribit, Tom. II Jen. G. fol. 93. a. Ich hab mir fürgenommen die Biblia zu verdeutschen. Das ist mir noth gewesen. Ich hätte sonst woll sollen in dem irthum gestorben seyn / daß ich were gelehrt gewesen. Es solten solch werck thun die sich lassen dünckē gelehrt seyn. & ex publicato eodem anno ipsius libro adversus Henricum IIX Angliæ Regem, sub cujus itidem finem objecta sibi a Rege omnia & singula examinare se posse negat, quod in Bibliis Germanice traducendis occupetur, loc. cit. fol. 161, a. a quo etsi proposito per Saxoniæ Duces, Fridericū Electorem ac Johannem, repellere eum conatus est Rex Henricus, uti ex epistola ejus patet, quæ ibidem fol. 211, b. legitur, frustra tamen fuit, successitque prospere adeo sacrum illud negotium, ut eo ipso adhuc anno Novi Testamenti prima Wittebergæ prodierit editio, repetita paulo post, alia atque alia forma, tum ibi, tum Basileæ, Augustæ, Argentorati.

Progressus versionis Germanicæ Lutheri.

XII. Seqvutum mox Testamentum Vetus. Et Pentateuchus quidem anno XXIII publicatus est, libri Historici ac Poetici anno XXIV. Isaias anno XXIX prodiit: Prophetæ cuncti anno XXXII. De qua editione ita Dn. D. Calovius, Bibliorum Illustrat. præloqv. num. XIV, pag. 5. *Anno 1532, omnes Prophetas Germanice hoc loco* (Wittebergæ) *divulgavit typis Joh. Lufft. cujus translationis & editionis aliquas pagellas manu B. Lutheri scriptas habeo, easque cum editione illa conferendo observo, iisdem chartis usum esse Typographum: inprimis autem non sine admiratione & veneratione summi studii Megalandri deprehendo, quanta accuratione elabora-*

rit, ut textum Ebræum & emphaticé & pure Germanice redderet; siquidem subinde verba & phrases correxit, donec inveniret quibus acquiesceret.

Systematis Biblici Lutherani editio prior.

XIII. Tandem anno CIↃ IↃXXXV omnes & singuli junctim inq; unum corpus coacti libri Biblici idiomate Germanico Wittebergæ vulgati sunt; sed ita, ut reviderentur ante, ac, ubi opus esset, emendarentur, Psalterii autem in locum prioris, utpote Hebraismum plus justo passim sapientis, plane nova substitueretur translatio. Qua de re ita Lutherus, præfatione breviori in Psalteriū:

Psalterium Lutheri Germ duplex.

Ob jemand klügeln wolt / und fürgeben / wir hätten den Psalter zu fern von den Worten gezogen / der sey bey sich selbst klug / und lasse diesen Psalter ungetadelt. Denn wir habens wissentlich gethan / und freylich alle Wort auff der Goldwage gehalten / und mit allem *fleiß und trewen* verdeutschet / und sind auch gelahrter Leute gnug darbey gewesen. Doch lassen wir unsern vorigen Deutschen Psalter auch bleiben / umb deren willen / so da begehren zu sehen unser exempel und Fußstapffen / wie man mit Dolmetschen näher und näher kommet. Denn der vorige Deutsche Psalter ist an vielen öhrtern dem Ebreischen näher / und dem Deutschen ferner: dieser ist dem Deutschen näher / und dem Ebreischen ferner.

Germanicorum Lutheri Bibliorum editio posterior quanta cura & solicitudine adornata,

XIV. Primam istam totius systematis Biblici editionem excepit altera, annorum XLI & XLII. Quæ quanta cura fuerit & solicitudine adornata, nemo rectius nos docuerit quam laudatus jam supra Mathesius, testis horum omnium αὐτόπτης. Cujus proinde ea de re verba repeti heic omnino merentur. Sic vero illa habent, loco citato: Als erstlich die gantze Deutsche Bibel außgangen war / und ein

ein tag lehret immer neben der anfechtung den andern / nimmet D. Luther die Biblien von anfang wider für sich/ mit grössem ernst / fleiß und gebete/ und ubersihet sie durchaus. und weil sich der Sohn GOttes versprochen hatte / er wolle darbey seyn / wo ihr etliche in seinem Namen zusammen kommen / und umb seinen Geist bitten /verordnet D. Martin Luther gleich ein eigen Sanhedrim / von den besten Leuten so deßmals vorhanden / welche wöchentlich etliche stunden vor dem abendessen/ in Doctors Kloster zusammen kamen; nemlich/D. Johan Bugenhagen / D. Justum Jonam/D. Creutziger/ M. Philippum/Mathaeum Aurogallum: dabey M. Georg Rörer der Corrector auch war. Offtmals kamen frembde Doctorn und Gelehrte zu diesem hohen Werck / als D. Bernhard Ziegler/D. Forstemius. Wenn nun Doctor zuvor die außgangen Bibel übersehen / und darneben bey Jüden und frembden Sprachen kündigen sich erlernet / und sich bey alten Deutschen von guten Worten erfraget hatte / wie er ihm etliche Schöps abstechen ließ/ damit ihn ein Deutscher Fleischer berichtet / wie man ein jedes am Schaff nennete/ kam D. Martin Luther in das Consistorium/mit seiner alten Lateinischen und newen Deutschen Biblien/ darbey er auch stettigs den Hebräischen Text hatte/D. Creutziger neben dem Hebräischen die Chaldeischen Bibel/ die Professores hatten bey sich ihre Rabinen / Doctor Pommer hatte auch ein Lateinischen Text für sich/ darin er sehr wol bekant war. Zuvor hat sich ein jeder auff den Text gerüst/davon man rathschlagen solte/Griechische und Lateinische/neben den Jüdischen Außlegern/übersehen. Darauff proponirt dieser Präsident ein Text / und ließ die Stimm herumb gehen / und höret / was ein jeder darzu zu reden hätte/ nach eigen-

eigenschafft der Sprachen / oder nach der alten Doctorn außlegung. Wunderschöne und lehrhaffte reden sollen bey dieser arbeit gefallen seyn/welcher M. Georg (Rörer) etliche auffgezeichnet / und die hernach als kleine Glößlein und Außlegung auff den Rand zum Text gedruckt seyn.

Ipsius Lutheri de fide & industria in translatione sua adhibita testimoniũ.

xv. Ipse etiam Lutherus, qua fide quantoque studio sua fuerit curata Bibliorum versio, docet in epistola von Dolmetschen / Tom. v Jen. G. Sic nimirum ibi scribit fol. 140. ad amicum quendam: *Ihr mügt sagen* / daß ich das Newe Testament verdeutscht habe auff mein bestes vermögen / und auff mein Gewissen. — Hab ich darinnen etwa gefeilet (das mir doch *nicht bewust* / und freilich ungern einen Buchstaben muthwillig wolt unrecht verdolmetschen) darüber wil ich die Papisten nicht zu Richter leiden. fol. 141 *Ich hab mich des geflissen* im Dolmetschen / daß ich rein und klar Deutsch geben möchte. Und ist uns wol offt begegnet / daß wir in 14. tage / drey / vier wochen / haben ein einiges wort gesucht und gefragt / habens dennoch zuweilen nicht funden. Im Hiob arbeiteten wir also / M. Philips / Aurogallus / und ich / daß wir in vier tagen zuweilen kaum drey zeilen kundten fertigẽ. Lieber / nu es verdeutscht und bereit ist / kans ein jeder lesen und meistern / lauffe einer jetzt mit den augen durch drey oder vier blätter / und stösst nicht einmahl an / wird aber nicht gewar / welche wacken und klötze da gelegen sind / da er jetzt überhingehet / wie über ein gehöffelt bredt / da wir haben must schwitzen und uns engsten / ehe denn wir solche wacken und klötze aus dem wege räumeten / auff daß man kündte so fein daher gehen. Es ist gut pflügen / wenn der acker gereinigt ist. Aber den wald und die stöcke außrotten / und den acker zu richten / da will niemand an. pag. 143.

Das

Das kan ich mit gutem Gewissen zeugen / daß ich meine höchste Trewe und Fleiß drinnen erzeigt / und nie kein falsche Gedancken gehabt habe. Denn ich habe keinen heller dafür genommen / noch gesucht / noch damit gewonnen. So hab ich meine Ehre drinnen nicht gemeinet / das weiß Gott mein HERR. Confer supra num. XII. Sed ad Mathesii narrationem revertamur.

Mutatio locorum quorundam in Bibliis Lutheri Germ. post ann. 1542.

XVI. Refert is amplius, ubi jam prodiisset altera integrorum Bibliorum Germanicorum editio, de qua num. XIV, quædam nihilominus loca aliter postmodum a Luthero fuisse reddita, ut Gen. IV, 1. II Sam. VII, 19. & similia, quæ post ejus obitum a M. Georgio Rörer / ordinario operis hujus Biblici Correctore, præscitu tamen & consilio Doctorum Wittebergensium, textui Biblico fuerint inserta. Qua de re ipsius quoque Röreri verba legi possunt in Consiliis Theologicis Witteberg. parte I, pag. II. seqq. & apud Waltherum, Offic. Bibl. Repos. I, thec. IV, arc. VI, 453. Quo etiam loco multa alia observatu digna de Germanica hac translatione habentur; quemadmodum & apud Gerhardum Exeges. Loc. I, 521. seqq. atque Calovium Bibl. Illustr. præloqv. num. XIV. ubi & alii argumentum hoc persequentes auctores citantur.

Lutherana Bibliorum versio occasionem dedit aliis translationibus Germanicis.

XVII. Illa igitur vernacula Lutheri Biblia postquā in lucem prodiissent, cunctosque Germaniæ angulos occupassent, dici non potest, quanto applausu excepta fuerint ab omnis ordinis hominibus, quantaque aviditate lecta, ab iis etiam, qui in Romanæ Ecclesiæ agebant communione. Quo permotus infensissimus ille Lutheri hostis, Georgius Saxoniæ Dux, publico mandato conversi ab eodem Novi Testamenti lectione

& emptione civibus suis interdixit, quod Tom. II Jen. Germ. fol. 177. legere licet. Cum vero violenta hac ratione hominum manibus codex ille non posset excuti, alia rem via aggressus, novam per Hieronymum Emserum, notissimum illum Lutheri antagonistam, N. T. translationem ex Latina vulgata procuravit, eamque prolixa præfatione ornatam, suis legendã commendavit, quæ tum operi ipsi præfixa est, tum etiam Tom. IV Jen. Germ. Lutheri, fol. 542. seqq. habetur, sed in qua errorem commissum esse oportet. Cum enim scripta esse perhibeatur præfatio hæc anno cIↄ Iↄ XXIIX (qui annus sub finem integris literis exprimitur, ut sphalma typographicum subesse nequeat) mentio nihilominus in ea Emseri fit ut adhuc superstitis. Quem tamẽ in vivis non amplius fuisse tunc (quidquid etiam Possevinus scribat, floruisse eum dicens anno adhuc cIↄ Iↄ XXX) indicium facit ejus epitaphium, quod in iterata translationis hujus editione sub initiũ legitur: *Hieronymo Emsero, in tota artium Cyclopædia præclarissimo Presbitero, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ fideique Catholicæ (grassante Lutheri pestilentissima hæresi) fideli, infracto, Hectoreoq; propugnatori, Hieronymus Vualterus, totus gemebundus, monumentum hoc consecravit. Porro extremum diem anno ætatis suæ Quinquagesimo in Christo Jesu clausit, Carolo quinto imperante, Pontifice Clemente septimo, Roma capto, denique longe omnium Christianissimo Duce Georgio Saxoniam, Misnam, Thuringiam (quantum ad suum imperium attinet) Christianissime gubernante, Octavo Novembris, Anno a Christo nato M. D. XXVII.*

Emseri N. T. German.

Appar. S. P. 744.

Quã pulchre XIIX. Hoc ipso XXVII anno Dresdæ primum in folio

folio prodiit N. T. Germanicum Emſerianum. Ejusque editionis raptim diſtractis exemplaribus, nova mox adornari cœpit, in forma, ut vocant, octava, verum, neſcio a quo, vel quibus, mutata paſſim & interpolata. Cujus inſtituti rationem reddens epilogus, Chriſtlicher leßer/inquit, nu haſtu das werck/das der Emſer ſelig/in der zeyt/als er von arbeyt/alter und ſchwacheyt/ an kreffien ſeynes leybes merklich abgenoſſen/alſo das er auch (darzu vngezweiffelt die vberlaeſtigk ſorge und mühe gefordert) nicht lange darnach ſein leben ſeliglich geendet/ mit getrewem fleyß zuſamen gebracht/welches mann nhu widderumb vernewt/corrigirt/gereyniget/und mit etzlychen nützlich und nöttigen zuthuungen gemehrt hat. Das wolleſt alſo in Chriſtlicher liebe/und guthwillygkeit (jn der es dir auch gereycht wirth) vorſehen und annehmmen/ Es auch dafür nicht halten/ob mann zu zeyllen ein wörtlin darinnen geandert (wo es anderſt nicht an den örthen/da es von den drückern vorſehen) das es darumb geſchehen wehr/das man dye meynung dardurch zu anderem verſtandt hab ziehen und veranderen/Sonder umb der Jungfrauwen und unſchüldigen hertzen willen/die frechen und ergerlichen wörter (der ſich Luther jnn ſeynem Teſtament viel gebraucht/und der Emſer zu zeittenn/villeycht aus überhauffüg der arbeit oder beleſtigüg ſeyner ſchwachheit/vorſehen/und alſo ſtehen laſſen hat) jnn züchtigere wörter verandert/und zu zeiten umbſchrieben/und auch darumb nicht/das man eynigen irthumb/den Emſer ſeliger ſolte zu gelaſſen/darmit het wöllen anzeigen. Scilicet pudori muliebri mirum in modum accommodata, caſtitatemque Virginalem æque ac linguæ Germanicæ puritatem ſapiens eſt illa jam ſupra cap. x, 49. notata

Lutheri Verſionem correxerit Emſeriana translatio.

tata emendatio, cum Matth. 1, 23. pro Lutheri illo: Siehe/eine Jungfrau wird schwanger seyn; Emseriana hæc versio substituit: Sihe / ein Junckfrauw wird im Leyb haben/und geberen ein Son. Sane lippis & tonsoribus notum, eos Germanice dici es im Leibe haben/ qui cholica passione, dysenteria, similive ventris morbo, aut imbecillitate intestinorum laborant.

Emseri plagium. XIX. Sed placet subjicere ipsius Lutheri de nova Emseri traductione judicium ex Tomo V Jen. Germ. fol. 140. Wir haben ja gesehen/scribit ille, den Sudler zu Dresen/ der mein New Testament gemeistert hat. (Ich wil seinen Nahmen in meinen Büchern nicht mehr nennen. So hat er nun auch seinen Richter/ und ist sonst wol bekandt) Der bekennet / daß mein Deutsch süsse und gut sey/und sahe wol/daß ers nicht besser machen kund / und wolt es doch zu schanden machen/ fuhr zu/ und nam für sich mein New Testament/fast von wort zu wort/wie ichs gemacht habe/und thete meine Vorrede/Glose/und Nam davon/ schreib seinen Namen/Vorrede/ und Glose/dazu verkaufft also mein New Testament unter seinem namen. Wanne/lieben Kinder/wie geschah mir da so wehe/da sein Landsfürst mit einer grewlichen vorrede verdamt und verbot des Luthers New Testament zu lesen/ doch danebe geboт des Sudlers New Testament zu lesen/welches doch eben dasselbige ist/ das der Luther gemachet hat. Und das nicht jemand hie dencke/ ich liege/ so nim beide Testament für dich/des Luthers und des Sudlers/halt sie gegenander/ so wirstu sehen / wer in allen beyden der Dolmetscher sey. Den̄ was er in wenig ortern geflickt und geendert hat (wie wol mirs nicht alles gefellet) so kan ichs doch wol leiden/ und schadet mir sonderlich nichts/so viel es den Text betrifft.

Dar-

Darumb ich auch nie dawider wollē schreiben/sondern habe der grossen Weißheit müssē lachē/das man mein New Testament so grewlich gelestert/verdampt/ verboten hat/weil es unter meinem namen ist außgangen/aber doch müssen lesen/ weil es unter einē andern namen ist ausgangē. Wiewol/was das für eine Tugent sey/ einem andern sein Buch lestern und schenden/darnach dasselbige stelen/und unter eigenen namen dennoch auslassen gehen/ und also durch frembde verlesterte Erbeit eigen lob und namen suchen / das las ich seinen Richter finden. Mir ist in des gnug/und bin fro / das meine erbeit (wie S. Paulus auch rhümet) mus auch durch meine Feinde gefördert/ und des Luthers buch on Luthers namen unter seiner Feinde namen gelesen werden. Wie künd ich mich bas rechen? At satis de N. T. Germanico Emseri.

XX. Post hunc aliam Scripturæ interpretationem Germanicam concinnavit ex eadem schola, itidem ad Vulgatæ Latinæ normam, Johannes Eckius, Theologus Ingolstadiensis, famosus & ipse Lutheri ac Protestantium adversarius, quique de se gloriatus est, scripta anno cIↄ Iↄ XXIX ad Conradum a Thungen, Herbipolensem Episcopum, epistola: *Ego omnium minimus cum his bestiis dentatis jam sæpe & eminus & cominus pugnavi. Cominus quidem Lipsiæ cum ipso Draconis capite Luthero, & Carolstadio, viginti diebus disputando, spectando nonnunquam D. Georgio Saxoniæ Duce, & in Baden cum Capharnaita Oecolampadio & asseclis, assidentibus duodecim Cantonum Helvetiorum & quatuor Episcoporum Legatis, pluribus diebus conflixi: eminus vero, editis aliquot in Germania & Italia libellis cum hæreticis manum conserui.* Et quidem, si Sixto Senensi credi- *Eckii translatio Germ.* *Possev. Appar. p. 871.*

dimus, Bibliothecæ S. libro IV, auctor hic *transtulit utrumque Testamentum in Germanicam linguam anno Domini 1540.* Sed Gretserus, Tract. de novis translationibus Biblicis cap. I, solum Vetus Testamentum ab eodem fuisse traductum ait; quemadmodum & Simonius Histor. Critic. V. T. libr. III Append. pag. 142.

Biblia Germ. Dietenbergii. XXI. Johannes vero Dietenbergerus, sive (ut in subscriptione epistolæ nuncupatoriæ se vocat) Dietenbergius, integrum Scripturæ corpus e Latino *Germanice* reddidit, vir Hebrææ linguæ adeo rudis, ut ne legere quidem illam valuerit; ceu ipsemet in dicta illa ad Albertum Electorē Moguntinum epistola *dedicatoria* indicat. Qui tanti nihilominus suam hanc translationem facit, ut RESTITUTIONEM Bibliorum vocare eam non dubitet in epilogo: ubi videlicet *gratias Deo agit,* daß er das treffliche werck der widdererſetzung der heiligen Bibel durch ſeine hülffe und beyſtand zum ende ſeliglichen bracht habe. Idem sua Biblia sic introducit lectorem alloquentia, proxime ante dictum epilogum:

Kompt her ihr Teutſchen all gemeyn /
Kompt her ihr Chriſten groß und klein /
Kompt her ohn Forcht / leſt mich allein.
Bey mir habt ihr GOtts Wort gantz rein /
Das euch viel Zeit iſt abgeſtohln
Durch falſche Bibel unverhohln.
Hie findt ihr / wie ihr ſeydt verführt.
Gantz / trew / rein / wahr / werd ich geſpürt.

Novi Testamenti interpretatio Dietenbergiana ab Emseriana vix quidquam differt: sic ut ne quidem pro pudica hujus ἐῤῥοῦ Teutonica, cujus paulo ante num. XIIX fiebat mentio, honestiorem & commodiorem illa

illa substituerit, vel potius ex Lutherana restituerit.

XXII. Nostro hoc seculo, Electoris & Archiepiscopi Coloniensis Ferdinandi auspiciis, Biblia Germanice vertit Caspar Ulenbergius, Professor & Pastor Coloniensis. Quem ceteris suarum partium Interpretibus præferendum censent Pontificii, quod ipso pressius nemo & religiosius Latinæ vulgatæ in transferendo inhæserit. *Ulenbergius*

XXIII. Tametsi autem hoc nomine illum commendant etiam Theologi Moguntini, quorum opera anno cIↄ Iↄc LXII, auctoritate Archiepiscopi & Electoris Moguntini Johannis Philippi, nova Bibliorum prodiit interpretatio Germanica; id tamen in eo desiderant, quod idiotismi superioris Germaniæ (Westphalus nimirum erat) non satis gnarus fuerit: eoque ipso se permotos ajunt, ut commodiorem magisque Teutonicam Scripturæ traductionem molirentur, licet Ulenbergianam, quoad fieri potuerit, in opere illo suo retinuerint. Pollicentur proinde interpretationem, quæ nativo minimeque coacto idiomate Germanico vulgatæ Latinæ textum fideliter exprimat, Weil/ inquientes, ein zeitlang her sehr viel/ auch hohen Stands und Verstands personen/ ein eifriges verlangen getragen nach einer solchen Teutschen Bibel/ in welcher die Hochteutsche natürliche und ungezwungene Sprach mit der Lateinischen Vulgata treulich vermählet were/ so ist man hierdurch veranlaßt worden/ sich dieses gegenwertigen neuen wercks zu underfangen/ und also ein auffrichtige/ unverfälschte/ jetziger zeiten Teutscher sprach gemässe Catholische Bibel/ die ehr Gottes und der Seelen Heyl zu befürdern/ an das Licht zu geben. Quibus vero promissis stetisse ipsos, tunc *Moguntinorum*,

de-

demum agnoſcemus, ſi, de quo gloriantur, Latini Germanicique textus Biblici connubium, in eo ſitum fuerit, quod Hebræo-Latino-Germanico ſtylo in ſcribendo quis utitur.

Tigurinorũ, XXIV. Reformati quamvis Germanica Lutheri Biblia cum aliis præfationibus, ſummariis, marginalibus, & notis, non ſemel ediderint, ut ſuperiori ſeculo Neuſtadienſes ac Herbornenſes, noſtroque hoc Paulus Toſſanus; peculiarem tamen Helvetica dialecto verſionem adornarunt Tigurini: quæ inde ab anno cIↄ Iↄ XXV multoties variis formis prodiit, ut diligentiſſime Hottingerus in Bibliothecario ſuo annotavit, Bibliothecæ Theolog. lib. I, cap. III, pag. 153. ſeq.

Piſcatoris, XXV. Hæc autem Tigurina traductio cum non niſi in paucis a Lutherana verſione diſcederet, ex eadem Reformatorum ſchola Johannes *Piſcator*, *Theologus* Herbornenſis, circa ſeculi hujus initium aliam dedit Germanicam translationem, qua Latina Tremellio-Juniana interpretatio ſic fere per omnia exprimitur, ut ſtylus ipſius Germanicis auribus ingratior accidat. Videri poſſunt de his & aliis, quæ in editione illa deſiderantur, Paulus Rôderus, & Petrus Piſcator, Theologus Jenenſis, in ſcriptis peculiariter de hoc argumento editis, Menzerus Tom. III Gieſſ. diſp. XV, 6. 7. Himmelius Harmon. Calvino-Papiſt. parte *I*, pag. 18. Et tantum etiam de Bibliis Germanicis Reformatorum. Ubi tamen adhuc notari poteſt, quod præterea ex illorum cœtu Novum Teſtamentum in Germanicam linguam traduxerit Amandus Polanus a Polansdorff.

XXVI. Porro & a Socinianis Germanice editum est Novum Testamentum Racoviæ anno cIɔ Iɔ c xxx. Cujus translationis auctores, Iohannes Crellius, Francus, Rector primum Gymnasii Racoviensis, ac postea ibidem Pastor, & Ioachimus Stegmannus, Marchicus, itidem initio Racoviæ Rector, deinde Pastor Claudiopolitanus; uti patet ex Bibliotheca Anti-Trinitariorum Sandiana pag. 116. 133. e cujus etiam pag. 94. constat, præfationem huic versioni præmissam Georgii Enjedini esse, Socinianorum cœtuum in Transylvania Superintendentis, Gymnasiique Claudiopolitani Moderatoris. Qui novæ istius interpretationis scopum primarium fuisse ibi indicat, ut textus haberetur Germanicus originalem Græcum accurate & ita exprimens, ne præconceptis quorundam opinionibus pravis sit accommodatus. Ipsa ejus verba dabimus. Gleich, wie/ inquit, die jenige/ welche anderer fürnemen männer dolmetschung schon vor sich gehabt/ gesehen haben/ das man zum Griechischen text des Neuen Testaments/ als zu dem original und brunnquell/ aus welchem alle dolmetschungen herfliessen/ und welche auch nur so fern an zu nemen seyn/ so fern sie mit demselben übereinstimmen/ noch genawer kommen könne/ als von andern zuvor geschehen: also ist sich nicht zuverwundern/ das auch nach dieser letztern arbeit noch andere leute sich finden/ welche mercken/ das man noch näher zu der Grundsprache des Newen Testaments kommen könne/ und das noch mehr könne und solle gebessert werden: sintemal/ anderer dinge zu geschweigen/ auch diese letztern Dolmetscher von dem Griechischen texte an nicht wenig örtern abgewiechen/ und die worte des Geistes Gottes auff einen frembden verstand gezogen/ oder

N. T. Germ. Crellii & Stegmanni.

zum wenigsten / da dieselben noch einen andern verstand / als sie vermeinet/ gelietten/ sie also vertiret, das dem Leser/ welcher der Grundsprache unerfahren / dadurch ursach und gelegenheit abgeschnietten worden / von einem andern verstande ausser dem/ welchen die Dolmetschung mit sich bringet/ zu gedencken. Darüber aber darff sich niemand verwundern/ das auch von sehr gelehrten männern noch etwas hierin geirret worden. Denn ihre/ entweder von den vorfahren gleichsam auffgeerbete / oder sonsten vorgefassete meinungen / haben ihnen zuzeiten gleichsam einen nebel für die augen gemacht / das sie auch das jenige/ welches sonst für sich deutlich und klar ist/ nicht gesehen/ und ihnẽ ursach gegeben/ die worte des Geistes Gottes also zu vertiren, das sie mit ihren meinungẽ/ welche sie der Göttlichẽ warheit gemäß geschätzet / nicht stritten / und dieselbe nicht umbstiessen/ oder auch sich ansehen liessen / als wenn sie dieselbigen bekräfftigen. Nempe, v. c. Servatoris illud, Ioh. IIX, 58. πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι, non reddere debuissent Lutherus, & alii: Ehe denn Abraham ward / bin ich; sed cum Socinianis: Ehe denn Abraham wird / ich bin: ne videlicet iste locus doctrinæ de præexistentia CHRISTI ante matrem Mariam tam manifesto patrocinaretur, glossa omni, quam comminisci heic solent anti-Trinitarii, & depravatione, penitus exclusa.

Alia translatio Felbingeri. XXVII. Quam vero accurata etiam visa suis auctoribus fuerit jamjam memorata interpretatio, acquiescere tamen in illa nequivit, ejusdem Socinianæ sectæ assecla Jeremias Felbingerus, Silesius, scholæ Cossinensis Rector, sed novam cudit N. T. conversionem; forte quod nondum satis accommoda suæ Theologiæ in omnibus ipsi videretur prior ista Crellio-

Steg-

Stegmanniana traductio. Et ſane cum non auſi fuerint hi auctores illuſtrem locum Rom. IX, 5. ita pervertere, ut interjecto puncto divellerent, quæ in omnibus conſtanter codicibus conjunguntur, atque ſic ab omnibus etiam Eccleſiæ Patribus citantur, reddentes ſcilicet illud comma: **Welcher ſind die Väter/ und aus welchen iſt Christus / was das Fleiſch belanget/ welcher iſt über alle ein Gott gelobet in Ewigkeit / Amen!** cum, inquam, hunc in modum Paulina verba Crellius & Stegmannus expreſſerint, Felbingerus contra in ſuo textu Germanico ſic ea vertit, imo pervertit: **Welcher ſind die Väter/ und aus welchen der Christos iſt/nach dem Fleiſche. Gott der über alle iſt ſei geſegnet in die Ewigkeiten. Amen.** Obiterque heic obſervetur, quam circumſpecte egerit in ſua editione auctor. Nempe variantes lectiones in fine ſingularum paginarum annotans, ad locum præſentem, **Etliche/** inquit, **ſetzen einen unterpunct nach dem wort Fleiſche.** Quaſi non ipſemet in ſuo textu illud punctum expreſſiſſet, verum recepta ibi lectione fuiſſet uſus. Equidem & Curcellæus, e cujus N. T. Græco ſuas & concordantias & varias lectiones Felbingerus deprompſit, habet heic: *Quidam addunt punctum poſt vocem σάρκα.* At ille textui ipſi punctum non immiſcuit, ſed comma, quod exemplaria ſine exceptione omnia exhibent, poſt σάρκα retinuit, nullam quoque (ſic firmiter ſum perſuaſus) ſive manu ſive typo exſcriptam editionem nominare potuit, quæ aliter legeret; ſed quod punctum poſt vocem σάρκα a quibusdam addi ait, id de Socinianis Doctoribus (quibus in neganda Patris Filiique ὁμουσίᾳ plane ὁμόψηφος eſt) acceptum vult, quos, cum

invictum hoc pro suprema CHRISTI Deitate testimonium eludere alia ratione non possint, ad illam in suo cerebro enatam interpunctionem confugere constat.

Prophetar. Versio Germ. Hetzeri.

XXIIX. Amplius huc refer Ludovici Hetzeri, vel Heitzeri, Bavari, opera Johannis Denken adjuti, Prophetarum majorum & minorum ex Hebræo factam translationem Germanicam. Quem auctorem Anti-Trinitariis annumerat, ac merito quidem, Bibliotheca Sandiana pag. 16. eumque fuisse ait e societate Anabaptistarum Moravorum. Quod ipsum etiam tradit scriptor homini σύγχρον© Sebastianus Franck, Chronic. part. III, lib. III, fol. 415. sed ita, ut non in omnibus, nec constanter, Anabaptistis adhæsisse illum, variasque peculiares opiniones fovisse, memoret. In doctrina etiam de Trinitate non satis sibi constitisse videtur. Quem enim adversus CHRISTI deitatem scripserat librum, morti vicinus improbavit, gaudere se dicens, quod typis non fuerit publicatus; uti refert, qui de obitu viri opusculum edidit, Thomas Plaurerus.

Hetzerus Scripturæ contemptor.

XXIX. Mirari autem subit, Prophetas non solum ex originali convertisse auctorem hunc, sed tanti quoque laborem istum fecisse, ut, narrante, quem diximus, Plaurero, multum de eo sermonem jam decessurus habuerit, cunctisque illum lucubrationibus suis aliis præferre non dubitaverit. Tradit namque de ipso, loco ante citato, ita Franckius: **Er ist hefftig wieder die Schrifftgelehrten gewesen / so zu unsern zeiten Gottes Gnade und Wort an den buchstaben der Schrifft binden. Ihren glauben hat er eyn Buchstabischen glauben genennt / und wenig gehalten von jrer Predigt.** & pau-

la

lo post ex ejus præfatione in Prophetam Baruch hæc recitat: Wer die Schrifft lieset/ daß er Gott daraus wolle lernen verstehen oder erkennen / der betreugt sich selber/ und andere mit jm. Dann er kan von nichts gelert oder erkant werden/ weder allein von Gott/ etc. Und ist wahr/ wer Gott nit bey/ in/ und mit Gott suchet/ der wird allweg suchen/ und doch nicht finden. Wer das nit thut/ der ůberkompt ja eyn wissen/ aber eyn unnůtz/ das nichtes bessert. Wie dann allen denen wiederfert/ die den Glauben von lesen oder hören sagen ůberkummen/ etc. und des kein andere ursach/ ankunfft/ und rechenschafft wissen zu geben/ dann/ ich hab es an dem und diesem Capitel der Schrifft gelesen. Quæ si recte se habent, ut quid, obsecro, suam tantopere operam extulit, quam reddendis Germanice Prophetis impenderat? Nempe & hinc apparet, quam incedant titubanter homines fanatici, nec invenire possint ubi tuto pedem figant. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ, ad propositum redeamus.

XXX. Præter Christianos Judæi quoque Hebraicas V. T. Scripturas in linguam traduxerunt Germanicam. Et olim quidem Pentateuchus ipsorum cura sic prodiit, Quo de Mathesius, conc. de Luthero XIII, pag. 156. Es haben / inquit, die Jůden die fůnff bůcher Mosis/ schlecht wie die wort im Hebräischen stehen/ geteutscht/ und mit ihrer Current-Deutsch drucken lassen. Similiter Prophetas eorundem opera, vel certe non sine illa, Germanice fuisse editos, Lutherus testis est, epistola von Dolmetschen / Tom. V Ien. G. fol. 143, b. Verba ejus: Ach/ es ist Dolmetschen ja nicht eines jeglichen Kunst/ wie die tollen Heiligen meinen; es gehöret dazu ein recht fromm/ treu/ vleißig/ furchtsam/ Christlich/ geleret/ erfaren/

Judæorum translationes V. T. Germanica antiqua.

 faren/

faren / geübet Hertz. Darumb halt ich / daß kein falscher Christ noch Rottengeist trewlich Dolmetschen könne: wie das wol scheinet in den Propheten zu Wormbs verdeutscht / darin doch warlich großer vleis geschehen / und meinem Deutschen fast nachgangen ist. Aber es sind Jüden dabey gewest / die Christo nicht große Hulde erzeigt haben: sonst were kunst und vleis gnug da. Sixtus porro Senensis, Bibliothecæ S. lib. IV scribit: *Michael Adam, Judaus conversus, Biblia vertit in linguam Germanicam, & in usum Judaeorum characteribus Hebraicis expressit.*

Recentior Jos. Atia. XXXI. Nostro tempore geminam, quantum mihi quidem constat, integri V. T. Germanicam versionem Iudæi publicarunt: utrãque scabro, inepto, barbaroque stylo; utramque ad Iudaicam perfidiam passim accommodatam. Prior, auctorem *agnoscens* יוסף עטיאש, Amsterdami in fol. anno CIↃ IↃC LXX prodiit, munita diplomate Ordinum Hollandiæ; quorum insignia etiam majori ductu præfixa operi imago præfert. Ejus aliquot & verborum & rerum specimina si desideras, Gen. I, 20. habet: Die Wasser sollen würmen würmmich lebendiche sehlen. cap. II, 4. Dieß seinen die gebuhrt von dem Himmel und der Erden. cap. VI, 3. Mein gemüht soll nit (mit mir) kriegen zu ewigkeit von wegen dem Menschen, cap. XLIX, 10. Die Gewalt soll nit werden abgenommen von (יהודה) und ein Schreiber von zwischen seinen Füßen / ewig / wen (משיח) wird kommen / und zu ihm werden sich die Völcker einsamlen. Ps. II, 7. Du bist mein Sün / ich habe dich (zu einem מלך gemachet / das is gleich es wan ich dich) heute gewonnen. Is. VII, 14. Nun die jungk Frau (dein Weib) wird tragen werden / und sie wird einen Sün gewinnen / und sie wird seinen

namen ruffen Immanuel. cap. LIII, 4. seqq. Fürwahr (ישראל) hat unser Kranckheit getragen / und unser Wehtag hat Er gelitten. Und mir haben ihn nit geacht. Er war geplagt und geschlagen von GOtt / und gepeiniget (dieweil er ihn feind hat) Aber er (ישראל) war verwundt von wegen unser mißethat / (er war) verstoßen von wegen unser sünde. Die straf war auf ihm (auff ישראל) des werten / daß wir solten friedn haben / und ümb viele seine beulen seinen mir geheilet geworden. (Den) mir sein alzumahlt es wie ein Schaf (sonder Hirten) verirret gewesen / ein jeglicher man hat sich gekehret zu seinen weg / und GOtt is von senetwegen / (von ישראל) worden bewilliget auf alle unsere sünde!

XXXII. Altera Bibliorum conversio Iudaica, Vritilsch. אור' ויבש, seu, ut in præfatione scribitur, פ"יבש itidē Amsterdami in fol. literis Hebraicis (Juden-Teutsch vulgo appellant) edita est anno clɔ lɔc LXXIX, cum diplomate Iohannis III, Poloniæ Regis. Cujus auctor licet styli elegantiam in præfatione jactet, ejusdem tamen commatis ipsius interpretatio est cum priori, sive res spectes ipsas, sive idioma. Sane Teutonicis auribus perquam ingratæ voces sunt, Obend / Margen / pro Abend / Morgen / Gen. I, & alias passim heic obviæ; item, Adam bekant / pro erkandt / Gen. IV, I. Meischter pro Meister / ibid. comm. 22. nec pro Germanis haberi possunt ista, v. g. Is. LIII, 9. Er hat sich begeben durch die Bösewicht seines grab / und durch die Reichen in vielerley tod / ümb willen daß er keine Falschigkeit gethan hat. & cap. LXIII, 15. Wo ist dein Neidung / und dein Stärcket / das gebrum deiner Gedärm? ut alia mittam hujus generis infinita. Neque contentus, prava

&

& insulsa verborum traductione textum Biblicum corrupisse, operosas præterea adversus Christianos disputationes in suo hoc opere auctor instituit. Ita cum locum illustrem Is. VII, 14. sic reddidisset: Nu jetzo diese junge Frau sie tragt / daß sie wird ein Sün gewinnen / daß sie (die Mutter) sein nahm Immanuel werd heissen ; finito capite, nostram de testimonio hoc Prophetico sententiam magno molimine impugnat, exorsus Thrasonice ; Dieweil etliche sich einbilden / daß sie eine grosse Schantz und Bollwerck kegen unser Jüdischen Glauben gebauet haben aus dem פסוק 14 15. dieses Capittels / zu schiessen gegen unser meinung mit großen Baußenwercken / und grosse umbstendigkeit der überlegung ; die übersiegung aber is alles fruchtlos: nit daß allein alles es vorhält / wird werden mit beweiß / auch ihre Vestung und Schantzbollwercken thun auffliegen / gleich eine Vestung die auffflieget durch 100000. tonnen Pulver. Nun will vorstellen ihre Vestung und Bollwercken / daß ein jedlicher mit augen seines Verstandes kan das werck ihrer Vestung verstehen. Quibus præmissis, Christianorum, imo τοῦ θεοπνεύστου Evangelistæ Matthæi, expositionem tanta impudentia aggreditur, ne ipsi quidem sanctissimo Redemptori nostro parcens, blasphemus impostor, ut graviter dolendum, talia non solum impune proponi, ubi Christiani rerum potiuntur, sed ipsorummet etiam Christianorum sumptibus in lucem mitti. Nam Biblia, de quibus agimus, Guilielmi Blaeu, Ex-Scabini Amstelodamensis, & Laurentii Baakii, J. U. L. impensis edita sunt.

Biblia Saxonica antiqua Lubec.

XXXIII. Tandem Saxoniæ etiam inferioris idiotismo sacra Biblia non semel prodierunt. Estque præce-

ceteris celebrata quæ cum Lyrani aliorumque glossis anno cIↄ CCCC XCIV Lubecæ sub hoc titulo vulgata translatio: **De Biblie mit vlitigher achtinge recht na deme Latine in Düdesch averghesettet/ mit vorlüchtinghe unde Glose des Hochghelerden Postillatoers Nicolai de Lyra/ unde anderer velen hilligen Doctoren.** E quibus glossis celebris præ cæteris illa, qua verba Gen. III, 16. **Under der macht des Mannes werstu wesende/ uñ he schall aver dy herschoppen;** hoc modo exponuntur: **dy vakene to pyneghende un to slaende.** Quæ interpretatio licet tamquam inepta, ridicula, planeq; absurda, doctorum pariter & indoctorum ore traduci vulgo soleat, ut per quam tyrannis marito in uxorem concedatur; forte tamen auctor nihil aliud sua illa glossa innuere voluit, quam quod in peccati pœnam mulieri heic denunciata viri dominatio, non quamcunque ejus auctoritatem & potestatem denotet (*neque enim & ante peccatum aliter factam fuisse decet credere mulierem, nisi ut vir ei dominaretur*: siquidem *est* ORDO NATURALIS *in hominibus, ut serviant feminæ viris*; dicente Augustino de Genesi ad lit. lib. XI, cap. XXXVII, & Quæstion. super Genesin quæst. CLIII. quo etiam Paulina spectat ab ipsa mulieris formatione petita disputatio 1 Cor. XI, 8. 9.) sed duram, onerosam, & molestam. Nempe cum ante lapsum nequaquam gravis uxori esset mariti auctoritas, quod & hic semper moderate tunc se gereret, & illa placide ac libens suo fungeretur officio, turbata post perditam Dei imaginem ἐυταξία ista & harmonia, mulier ob innatam animi vanitatem ac superbiam inique sæpius fert mariti imperium, minusque se obsequiosam præstat, imo aperte interdum refractariam;

Glossa Bibliorum Saxon. Lubec. ridicula vulgo credita.

uti maritus non raro nimia asperitate & iracundia potestatem suam reddit invisam: atque hinc rixæ nasci solent & contentiones, quæ in plagas & verbera frequenter desinunt. Quibus etiamsi Deus minime delectetur, prædixit interim, talem fore inposterum vitæ matrimonialis conditionem, voluitque gravius etiam maritale jugum, quippe quod ipsa prævaricando cervici suæ imposuit, æquo animo a muliebri sexu ferri. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

Colon. XXXIV. Præter Lubecensem hanc extat & alia Latinæ vulgatæ translatio Saxonica, unde supra cap. XIV, 22. 33. quædam produximus. Quam Coloniæ editam esse præfatio indicat. Tempus autem impressionis ibi non designatur, nec aliunde etiam, quod titulo carent quæ nobis quidem innotuerunt *tria editionis* hujus exemplaria, certo haberi potest. *Exhibet vero* isipse etiam codex textum Biblicum hinc inde glossatum, & ita quidem, ut glossæ, ex Nicolao de Lyra petitæ, non, ut fieri solet, seorsum Scripturæ verbis vel in margine vel circa finem adjectæ, sed continua serie illis permixtæ sint, uncisque dumtaxat & asteriscis ab iisdem distinctæ. Auctor nomen suum reticet. Quisquis autem ille, virum sane probum & pium fuisse, tum ex aliis indiciis, tum inde licet colligere, quod ad sedulã Scripturarum lectionem doctos pariter & indoctos, clericos & laicos, tam serio fideliterque hortatur: *multum* scilicet diversus ab Hieronymo Emsero; qui cum & ipse N. T. Germanice convertisset, de quo supra num. XVII, seqq. in epiloge suæ illius interpretationis a studio Scripturæ, quam solis eruditis demandatam ait, laicos diserte avocat. So bekommere sich nu/ inquiens,

ens, *ein itzlicher Ley (der meinem radt volgen will) mehr umb eyn gut Gottselig leben / dann umb die Schrifft/(die alleyn den Gelarten befolhen ist)* facrique sui laboris rationem & scopum ita proponit: *Een Leyffhebber aller Mynschen salycheit / de nicht anghesien en hevet off der Mynschen tüttelyck gut / effte erdeschen loen / ever allene beweghet is dorch Cristelycke leyffde ende guedertierenheyt/unde van sulkyghen ynnyghen ghueden herten daerto beweget unde geheden; desse hevet de overfettinghe der Bibelen uth deme Latine to Duytschen / de welcke vor mannyghen jaren geschiet unde ghemaket is/unde in velen geschreven boken by vele devoten mynschen ock in Cloesteren unde in Conventen ghewesen is/unde langhe voer desser tiit unn in overlant un in summygen steden beneden ghedrucket/unde ghevoert in mannyghen landen/unde verkofft is/ met sonder grotten vlit/kost/unde arbeit/myt hülpe unde raede veler hoghgeleerden doen verbeteren unde verclaren / unde vort mit sware kost gedrucket in der lavelycker stat Coelne.* Ex quibus & hoc apparet, non tam novam versionem exhibere Coloniensia hæc Biblia, quam versionis cujusdam Germanicæ jam antea publicatæ textum recognitum & emendatum. Quam quidem vetustissimam fuisse oportet. Codicem enim, de quo nunc agimus, Coloniensem Lubecensi antiquiorem esse, hinc conjicio, quod glossarum Lyrani, quibus lucem obscurioribus locis afferre conatus est, ita in præfatione meminit editor, ut facile appareat, primum fuisse ipsum, qui Germanice quidem hoc modo textum Biblicum illustrare fategerit: quod verum non esset, si jam ante Biblia extitissent Lubecensia, ut quæ & has & aliorum glossas Saxonice exhibent. Ac video

ſane a viris doctis Bibliorum Saxonicorum mentionem fieri, quæ ſeculo XIV e Latino converſa ſint.

Alia ex Lutheri verſione expreſſa.

XXXV. Porro Germanica etiam Lutheri verſio idiomate Saxonico expreſſa eſt, ſic ut initio quidem ſolum N. T. poſt integrum corpus Biblicum hac ratione prodierit. In qua traductione cum non parum deſideraret David Wolderus, Petrinæ Eccleſiæ apud Hamburgenſes Antiſtes, recognitam illam paſſimque emendatam anno cIↄ Iↄ XCVI publicavit. De quo ſuo conſilio & labore ſic auctor in præfatione ſcribit: Dewyle ick dyße negenteyn Jahr (de ick dörch Gades gnade allhyr tho Hamborg/in mynem vaderlande/ mynen leven Landeslüden dat hyllige Godtlike wort in erer unde myner Modersprake / na mynem geringen vermögen / hebbe geprediget /) an unser Saſſiſchen Bibel / nicht ane ſüchtende unde ſmerten/gemercket hebbe/wo deſülve an ſeer vehlen örden / thom dele mit D. Luthers Bibel nicht avereinſtemmet/ thom dele ock/ jegen der rechten Saſſiſchen ſprake ſyne natur unde art / thomalen nödtlick unde ſeltzam in aller vornäfftigen Saſſen ohren klinget : Unde aver ſt/ na ſorchfoldiger beweginge unde averlegginge / befunden / wor ſick ſülck ein mangel meiſt hebbe her vororſaket: Ock geſehē/ wo deſülve köde affgeſchaffet/unde de Bibel weddernūme tho rechte gebrocht werden: Efft ick wol van dem einen Jahre thom anderen hebbe gewünſchet unde gehapet / ydt müchte noch ſüſs yemandt manck den Saſſen ſülck ein nödich arbeidt up ſick nehmen: Jodoch/ dewyle ſick noch ſüſslange her des nemandt hefft recht underſtahn willen / unangeſehen / dat vehle daraver ſo wol alſe ich geklaget / Hebbe ick gedacht/dat ick nicht allene yegen myne beſtellinge nicht dede / ſünder vehle meer / wat mynes amptes is / vorrichtede /

ſo

so ick my umme de Sassische Bibel worde annehmen / unde my darhen bearbeydē / dat se van eren mangelen unde feylen müchte gesüvert / unde wedderümme tho rechte gebrocht werden. — Wat ick nu daranne dörch Gades gnedige hülpe mit grotem arbeyde mach præsteret unde uthgerichtet hebben / dat wil ick mynen leven Sassen in einem sünderliken bokeschen hyrby tho erkennende geven. In der körte averst darvan tho redende / so hebbe ick in alle mynem arbeyde / dat ick disser Bibel halven gehadt / darhenne gesehen / dat se Doctor Luthers Bibel nicht allene heten / sünder ock syn unde blyven mochte: unde / dat wy de rechte purreyne Sassische sprake / mit der Mißnischen / edder Oldtfrenckischen unde Vlerwendischen sprake unvormenget / darinne müchten hebben unde lesen.

CAPUT XXVI.
DE
VERSIONE BELGICA.

I.

TRanslationes Bibliorum Belgicæ prodierunt diversæ. Et vulgaris quidem e Lutheri interpretatione ab auctoribus Reformatis expressa est: sed quam Philippus Marnixius & Sixtinus Amama perstrinxerunt. Præter eam habetur alia, quam Lutheri doctrinæ addicti Amstelodamenses adornarunt, rursumque alia Nicolai Bieskens, qua & Anabaptistæ utuntur. Novum insuper Testamentum Belgice extat Utenhovii & Fauckelii. Psalterium eodem reddidit idiomate Marnixius. *Versiones Belgicæ variæ.*

II. His vero minime acquiescentes congregati anno cIↃ IↃc XIIX in Synodo Nationali Dordracena Re- *Translatio ex decreto Synodi Dordracenæ.*

formati Theologi, sessione VI & septem proxime sequentibus de nova eaq; accuratiori Translatione Bibliorum ex linguis originalibus in Belgicam instituenda deliberarunt, ac Interpretes pariter & Recognitores elegerunt, quorum cura ac labore opus illud adornari deberet, nominetenus expressos sessione XIII. Proditque illa, a viris linguarum peritia apprime valentibus collatis per multos annos operis elaborata, plurimisque hinc aliis jure præferenda versio, cum doctissimis Notationibus, anno tandem CIϽ IϽC XXXVII. De cujus origine, progressu, & successu, legi possunt, præter dicta jam Acta Synodalia, Sixt. Amama, libro **Bijbliſche Conferentien** inscripto, Leusdenius in *Philologo* Ebr. mixto, vita item Walæi & Widmarii, quæque ipsi operi præfigitur Ordinum Belg. præfatio. *ubi etiam* de auctoritate translationis hujus *sequentia habentur*: *Soo is't, dat vvy, na rijpe deliberatie, ende hierop gehadt hebbende 't advijs van den Rade van State deser Vereenighde Nederlandē, de meergemelte Overſettinge hebben geapprobeert ende geauthoriſeert; gelijck vvy deſelve authoriſeeren ende approbeeren mitsdeſen: ten eynde, dat deſelve in de Kercken ende publijcke Scholen der Vereenighde Nederlanden, ende andere Rijcken ende Lantſchappen onder onſe gehoorſaemheyt reſorteerende, moge vvorden aengenomen ende gebruyckt, ende dat dienvolgens alle Kerckelicke Vergaderingen, Kerkendienaren, Profeſſoren ende Doctoren in de Heylige Theologie, Regenten van Collegien, ende voorts allen ende een yegelicken, die dit eenighſins aengaen mach, in't exerceren van der ſelver dienſten ende bedieningen haer daerna mogen reguleren, omme alſoo de eenigheyt, vvelſtant, ende dienſt*

der

der gemelte Nederlandtsche Gereformeerde Kercken ende Scholen meer ende meer te vorderen.

CAPUT XXVII.
DE
VERSIONE BRITANNICA ET ANGLO - SAXONICA.

I.

SCripturam sacram jam venerabilis Bedæ temporibus in linguis Britannicarum insularum vernaculis extitisse, ejus testimonio probari solet, quod sub initiũ Historiæ Ecclesiasticæ habetur: ubi videlicet, de statu Britanniæ agens qualis tunc erat, *Hæc*, ait, *in præsenti juxta numerum librorum quibus Lex divina scripta est, quinque gentium linguis unam eandemque summæ veritatis & veræ sublimitatis scientiam scrutatur & confitetur; Anglorum videlicet, Britonum, Scotorum, Pictorum, & Latinorum; quæ meditatione Scripturarum ceteris omnibus est facta communis.* Vide quæ ad locum hunc monemus Tract. de lectione Scripturæ in linguis vulgo cognitis num. LXXXI. Imo quod Beda ipsemet Evangelium S. Johannis in Anglicum idioma transfuderit, testatur, in epistola de ipsius obitu, discipulus ejus Cuthbertus, apud Bedæ Biographum (de quo vide Historiam Bedæ Ecclesiasticam edit. Whelochianæ) Guilielmus item Somerset Malmesburiensis de gestis rerum Angliæ lib. I, cap. III, & Joannes Trevisanus de Memorabilibus suorum temporum lib. V, cap. XXIV.

Scriptura jam Bedæ ætate Britannica lingua extitisse creditur.

Beda ipse Evangelium Ioannis Anglice vertit.

II. Idem quoque Trevisanus libro VI, cap. I, auspiciis Alfredi (qui & Aluredus, ac Ælfredus) Anglo-Sa-

Psalterium Angl. Alfredi & aliorũ.

Saxonum Regis, Psalterium in linguam vernaculam traductum esse scribit. Quod ipsum tradit etiam Polydorus Virgilius Anglic. Histor. lib. v; *Aluredus*, inquiens, *Psalmos David ex Latino in patrium sermonem vertit, quo a cunctis facile intelligerentur.* Imo plures habuisse Interpretes Saxonicos Psalmorum librum, vel ex variantibus quatuor codicum lectionibus, quas editi a Jo. Spelmanno Psalterii interlineati margo exhibet, constare potest. Quibus accedit & alius codex Ms. Junii Latino-Saxonicus, a ceteris omnibus in multis dissentiens, teste Thoma Mareschallo, Anglo, Observationibus in versionem Evangeliorum Anglo-Saxonicam, sub initium, §. 2. ubi etiam Aldhelmum, sive Adelmum, Episcopum Shirburnensem, circa annum Iↄ ccv Psalmos Saxonice transtulisse memorat.

Pentateuchus, Jos. Judic. Judith. Macc. Anglo-Sax. ab Ælfrico versi.

III. Porro Ælfricum Abbatem Pentateuchum, libb. Josuæ, Judicum, & alios, quin & Apocryphos Judithæ ac Maccabæorum, in suæ ætatis idioma Anglo-Saxonicum transfudisse, ex ejusdem de Veteri & Novo Testamento tractatibus Saxonicis obvium est. Ab Egberto item, Episcopo Lindisfarnensi, plures libros Biblicos Anglice conversos esse ante annum Iↄ ccxxI, Mareschallus loco ante citato testatur. Imo Aluredum, acerrimi ingenii Principem, totum Novum & Vetus Testamentum in eulogiam Anglicæ gentis transmutavisse, ex historia Eliensi præfatio in Asseri historiam de Ælfredi rebus gestis memorat. Quibus adde, quod sub nobilissima illa cœnobii Streneshalchani Abbatissa Hilda, quæ anno IↄcLXXX obiit, monachus quidam, Cædmon dictus, quem afflatu divino Poëtam factum credebant, quidquid ex divinis literis per Interpre-

Plures item libri Biblici Anglice translati ab Egberto.

Tota Scriptura Angl. Aluredi.

Cadmon Paraphrastes Scripturæ Angl.

pretêt disceret, lingua vernacula Anglica paulo post Poëtice expresserit. Nempe *canebat de creatione mundi, & origine humani generis, & tota Genesis historia; de egressu Israël ex Ægypto, & ingressu in terram repromissionis: de aliis plurimis sacræ Scripturæ historiis; de incarnatione Dominica, ac passione, & resurrectione, & ascensione in cælum; de adventu Spiritus sancti, & Apostolorum doctrina — multa carmina faciebat*; ut de ipso Beda scribit Eccles. Histor. lib. IV, cap. XXIV.

Evangelia Anglo-Saxonica.

IV. Extat præterea quatuor Evangeliorum interpretatio Anglo-Saxonica, anno CIↃ IↃ LXXI Londini typis primo publicata, & quidem opera Matthæi Parkeri, Archiepiscopi Cantuariensis, atque Johannis Foxi, notissimi illius Martyrologi Anglicani (uti ex hujus epistola dedicatoria ad Reg. Elisabetham, illius autem præfatione in Historiam Asseri Shyreburnensis patet) postmodum vero ex codicibus Mss. collatis emendatius, additisque observationibus, opera Thomæ Mareschalli, Angli, una cum Gothica translatione, de qua infra cap. XXIX, 6. seqq. Dordrechti anno CIↃ IↃC LXV in lucem emissa. Qui sub initium observationum §. 4. *De auctore hujus versionis*, ait, *itemque de codice, ad cujus fidem instituerunt editionem suam primi editores, nihil quicquam invenio. Porro desinet lector curiosus mirari, à me nihil hìc definiri de Translationis antiquitate, ubi resciverit, mé ex styli variationibus adductum esse ut credam, illud opus non unius fuisse manu elaboratum; quin etiam vel unum S. Matthæi Evangelium duos videri habuisse Interpretes. Illi autem, quibus cæcutire contingit in designandis priscorum monumentorum auctoribus, vacillare quoque solent in deter-*

 mi-

minanda eorum præcisa antiquitate. Satis interim vetustam quod esse oporteat traductionem hanc, ex iis quæ mox editor subjicit, abunde liquet.

Biblia Anglic. seculi 14. v. Ad recentiora tempora ut descendamus, qui jam supra aliquoties laudatus a nobis est, Johannem Trevisanum, sub Richardo II Rege, id est, seculo XIV, vernaculam Bibliorum versionem adornasse, testis est, præfatus in suum N. T. Gallicum, Michael de Marolles. Quodque circa idem tempus Johannes etiam Wicleff *tota Biblia transtulerit de Latino in Anglicum,* Johannes Hussus memorat in Replica contra Jo. Stokes, & Thomas Waldensis libro II, cap. VII. *part. 1. oper. f. 108.*

Translationes variæ Angl. seculi superioris. VI. Superiori seculo diversæ prodierunt, *tum* Pontificiorum, tum Reformatorum, Anglicanæ Scripturarum interpretationes: illæ quidem *ex Latino* Vulgatæ; istæ ex originali Hebræo *Græcoque textu* expressæ. Antiquissima est, at Pentateuchi dumtaxat & N. T. quæ sub Rege Henrico IIX Episcopi Coverdal. & Tyndali opera adornata. A qua non multum discrepat quam edidit Thomas Matthæus. Posthac novam emiserunt translationem Tunstal & Heat Episcopi. Vide Joannis Durelli librum quo Anglicam liturgiam adversus Presbyterianos defendit, & Rich. Simonii Histor. Crit. V. T. lib. III Append. pag. 142. seq.

Versio Angl. Genevensis. VII. Celebris porro est Genevensis, ab Anglis Reformatis sub persecutione Mariana exulibus per *M.* Converdalem, W. Wittinghamum, & A. Gilbium, curata, (dicta *Genevensis,* tum quod Genevæ agerent ejus auctores, tum quod ex interpretatione Gallica Genevensi sit expressa) quæque hanc excepit, Episcopalis, ut vocari solet, (the Bischops Bibel) Reginæ Elisabe-

thæ

thæ auspiciis a Roberto Parkero, Archiepiscopo Cantuariensi, aliorum doctorum virorum ope adjuto, publicata traductio.

IIX. Cum tamen neutra doctissimo magnæ Britanniæ Regi Jacobo per omnia satisfaceret, accuratiorem is conversionem per Londinenses & utriusque Academiæ Anglicanæ Theologos anno cIↄ Iↄc XI fieri curavit; ea tamen lege, *ut simpliciter nova versio non adornaretur, sed vetus & ab Ecclesia diu recepta* (Episcopalis nempe) *ab omnibus navis & vitiis purgaretur: idque hunc in finem, ne recederetur ab antiqua translatione, nisi originalis textus veritas vel emphasis postularet.* Vide Acta Synodi Dordracenæ sess. VII. ubi etiam, quo consilio quaque ratione versionis hujus negotium a Rege Jacobo institutum, qui modus in distribuendo opere observatus, quæque leges præterea aliæ Interpretibus præscriptæ fuerint, a Theologis qui e Britannia Nationali illi Concilio interfuere, explicatum legi potest. Regiam hanc versionem inter omnes Europeas translationes eminere ait Waltonus Appar. Bibl. prolegom. V, sub finem; inque ea *plurima occurrere magnæ eruditionis, peritiæque in linguis originariis, acuminis & judicii plus quam vulgaris, specimina*, Polus scribit præfatus in Synopsin Bibliorum Criticorum. Simonii de illa judicium & notata habes in hujus Historia Critica V. T. lib. II, cap. XXII. Utuntur hodie translatione ista in cultu publico Angli Episcopales, præter Psalterium, quod ex veteri sub Eduardo VI condita versione legunt. *Regia laudatā*

IX. Pontificii contra Anglici translatione utuntur Anglo-Rhemensi, sic dicta, quod ab Anglis, qui *Rhemensis.*

Rhemos in Galliam transfugerant, publicata est. Cujus auctores, Gulielmus Alanus, Anglus, postea Cardinalis, Gregorius Martinus, & Richardus Bristous, teste Possevino in Apparatu sacro, tit. *Biblia*, pag. 225. ubi etiam versioni huic subscripsisse annotat Petrum Remigium, Archidiaconum majorem, Metropolitanæ Rhemensis Ecclesiæ Generalem Vicarium, Hubertum Morum, ejusdem Ecclesiæ Decanum & Ecclesiasten, Academiæ item Rhemensis Theologum & Cancellarium, atque Gulielmum Balbum, Theologiæ Professorem, Collegii Rhemensis Archimagistrum.

Worthingtonii. X. Thomas præterea Worthingtonus, *Lancastrensis*, e Societate Iesuitica, qui & ipse Rhemis Theologiam aliquamdiu docuit, Duacensis insuper Collegii Præses, Protonotarius Apostolicus, *& Archipresbyteri* Angliæ Assistens, Vetus *Testamentum Anglice* reddidit, adjectis Annotationibus. Videatur Philippi Alegambe Bibliotheca scriptorum Soc. Jesu, pag. 439. & 483.

Biblia Wallica. XI. His tandem Biblia accedunt Wallica, seu Cambro-Britannica, Londini anno cIↄ Iↄ LXXXIIX & cIↄ Iↄc XX impressa (quas editiones in Bibliotheca Lambethana extare, Guil. Crovvæus, auctor Anglicus, in suo Elencho scriptorum in S. Scripturam pag. 25. testatur).
Hybernica. item Hybernica translatio Testamenti Veteris Wilhelmi Bedvvel, Anglokilmoriæ in Hybernia Episcopi, & Novi, quam Wilhelmus Usserius, Dublicensis Eques auratus, per virum quendam doctum procuravit.

CAPUT XXIIX.
DE VERSIONE DANICA.

I.

DAnica lingua omnium primo editum est Lipsiæ (Libs in lante Miβen) anno cIↃ IↃ XXIV, Novum Testamentum, auctore Iohane Michaëlis, Malmogiensi, ex vulgata Latina, incompto, quique barbarus Danis habetur. Idem cultius aliquot post annis prodiit Antvverpiæ, jussu Christiani II, jam regno pulsi, auctore vero, ut quidem Thomas Bangius tradit Cœli Orientis pag. 207. Christierno Petri, Canonico Lundinensi, Regis exulis comite. Quam translationem alia excepit adhuc accuratior, Wittebergæ anno cIↃ IↃ LIIX impressa. *N. T. Danicū Michaelis.* *Aliæ ejusdem Versiones.*

II. Porro ex V. T. libris Psalterium Davidicum idiomate Danico auctore jam antea laudato Christierno s. Christiano Petri Antvverpiæ editum est anno cIↃ IↃ XXIIX. quo ipso etiam tempore alia eorundem Psalmorum interpretatio Francisci Wormordi, Carmelitæ, Rostochii in monasterio Michaelitano est excusa. *Psalterium Danicum Petri.* *Wormordi.*

III. Tandem Pentateuchum quoque, seu quinque libros Mosis, in Danicum traduxit sermonem Iohannes Tausanus, primus in Dania doctrinæ a Luthero repurgatæ Præco. Quod opus impressum Magdæburgi anno cIↃ IↃ XXXVII. Et hucusque de partibus Scripturæ. *Pentateuchg Dan. Tausani.*

IV. Biblia universa Danice primus edi curavit, hortatu Iohannis Bugenhagii Pomerani, (ex cujus consilio res per regnum suum Ecclesiasticas secundum Lu- *Biblia Dan. Christ. III.*

theri doctrinam constituebat) Christianus III; idque ad ductum Germanicæ Lutheri translationis.

Frider. 2. v. Sequuta sunt quæ Biblia Friderici II vocantur, quippe illo imperante publicata, ex Lutheri versione & ipsa expressa quidem, sed, archaismis prioris editionis evitatis, stylo sui temporis adornata.

Resenii, vi. Porro sub hujus seculi initium alia denuo Biblia vulgavit Johann. Paul. Resenius, Selandiæ Episcopus: quæ ut proxime ad fontes accedunt, ita *cultum* & nitorem dictionis parum curant, atque Hebraismorum retinendorum studio valde reddita sunt obscura, sic ut sermo quo utuntur, maxime in libris *dogmaticis*, Danicis auribus fere peregrinus sit.

Christ. 4. vii. Huic proinde malo ut medela afferretur, anno cIↃ IↃcxxxiii, jussu Christiani iv, *stylo Danico* omnium purissimo, &, quantum *translationis* ratio permittit, elegantissimo, Biblia prodierunt, cetera pene eadem quæ Friderici ii; nisi quod commatibus seu versiculis distincta sunt, & loca, ubi Friderici Biblia a fontibus digrediuntur longius, aliter heic reddita.

Svaningii, iix. Cum autem nec illa editio Johanni Svaningio satisfaceret, Theologo Hafniensi, Daniæque tandem Archiepiscopo, aliud is opus Biblicum adornavit, quod ad textum attinet, Reseniano per omnia fere respondens, nonnullis dumtaxat locis aliquantum mutatis, nitoremque pariter & elegantiam sermonis *Danici* respuens, æque item, propter Hebraismorum studium, obscuritate laborans. In hoc autem discrimen est, quod Svaningiana editio loca in margine parallela, Notasque additas habet doctissimas, & quæ uno sæpe verbo magnas difficultates tollunt. Vitiis interim

textus

textus ipse passim laborat. Nunc enim aliquid desideratur ibi, ut Levit. XXVII comma 6. & 7. Ps. XIIX verba nonnulla comm. 2. Ps. LXXV aliqua ex comm. 5. Ps. CXIX comma 48. Prov. XXX nonnulla comm. 4. Eccles. IIX quædam comm. 2. Dan. VI nonnulla comm. 8. nunc e contrario aliquid redundat, ut Job. II, 3. Ps. CXIX, 47. nunc ordo verborum sine causa est inversus, ut Ps. CXI, 7. 8. Mittimus alia.

IX. Hi vero similesve nævi haud dubie sublati fuissent, si continuatus esset labor, quem jussu & auctoritate Friderici III, glor. mem. studio scrutinioque Biblico addictissimi Regis, condendis novæ Bibliorum translationi pariter & commentariis impendere jam cœperant Theologi Hafnienses. Verum ubi vix una plagula Veteris Testamenti, & itidem una Testamenti Novi, esset impressa, mors optimi Regis interveniens sanctum illud & laudabile propositum turbavit.

Frid. 3. de nova Bibl. editione consilium.

CAPUT XXIX.

DE

VERSIONE SVECICA, FINNICA, LAPPICA, ISLANDICA, GOTHICA.

I.

DE Svecicæ Bibliorum translationis auctore variant scriptores. Nonnulli enim Laurentio illam, alii Olao Petri tribuunt. De quibus Lutheri in Academia Witteberg. discipulis David Chytræus, Saxoniæ libro XIII, *Ecclesias*, inquit, *regni Sveciæ, doctrinæ puritate, disciplinæ sanctitate, rituum suavitate, populi in ornando Ministerio frequentia & reverentia florentes, amplius triginta annis, usque ad Regis Erici tempora, duo hi*

Svecicam Bibliorum versionem Olao Petri minus recte tribuit Chytræus.

hi fratres, Orebroa in Nericia nati, conjunctis animis & consiliis, feliciter gubernarunt: moxque de Olao refert, (quem Holmiæ Episcopum vocat, cum Pastor ejus loci fuerit) quod *inter ceteros pietatis præclara labores, Biblia sacra primus in Svecicum sermonem transferri, & typis stanneis Holmiæ exprimi, ac in omnia regni templa distribui curarit.* Chytræi narrationem recentiores aliqui heic sequuntur; ut Jo. Lætus Histor. univ. cap. XXXI, sect. II, art. II, J. H. Hottingerus Bibliothecæ Theol. lib. I, cap. III. quibus tamen contradicit Johannes Micrælius Syntagm. Histor. Eccles. lib. III, sect. II, 48. Laurentio Svecicam versionem adscribens.

Primus Svecica translationi manum admovit Laurentius Andreæ.

II. At quomodo ista se habeant, nemo rectius nos docuerit quam Joannes Baazius, gente Svecus, scriptorque rerum patriæ Ecclesiasticarum accuratissimus. Is vero in suo Inventario Ecclesiæ Sveo-Gothorum, ut vocat, opere speciali S. R. M. Svec. jussu edito, libro II, cap. III, de facta per Gustavum Erici Ecclesiastica reformatione agens, *Biblia sacra*, scribit inter cetera, *in Sveticum idioma translata voluit Rex pius inter patriotas esse distribuenda. Translationem horum, exemplo & imitatione Lutheri, incepit Mag. Laurentius Andreæ, tunc Presbyter Stregnensis, facto initio a Novo Testamento.* Quem Laurentium, post Archidiaconum Upsaliensem, quanti æstimaverit Gustavus, hinc licet colligere, quod eodem loco scribit Baazius: *Voluit pius Rex, ut vir doctus & pius M. Laurentius Andreæ suus fieret Cancellarius.* Porro idem auctor, ejusdem libri capite XXIII, agens de Laurentio Petri Nericio, Archiepiscopo Upsaliensi, hujusque in munere administrando dexteritate & solertia, *Translationem Bibliorum*, ait, *in ma-*

Laurentii vero Petri cura absolutum est hoc negotium.

ter-

ternam linguam procuravit perficiendam, aliaque scripta utilia Svetico idiomate in usum simpliciorum Prædicatorum edidit. & postea: *Huic Archiepiscopo, fratri suo, contulit in hoc genere fidelem operam M. Olaus Petri, Pastor Holmensis.* Quæ facile persuadeant, Archiep. Laurentium, uti in aliis, sic quoque in sacris Bibliis traducendis συνεργὸν habuisse fratrem Olaum. quem doctrina non vulgari conspicuum fuisse, & editi ab ipso libri varii, & disputatio testis est, quam cum D. Petro Galle, Theologo Upsaliæ Pontificio, anno clɔ Iɔ xxiv instituit. Vide Baazium lib. II, cap. IV.

III. Idem porro Baazius, quæ gloriosissimi Regis Gustavi Adolphi circa Svecicum Scripturæ Codicem fuerit cura, his verbis narrat libro VI, cap. XIII: *Celsissimum specimen pietatis declaravit electus Rex Sveciæ Gustavus Adolfus, procurando impressionem Bibliorum Sveticorum, ultra 70 annos in patria omissam. Quæ enim exemplaria tunc erant publicata, partim male asservata, tineis ac vetustate perierant, partim alicubi servata, aliis non sufficerent. Quare denuo recudenda esse Biblia Svetica ordinavit, dato quibusdam doctis Theologis stipendio, qui summaria capitum, & notas orthodoxas adderent. Voluerunt autem hiipsi retinere antiquam versionem Bibliorum, ex B. Lutheri versione Germanica plerumque desumptam, addito huic exemplari copiosissimo indice. In hujus operis publicatione quantas fecit Rex Gustavus Adolfus impensas sumtusque necessarios, res ipsa loquitur. Nam præter numeratum stipendium dictis Theologis, dedit etiam pecuniam non exiguam sculptoribus laminarum ænearum, ad ornatum operis & historiarum Biblicarum artificiose dispositarum, delineationem* *Gustavi Adolphi R. cura circa Biblia Svecica.*

terræ promissæ inter Israelitas distributa, item Tabernaculi, & Sanctuarii, cum figura vasorum sacrorum, à Mose & Salomone factorum: sicut & templi Salomonis egregiam formam juxta exemplar. Ben. Ar. Montani procuravit Rex imprimendam, datis toti huic operi sumptibus liberalibus, ad perfectionem illius necessariis. Huic labori ea benedictio divina adfuit, ut totum Vetus Testam. videret Rex publicatum ante suam coronationem, anno 1617. Postea prodiit ex eadem Typographia Holmiensi Novum Testamentum Bibliorum, summariis capitum & notis marginalibus, sicut prius, excusum. Exemplaria Bibliorum bene multa primo videbantur excusa, tamen intra paucos annos ita erant distracta, ne unum extaret venale. Quare Typographus Lubecensis, suis rebus prospiciens, hæc Biblia propriis sumtibus in 4to impressit. Deinde Typographus Lugdunensis Batavus quæsivit privilegium imprimendi Biblia Svetica in forma minori, omissis summariis & notis. Quo dato privilegio ab El. Regina Svec. post mortem luctuosam pientissimi Regis Gustavi Adolfi, ita usus est Typographus Lugdunensis, ut bis emitteret in forma minori nostra Biblia. Hodie in Svecia elegantissime recudi vernacula Biblia, ab amicis accepi.

Versio Finnica.

IV. In Finnicam seu Finnonicam linguam primus Novum Testamentum traduxit Michael Agricola, Theologus Aboënsis. Aliam vero postea totius Scripturæ versionem idiomate hoc adornavit Eschillus Petræus, Aboensis & ipse Theologus atque Episcopus, quæ Holmiæ Svecorum prodiit anno cIↃ IↃc XLII, quatuor Professorum Academiæ Aboensis præfatione munita. Exhibetque editio hæc præter textum summa-

ria

ria etiam & glossas quorumvis capitum, Indicem item totius Scripturæ locupletissimum.

v. Sed & Lappico extant idiomate Psalterium, Proverbia, Ecclesiastes, Siracides, Evangelia ac Epistolæ Dominicales. Quæ omnia, una cum libro precum & hymnorum, nec non Passionis Dominicæ & Excidii Jerosolymitani historia, sub titulo Manualis Lapponici Holmiæ anno clↄ Iↄc xLIIX Interpres Johannes J. Tornæus, Bothniensis, publicavit. *Lappica.*

vi. Islandico præterea sermone scriptores Biblicos loqui fecit Gudbrandus Thorlacius, Holensis sive Holumensis in Islandia Boreali Episcopus: qui primus typographeum invehendum, plurimosque libros Theologicos vernaculo idiomate excudendos eo loco curavit; & hos inter ipsum etiam secundum Lutheri versionem adornatum Codicem Biblicum, anno clↄ Iↄ LXXXIV vulgatum. Sub cujus finem Interpres, in admonitione ad lectorem, veniam dari sibi petit, si quid minus recte transtulerit, Deum testatus, ejusmodi quid si reperiatur, ex nullo suo consilio, sed mera ex ignorantia esse profectum. *Islandica Thorlacii.*

vii. Præter primam istam editionem alia anno clↄ Iↄc XLIV prodiit, cura Thorlaci Sculonii (qui & ipse Holensis fuisse videtur Episcopus, quod res tanti negotii per solos Episcopos in Islandia gerantur) a priori non in eo solum diversa, quod versibus distinguitur, quibus caret antiqua editio, sed & qua interpretationem ipsam in aliquibus ab eadem discrepans. Videri potest de Islandicis his Bibliis (quæ olim in Bibliotheca Academica Hafniensi evolvi, chartæ speciosæ typis sat elegantibus, quantum recordor, impressa) *Sculonii.*

Thomæ Bangii Cœlum Orientis pag. 150. Arngrimi Jonæ descriptio Islandiæ pag. 155. & Theodori *Thorlacii* dissertatio de Islandia sect. II, th. VI, I. qui duo posteriores, linguam Islandicam esse veterem Gothicam, dictis locis asseverant.

Gothica Ulphilæ. IIX. Cujus Gothicæ linguæ dum fit mentio, non possumus intactam heic relinquere antiquissimam illam translationem Biblicam, quam idiomate isto adornavit Ulphilas, (etiam Ulphillas, Urphilas, Wulfilas, Galphilas, Gilfulas, aliis dictus) Gothorum seculo quarto Episcopus; uti testes sunt luculenti, Socrates Histor. Eccl. lib. IV, cap. XXXIII, & Sozomenus lib. VI, cap. XXXVII, præterque hos *Nicephorus* Histor. Eccl. lib. XI, cap. XLIIX, Isidorus Hispalensis in Chronico Gothorum, *Philostorgius* Historiæ Eccl. lib. II, cap. V. qui postremus ab *Urphila* (sic enim constanter illum vocat) Scripturam Gothicæ traductam ait, præter libros Regum, quos vertere noluerit, quod Gothos, studio præliandi flagrantes, freno potius ad cohibendum heic opus habere crederet, quam stimulo ad incitandum. Verba ejus: *καὶ πάντα ἀλλ' αὐτῶν (τῶν Γότθων) ἐπεμελεῖτο (ὁ 'Ουρφίλας) καὶ γραμμάτων αὐτοῖς οἰκείων εὑρετὴς καταστὰς, μετέφρασεν εἰς τὴν φωνὴν τὰς γραφὰς ἁπάσας, πλήνγε δὴ τῶν Βασιλειῶν, ἅτε τῶν μὲν πολέμων ἱστορίαν ἐχουσῶν, τοῦ δὲ ἔθνους ὄντος φιλοπολέμου, καὶ δεομένου μᾶλλον χαλινοῦ τῆς ἐπὶ τὰς μάχας ὁρμῆς, ἀλλ' οὐ τοῦ πρὸς ταῦτα παροξύνοντος. Ut in ceteris curam illorum* (Gothorum) *habuit* Urphilas, *ita propriarum quoque literarum inventor extitit, & in linguam eorum Scripturas vertit, exceptis libris Regum; eo quod hi bellorum historiam contineant, gens vero* illa

belli amans esset, frenoque magis eorum ad pugnas impetus indigeret quam incentivo. Adde martyrii Nicetæ scriptorem, apud Sim. Metaphrasten d. xv Sept. Sixtumque Senensem Biblioth. S. lib. iv. qui e Græco Ulphilanam translationē promanasse memorant. idq; de Novo Testamento verum esse, vel hinc patet, quod Oratio Dominica Gothica, Matth. vi, 13. doxologia illa concluditur, quam non agnoscit editio vulgata Latina. Confer paulo post num. 11. & supra cap. vii, 28. Tandem refer huc, quæ habet seculi noni scriptor, Walefridus Strabo, de rebus Eccles. cap. vii; ubi de Gothis agens, *Studiosi illius gentis*, ait, *divinos libros in sua locutionis proprietatem transtulerunt: quorum adhuc monumenta apud nonnullos habentur.*

IX. Imo ad ipsa nostra tempora isthæc monumenta pervenerunt. Gothi videlicet, *qui, relicta Scandinavia, in Germaniam primum effusi, postea loca circa Maotidem paludem & ostia Istri occuparunt, & adhuc Ovidio exule Tomos & loca sinistra ripa vicina obtinebant; ii temporibus Valentis Aug. Wulfila Episcopo autore, Christiani quidem facti sunt, sed Arriani: atque adeo etiamnum in iisdem regionibus degunt sub Pracopensi Tartarorum Dynasta, & utrumq; Testamentum, iisdem literis, quas excogitavit VVulfila, conscriptum, & eadem lingua, qua tempore Ovidii utebantur, interpretatum legunt. Sermo enim eorum hodiernus majori ex parte Teutonicus est; ut Josaphat Barbarus, civis Venetus, scripserit, puerum Teutonem, quem secum habebat, ab ipsis, & ipsos ab eo vicissim intellectos fuisse, ac verba inter se, haud aliter ac si eadem lingua fuisset, ultro citroque habuisse;* ait Josephus Scaliger, Canonum Isagog. libro iii, pag. 347.

Gothica Scriptura translatio hodieque extat.

 x. Te-

Codex Gothicus N. T. universi.

x. Testis porro est, apud Sibrandum Lubbertum lib. III de Principio Christianorum dogmatum cap. VII, Philippus Marnixius, Dominus Sanct-Aldegundius, Codicem Gothicum universi Novi Testamenti, aureis argenteisque characteribus in papyro exaratum, in bibliotheca Hermanni Comitis Newenarii extitisse. Cujusmodi Testamentum ad suas etiam manus pervenisse Matalius Metellus Sequanus memorat apud Suffridum Petrum præfat. in decades XVI de Scriptoribus & illustribus viris Frisiæ.

Codex Evangeliorum argenteus.

XI. Præ ceteris vero celebris est quatuor Evangeliorum Codex Gothicus, qui Argenteus recepto titulo appellatur. Illum *ante mille plus minus annos in pergameno aureis & argenteis literis perscriptum* esse, Arnoldus Mercator apud Ianum Gruterum *Inscriptionum antiquarum* pag. CXLVI testatur; estque eodem usus auctor anonymus commentarioli in literas Gothicas a Bonaventura Vulcanio publicatus, quem Iacobus Usserius, epistola ad Fr. Iunium, (in hujus Gothicum Glossarium p. 14. relata) suspicatur esse Antonium Perrenotum, Card. Grandvellani Bibliothecarium, qui orationem Dominicam & alias quasdam particulas ex jamjam dicto Gothico codice descripsit, a Io. Goropio Becano Originum Antverp. libro VII, pag. 739. seqq. insertas. Cumq; ad Werdeni sive Werdinensis in regione Bergensi quatuor fere a Colonia milliaribus distantis monasterii bibliothecam olim argenteus hic codex pertineret, postea, auctore Illustrissimo Comite, Dn. Magno Gabr. de la Gardie, meo & omnium quibus bonarum literarum studia curæ sunt Patrono incomparabili, in Sueciam inde

trans-

translatus, interque potissima Regiæ Bibliothecæ decora fuit repositus. Cujus etiam maximi Herois factum est auspiciis, ut opera Francisci Iunii typis publice excusa sit Dordrechti anno CIƆ IƆ C LXV Gothica hæc Evangeliorum versio, una cum observationibus Thomæ Mareschalli, Angli, qui de eadem ibi, fere sub initium, §. 4. *Mihi certe*, inquit, *stupenda Argentei codicis vetustas argumentum est non contemnendum, hanc versionem non aliam esse, quam Episcopi Gothorum illam antiquissimam. ut nihil dicam de quibusdam remotioris antiquitatis in ipso opere vestigiis, quæ nunc sigillatim prosequi nec vacat nec expedit.* moxque ad supra jam laudatam Usserii epistolam provocat, ubi vir doctissimus, *Notandum*, ait, *Orationem Dominicam Gothicam doxologia illa concludi, quæ in vetere Latina Bibliorum editione desideratur. ut ex Græco fonte Gothicam istam Novi Testamenti versionem derivatam esse appareat, & ex ipsius Wulfilæ primæva traductione descriptam.* Rediit post in Sueciam, quingentis Imperialibus redemptus ab Illustr. de la Gardie, Codex Argenteus, donatusq; ab eodem est Academiæ Upsaliensi, ubi hodie etiamnum custoditur. Præter Iunianam alia Holmiæ Codicis Argentei, cura Dn. Sternhelmii, viri in Gothicis antiquitatibus versatissimi, editio prodiit.

CAPUT XXX.
DE
VERSIONE POLONICA, LITUANICA, LIVONICA, RUSSICA.

I.

IN linguam Polonicam sacrum Codicem prima transferre *Biblia Polonica Hedvvigis Reg.*

ferre curavit Regina Hedvvigis, Ludovici filia, uxor Iagellonis, Ducis Lithuaniæ, qui Christianismum amplexus præcipitante seculo XIV, Poloniæque potitus imperio, Vladislaus IV dictus est. Testis e MS. Iohannes Lasicius de gestis Franciæ libro I. qui sedulo vernaculam hanc Scripturam ab Hedvvige lectam fuisse ait, uti quoque ab altera post hujus obitum Iagellonis uxore Sophia. *Cujus exemplar*, inquit, *eleganter manu scriptum*, *vidi*.

Hieron. Leopolitani. II. Posthac, seculo superiori, *Hieronymus Leopolitanus, ex provincia Ruthenia, ordi. Minorum regularis observantia, Ecclesiastes & Lector metropolitana Ecclesia in urbe Cracovia, Polonici regni regia, — omnes Bibliorum lib. in Polonicam linguam convertit. Claruit sub Carolo V. August. anno Domini 1536.* Verba sunt Sixti Senensis, Bibliothecæ S. libro IV.

VVieci. III. Eodem seculo finiente aliam Bibliorum interpretationem edidit Jacobus Viecus, s. Wiecus, e Soc. Jesuitica. De qua hæc Possevinus in Apparatu S. pag. 225. *Biblia in linguam Polonicam sunt versa mandato Gregorii XIII. Pont. Max. atque in lucem edita concessu Clementis VIII. Pont. Max. & hac quidem recognita à nostris ejusdem gentis valde peritis atque Theologis. Qua versio perutilis & necessaria fuit ad extirpandos errores, qui ex falsa novorum Arianorum & aliorum hareticorum versione passim serpebant: cum in eam Catholicam versionem diligentissime insudasset Iacobus Viecus, Vangrovicensis Polonus, Theologus Societatis nostra.* Quæ repetit infra pag. 794. ubi de Vieco hoc agit. uti eadem fere habentur etiam in Bibliotheca scriptorum Soc. Iesu Ribadeneiro-Alegambiana pag. 215.

IV. Nempè prodierant jam anno clↃ IↃ LXIII Biblia Radzeviliana, notante Chytræo Saxoniæ lib. XV, pag. 393. cujus verba de Nicolao Radzevil, Duce Olicensi ac Niesvicensi, Palatino Vilnensi, loquentis: *Hic primus Vilnæ, negantibus ad congressus publicos templorum usum Sacrificulis, in aula sua, fano S. Iohannis opposita, conventus sacros fieri permisit; Biblia ex Ebraicis & Græcis fontibus in linguam Polonicam versa, primus Sarmatis dedit, in Interpretes ac Typographos circiter decem millibus aureorum impensis. Quod religiosum & pium illius studium conjux etiam Elisabetha Sidloviecia fideliter adjuvit.* Quæ repetit infra lib. XXI, pag. 558. habetque eadem fere Thuanus Historiæ suæ libro XXXIIX, ad ann. clↃ IↃ LXV. Ceterum qui fuerint Interpretes, quorum opera in translatione hac Radzevilus est usus, neuter eorum exprimit. *Radzevil.*

V. Andreas vero Wissovvatius, auctor Socinianus, in Narratione compendiosa, quomodo in Polonia a Trinitariis Reformatis separati sint Unitarii, Reformatorum quorundam opera in oppido Pinczovv, cum & Sociniani nonnulli ibi agerent, concinnatam illam esse tradit. Verba ejus sunt: *Qui à recepta de Trinitate opinione in Polonia dissidebant, nominabantur tum Pinczovii, ab oppido Pinczovv: in quo sub Nicolao Olesnicio, illustri Patrono ac Protectore, & Franciscus Stancarus Mantuanus (mota de Christo secundum humanam tantum naturam Mediatore controversia celebris) & Lismaninus, & Petrus Statorius Gallus, & Georgius Blandrata Italus Medicus, postquam Geneva secessit, & Joannes a Lasco Polonus, ex Anglia redux, cum aliis quibusdam morabantur. Ibidem à* *Radzevil. interpretationis Bibl. auctores.*

nonnullis Reformatis Bibliorum versio Polonica est conciunata, postea cura & sumptu Nicolai Radivilii, Ducis in Olika & Neswez, Palatini Vilnensis, in urbe Lithuaniæ Brestia, cujus is Præfectum agebat, typis expressa. Imo Andreas Wengerſcius, Slavoniæ Reformatæ lib. I, cap. XVI, Petrum Statorium, Simonem Zacium, Gregorium Orſacium, Andream Triceſium, Jacobum Lubelium ſeu Lublinum, Socinianos, verſioni illi operam impendiſſe ſcribit. Videatur etiam Bibliotheca Anti-Trinitariorum Sandiana pag. 47. 48.

Biblia Pol. Budnæi.

VI. Porro Simon Budnæus, anti-Trinitarius, adornavit *Biblia Veteris & Novi Testamenti Polonica, ad fontes Hebræos & Græcos examinata, excusa typis Zaslawii in Lithunia, in typographia Matthiæ Kaviezinii, Præfecti Niesvisensis, ejusdemque ac fratris ipsius sumtu publicata a. 1572.* ut legitur in citata Anti-Trin. Bibliotheca pag. 55. inque peculiari de Typographiis Unitariorum in Polonia & Lithuania relatione. Speciatim vero Novum Teſtamentum Polonice verterunt ex eodem cœtu Martinus Czechovicius, & Valentinus Smalcius. quorum illud anno CIↃ IↃ LXXVII, iſtud anno CIↃ IↃC XX, Racoviæ excuſum. Videatur iterum dicta Bibliotheca pag. 51. 104.

N. T. Polon. Czechovicii, & Smalcii.

Biblia Polon. Rabi.

VII. Reddidit tandem Polonice etiam Biblia Juſtus Rabus, Jeſuita Cracovienſis; in cujus laudes πλεῖστος fertur Philippus Alegambe, Bibliothec. ſcriptorum Soc. Jeſu pag. 293. Num vero ſuperiori, an noſtro hoc ſeculo opus illud primum prodierit, certo dicere non poſſumus. In utroque enim vixit auctor, ut qui, XLIII annis in Societate expletis, anno CIↃ IↃC XII obiit prope ſeptuagenarius.

IIX.

IIX. In Lithuanicam linguam ſacrum Codicem traductum eſſe a Samuele Boguslao Chylinski, Lithuano, qui anno cIↄ Iↄc LXIIX in Anglia obierit, Gvil. Crovvæus, Anglus, Elencho ſcriptorum in S. Scripturam, pag. 22. refert; addens vero, neſcire ſe, an verſio hæc fuerit edita. Joh. Micrælius, Syntagm. Hiſtor. Eccleſ. lib. III, ſect. II, quæſt. XLIIX, de Joh. Ungnadio agens, etiam Nicol. Radzevilum Biblia in Lithuanicam linguam transferri curaſſe ſcribit. Sed Lithuanicam translationem vocari ab eo heic exiſtimamus Polonicā in Lithuania excuſam, de qua ſupra num. IV, V. *Lithuanica Biblica Chylinskj.*

IX. Livoni vernaculo Scripturarum textu hucusque caruerunt: niſi quod Livonicæ translationis fragmentum quoddam Pſ. CXVII editum eſſe, Hottingerus in Bibliothecario, Bibliothecæ Theolog. lib. I, cap. III, pag. 144. annotat. Hodie autem Rigæ omni ſtudio enixeque id agit Regius Livoniæ Superintendens, Dn. Johannes Fiſcherus, vir Zelo domus Dei plenus, deque Eccleſia, præſertim illorum locorum, præclare meritus, amicus noſter plurimum honorandus, ut vernacula ex ipſis fontibus fideliter traducta Biblia Livonis tradantur. Quibus ſanctis laboribus largiter benedicat, & ad finem eos felicem perducat, beniġniſſimum Numen! Nos interim merito Livonos verbis nunc compellamus, quibus olim Suniam & Fretelam S. Hieronymus, epiſt. CXXXV: *Vere in vobis Apoſtolicus & Propheticus ſermo completus eſt: In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quis hoc crederet, ut barbara Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem; & dormitantibus, imo contendentibus, Græcis, ipſa Germania Spiritus ſancti* *Livonica Biblia.* *Pſ. 19, 5. Rom. 10, 18.*

Act.10,34.35. *eloquia scrutaretur? In veritate cognovi, quoniam non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi. Dudum callosa tenendo capulum manus, & digiti tractandis sagittis aptiores, ad stylum calamumque mollescunt, & bellicosa pectora vertuntur in mansuetudinem Christianam.*

Biblia Russica, X. Habent ad hoc Russi seu Moscovitæ Biblia vernacula, quæ & superiori seculo & nostro non adeo pridem tempore prodierunt. Vide Olearii Itinerarium Moscovitico-Persicum lib. III, cap. XXI, Mareschalli Observationes in Evangelia Gothica §. I. Simonii Historiam Criticam lib. II, cap. XVI, ejusdemque Disquisitiones Criticas cap. XXI. ubi ait: *Moscovitæ, Iberi, seu Georgiani, populi quoque qui Colchidis regiones incolunt, suas etiam habent contextus sacri versiones: & non ita pridem Biblia sermone & characteribus Moscoviticis edita sunt. Has autem omnes ex Græco derivatas fuisse, dubitari nequit; cum gentes illæ fidem Christianam ritusq; Ecclesiarum suarum a Græcis hauserint.*

Georgiane Colch.

CAPUT XXXI.

DE VERSIONE BOHEMICA, HUNGARICA, SLAVONICA.

I.

Biblia Bohem. IN Bohemicam linguam Scriptura S. translata est anno CIϽ IϽ LXXIIX, Interpretibus, Alberto Nicolai, Luca Helicæo, Iohanne Ænea, Georgio Vettero, Esaia Cœpolla, Johanne Ephraimo, Paulo Iessenio, Iohanne Capitone; sumptus liberaliter suppeditante Barone Iohanne Zerotinio. Vide Ioh. Lasicium de ge-

gestis Francorum lib. VII, & Guil. Crovvæum Elench. scriptorum in S. Scripturam pag. 21. 22. Imo jam suo tempore Novum Testamentum idiomate Bohemico extitisse, indicium facit Iohannes Hussus in Replica contra Ioh. Stokes, Tom. 1 operum fol. 108.

II. Hungaricam sacri Codicis versionem ex ipsis fontibus primum adornavit Caspar Carolus; quam recognovit postea Albertus Molnar, Szenziensis Hungarus. Ex vulgata vero Latina textum Biblicum Hungarice reddidit Iesuita Georgius Kaldus, Tyrnaviensis Hungarus. Prior versio recognita Hanoviæ prodiit anno CIↃ IↃC IIX, posterior Viennæ anno CIↃ IↃC XXVI. *Hungar.*

III. Tandem lingua etiam Slavonica totum corpus Biblicum extat, impressum charactere Latino Witteberga anno CIↃ IↃ LXXXIV. Habeturque illa editio in Bibliotheca Anglorum Lambethana, hunc præferens titulum: *Biblia, tu jeuse, Smetu-Pismu, Stariga inu Noviga Testamenta, Slavanski, tolmazhena skusi Iuria Dalmatina.* Latine: *Biblia, hoc est, Sacra Scriptura V. & N. T. Slavonice, translata per Georgium Dalmatinum.* Vide Guil. Crovvæi Elenchum scriptorum in S. Scripturam, Londini editum, pag. 23. In Heinsiana quoque Bibliotheca, quæ per auctionem publicam annis abhinc aliquot distrahebatur, Biblia fuisse Slavonica MS. in pergameno, ex catalogo ejus constat Lugd. Batav. anno CIↃ IↃC LXXXII vulgato, pag. 1. Dicuntur etiam Slavi versionem habere Biblicam in lingua vernacula, a Cyrillo, qui circa seculi noni medium vixit, conditam. Et sane illo ipso seculo apud Moravos, si non totum corpus Biblicum, certe aliquam ejus partem, idiomate Slavonico extitisse, epi- *Slavonica Scriptura Versio.*

ſtola docet Iohannis IIX Pontif. ad Sfentum Moraviæ Principem, quam exhibet Baronius, ad ann. DCCCLXXX, 16.

CAPUT XXXII.
DE
CELEBRIORIBUS OPERIBUS BIBLICIS.

I.

Origenianū opus Biblicū. Mirata eſt olim antiquitas opus Biblicum Origenis, cujus & hodie etiamnum fama per orbem celeberrima. Nempe Origenes hic, quem propter ingentes, quos exantlavit, labores, *Adamantium*, & ob multiplicem doctrinam *ſecundum poſt Apoſtolos Eccleſiarum Magiſtrum* dixere veteres, cum in editionem Græcam, quæ tunc *Vulgata* audiebat & *Communis*, errata quædam irrepſiſſe advertiſſet, ex Alexandrina Bibliotheca, ubi genuinum exemplar aſſervabatur, verſionem τῶν LXX deſcripſit, eademque, adhibitis ſimul plurimis optimæ notæ codicibus, ab omni corruptela & mixtura, quantum fieri potuit, vindicatam, priſtinæ integritati reſtituit. Utque ex aliarum translationum collatione plus utilitatis ad Eccleſiam redundaret, cum iſthac ſincera & genuina LXXvirali primo tres reliquas, Aquilæ puta, Symmachi, & Theodotionis, verſiones Græcas, ſingulis paginis ita per columnas diſpoſuit, ut uno intuitu lector omnes conſpicere poſſet & inter ſe conferre. Quæ volumina, quod quatuor translationes totidem columnis ſive areolis exhiberent, *Tetrapla* appellavit. *Tetrapla.* Poſtea, ubi, ardore ſcrutandi accuratius Scripturas, linguam etiam ſanctam *contra ætatis gentiſque ſuæ naturam* (ut Hieronymus ait) *lib. de Script. Eccl, c. 54.*

ait) addidiciſſet, textum inſuper Hæbræum, & quidem tum characteribus hujus linguæ genuinis, tum Græcis, adjecit: unde nata ſunt *Heptapla*. Tandem, poſt repertas verſiones Græcas Quintam Sextamque (ita enim dicebantur, quod de auctoribus non conſtaret) & ipſas cum reliquis diſpoſuit, atque ſic Eccleſiæ dedit *Octapla*. De hoc opere Biblico Hieronymus, in caput III Epiſtolæ ad Titum, ita ſcribit: *Nobis cura fuit, omnes Veteris Legis libros, quos vir doctus Adamantius in Hexapla digeſſerat, de Cæſarienſi Bibliotheca deſcriptos ex ipſis authenticis emendare. In quibus & ipſa Hebræa propriis ſunt characteribus verba deſcripta, & Græcis literis tramite expreſſa vicino, Aquila etiam & Symmachus, LXX quoque & Theodotio, ſuum ordinem tenent. Nonnulli vero libri, & maxime hi qui apud Hebræos verſu compoſiti ſunt, tres alias editiones additas habent; quas Quintam, & Sextam, & Septimam translationem vocant, auctoritatem ſine nominibus Interpretum conſecutas. Hæc immortale illud ingenium ſuo nobis labore donavit.* Vide etiam Euſebium lib. VI Hiſtoriæ Eccleſ. cap. XVII, Epiphanium hæreſi LXIII, & libro de Ponderibus ac Menſuris cap. XIX, ipſum Origenem epiſtola ad Africanum, & tom. XV in Matthæum; atque ex recentioribus Huetium Origenianorum lib. III, cap. II, ſect. IV, Simonium Hiſtor. Crit. lib. II, cap. III, X, & Diſquiſ. Crit. cap. XIIX.

Heptapla. *Octapla.* *edit. Huet.*

II. Ceterum etiamſi hunc τοῦ χαλκεντέρου laborem, qui tantæ olim fuit admirationi, nobis invidit temporum injuria (cui rei fortaſſe anſam auctor dedit ipſemet. Cum enim omnium non eſſet, magna hæc volumina comparare, aliam editionem adornavit, ſolum

Quid occaſionem dederit interitui operis Origeniani.

lum τῶν LXX textum exhibentem, sed ita, ut, quæ in fonte Hebræo legebantur, in LXXvirali autem versione deficiebant, ex Theodotionis editione suppleret, apposito asterisco, ne additamentum cum ipsis τῶν LXX textu confunderetur; quæ vero in Græco habebantur, & non in Hebræo, obelo notaret. Quæ editio, ut facile parabilis, teste Hieronymo epist. XXCIX, omnes Ecclesiarum bibliothecas replevit, indeque haud dubie priori fraudi fuit) gloriari tamen potest hæc nostra ætas de Bibliorum editionibus, quæ, si linguarum versionumque varietatem spectes, palmam Origeniano operi multis modis præripiunt.

Opera Biblica nostra ætatis palmā Origeniano præripiunt.

III. Scilicet ubi visum esset omnipotenti Numini, ut, pulsa superstitionum humanarumque traditionum caligine, pristinus *nitor* Ecclesiæ redderetur, pelli quoque *oportebat barbariei* tenebras, quibus aliquot seculis involutus fuerat Christianus orbis, & restitui literas ac linguas, per quarum ignorationem res etiam ipsæ ignorabantur. Quod proinde ut successu fieret meliori, in partem curarum venire volebat Deus ipsos illos, quibus hæc lux maxime inimica erat futura, Pontifices, inquam, Cardinales, & Episcopos Romanæ Ecclesiæ. Nam uti Nicolaus V, qui reformationem Ecclesiasticam proxime antecessit, teste Platina, *literatos præmiis, nunc ad lectiones publicas, nunc ad componendum de integro aliquid, nunc ad vertendos auctores in Latinum, ita pepulit, ut literæ Græcæ & Latinæ, quæ sexcentis jam annis in situ & tenebris jacuerant, tum demum splendorem aliquem adepti sint; misitque literatos per omnem Europam, quorum industria libri conquirerentur, qui majorum negligentia & barbarorum ra-*

pi-

pinis perierant: (cujus Nicolai Pontificis exemplum in eadem Italia postmodum secutus est Laurentius Medices, Princeps Florentinus, pater Leonis x) ita circa illudipsum tempus, quo Romanæ curiæ bellum indicere cœpit Lutherus, ejusdem Cardinalis, idemque Archiepiscopus Toletanus, Franciscus Ximenius, primus inter Christianos tentavit opus Biblicum πλύγλωττον, editis Compluti suis sumptibus, collatis autem studiis ejus Academiæ Theologorum (quibus tamen vetustissima exemplaria, Græci inprimis textus, ex Bibliotheca Vaticana ac aliunde magnis laboribus & impensis conquisita, ipse Ximenius, ut in operis præfatione testatur, suppeditavit) sex voluminibus, complectentibus textum Veteris Testamenti Hebræū & Vulgatam Latinam; versionem Græcam τῶν LXX cum translatione Latina; Paraphrasin Pentateuchi Chaldaicam Onkelos, itidem cum interpretatione Latina; Novum Testamentum Græco-Latinum; denique Apparatum, in quo Grammatica, Lexica, Indices. Vide Richardi Simonis Appendicem libri III Historiæ Criticæ, & Disquis. Critic. cap. XXVII. *Opus Complutense.*

IV. Simile quid circa eadem tempora tentavit Augustinus, Genua ex Justinianorum familia ortus, Nebiensis in Corsica insula Episcopus, conatu etiam majori. Is nimirum, ut Bibliothecæ suæ libro IV Sixtus scribit Senensis, *novo & ingenti ausu primus omnium utrumque sacræ Legis Instrumentum quinq; præcipuis linguis, Hebræa, Chaldæa, Græca, Latina, & Arabica, in unum corpus, OCTAPLA inscriptum, redegit, tanto artificio, ut in singulis paginis octo columnas disponeret, in quibus omnes prædictæ linguæ, propriis characteribus expressæ,* *Augustini Justiniani Nebiensis.*

totidem lineis totidemque verbis sibi correspondentes, uni eodemque aspectu cernerentur; eo videlicet ordine, quē mox recenset Sixtus, & in epistola ad Card. Bendinellū ipse Augustinus: nempe ut prima columnella textum exhiberet Hebræum, secunda versionem Latinam Hebræo verbotenus respondentem, tertia Latinam vulgatam, quarta Græcam, quinta Arabicam, sexta paraphrasin Chaldaicam, septima translationem Latinam Chaldææ respondentem, octava denique brevia scholia, vel brevissimas annotationes. Ceterum quæ ingenti non minus labore quam ausu ita paraverat Nebiensis, lucem publicam non viderunt, præter Psalterium, Leoni x dicatum, quo postea in addiscendis Arabicæ linguæ elementis usus fuit celeberrimus ille Nicolaus Clenardus. Ex Novo Testamento in universa quatuor Evangelia Octaplum, ipsa auctoris manu atramento minioque descriptum, vidisse se ait Senensis. De translatione Nebiensis ita Huetius, de Interpretatione lib. II, 13. *Primus postremis hisce temporibus nomen suum duplici sacrorum librorum interpretatione, altera ex Ebrais, e Chaldæis altera, celebravit Augustinus Iustinianus. Verba verbis totidem, iisque selectis, nec impuris, in utraque retulit, fidemque suam ac diligentiam doctis omnibus approbavit. Id adeo ex Psalterio ejus πολυγλώττῳ, quod unum ex immenso hoc opere, typographico labore excusum est, statuere licet. Id si indocta illa atas majori favore excepisset, & nobiles eruditi hominis labores adjumento aliquo & opibus promovisset, universam Scripturam simili ornatu decoratam & pari interpretationum numero ab eo ditatam haberemus.*

Opus Regiū. V. Secuta sunt, anno ejusdem seculi LXXI, Biblia Re-

Regia, sic dicta, quod auspiciis & sumptibus Regis Hispaniarum Philippi II edita. Prodierunt charta Regali typisque Plantinianis Antverpiæ, sub directione celeberrimi illius Ben. Ariæ Montani. Hoc opus Complutensia Biblia longe superat, non chartæ modo typorumque elegantia, sed &, quod multa habet quæ in Complutensi editione desiderantur. Exhibet nimirum in IIX Tomis, textum Hebræum Veteris & Græcum Novi Testamenti cum versione interlineari Xantis Pagnini; Chaldaicam paraphrasin integram, cum versione Latina; Syriacos N. T. libros, tam propriis quam Hebraicis literis descriptos, opera Guidonis Fabricii Boderiani; Apparatum denique magnum, duobus voluminibus comprehensum, in quibus tractatus varii ad Scripturæ intelligentiam facientes, Lexica, Grammaticæ, variæ lectiones, Tabulæ, Indices. Judicium de hoc opere Simonii vide in ejus Appendice libri III Historiæ Criticæ, & Disquis. Critic. cap. XXVII. In eodem quid desideret Andreas de Leon Zamorensis, Clericorum Regularium Minor, ex ejus anno CIↃ IↃC XIIX scripta epistola discitur, quæ inter editas junctim de Ecclesiæ Or. antiquitatibus dissertationes Epistolicas III est; ubi & vulgatam Latinam, prout in opere hoc exhibetur, plurimis scatere mendis admonet, & de inserta eidem Chaldaica paraphrasi ait, quod sit *vitiata & corrupta nimis, degenerans ab illo primo nitore & candore; plena Thalmudicis fabulis, impietatibus sacrilegis fœdata.* Patet ex eadem epistola, omnem movisse lapidē Monachum istum, ut persuaderet Michaeli le Jay, ne in cœpto jam tunc excudi opere Biblico Parisiensi pergeretur (*triumphabunt enim*, inquiebat, *Iudæi*, *&*

patebit eis aditus ad suam infidelitatem: nemini docto-rum erit acceptum, Ecclesia scandalosum) sed id agere-tur potius, ut quam ipse Zamorensis meditabatur no-va Scripturæ editio, sub titulo quidem *Bibliorum Pon-tificiorum*, publicaretur. *Mihi facultas concessa fuit*, scribit inter alia, *ut typis mandaretur opus a me elabo-ratum: Pontifexque obtulit expensas, meoque nomine* (permisit ut) *prodiret in lucem; dummodo non appellare-tur Biblia Regia, sed Pontificia.* & paulo post: *Ego Do-minationi vestra spondeo intra breve tempus tradere o-nia opera mea, hac conditione & lege, ut & nomine meo divulgentur, & ordinetur opus sicut designatum re-perietur.*

Parisiense. VI. Parum tamen promovit hac ratione bonus il-le Monachus: sed prodierunt nihilominus Parisiis, anno hujus seculi XLV, memorati illius *le Jay* impen-sis, studio autem & opera Gabrielis Sionitæ, Maronitæ, Iohannis Morini, & Abrahami Ecchellensis, Biblia he-ptaglotta, chartæ Imperiali, quam vocant, elegantis-simis, impressa characteribus. Complectunturque ea Tomis X, præter textus & versiones quæ in Regiis jam ante habebantur, Pentateuchum Hebræo-Samarita-num, una cum versione Chaldæo-Samaritana, hu-jusque interpretatione Latina; Syriacam translatio-nem Testamenti Veteris, & tam Veteris quam Novi versionem Arabicam. De his Heptaplis Parisiensibus (ita enim appellat) peculiaris extat dissertatio Ioh. Henr. Hottingeri, quæ in ipsius Analectis Historico-Theologicis est ordine II, & epistolæ Valerii Flavignii, Professoris Parisiensis. Videri possunt huc facientia in Dissertationibus Epistolicis de Eccles. Or. antiquita-tibus

tibus epiſt. LIIX, ſeqq. & in vita Morini; quæ diſſertationibus illis præfixa, item quæ apud Simonium habentur locis proxime citatis.

VII. Cum vero ne ſic quidem ſatisfactum eſſet Anglis, qui præ ceteris Europæis linguas orientales hodie amant & æſtimant, ut τὰ ὑστερήματα complerent, magnis ſumptibus ex remotiſſimis Orientis angulis antiquisſima MSS. ſedulo conquiſiverunt, ingentique eorum numero acquiſito, de nova eaque perfectiori editione πολυγλώττῳ, etiam turbatiſſimis temporibus, cogitare cœperunt. Præivit ſolertiſſimus Brianus Waltonus (unde & Waltoniani operis nomenclatura) qui, adſcitis viris per univerſam Angliam celeberrimis, paucis, quod mirum, annis tantum laborem feliciſſime exantlavit. Nempe prodiit ſex tomis opus incomparabile Londini anno cIↄ Iↄc LVII. In quo quid ſupra Pariſianam editionem ſit præſtitum, paucis accipe. Primo videlicet Pariſienſibus Bibliis Anglicana in eo præferenda merito, quod textus & verſiones, quæ ibi in diverſis habentur voluminibus, heic ſimul per varias columnas in ſingulis paginis lectori objiciuntur, ſic ut omnes uno intuitu aſpicere, collationemq; inſtituere poſſit, ſine aliorum tomorū evolutione. Deinde oppido multa Londinenſis editio exhibet in Parienſi haud obvia. Sunt autem præcipue iſta: I. Verſio interlinearis Hebræi textus Pagnini & Ariæ Montani, II. Verſio LXX editionis Romanæ ſecundum exemplar Vaticanum, III. Vetus vurgata Latina τῶν LXX, ex Patribus Latinis compilata per Flamin. Nobilium, IV. Mſ. Alexandrinum translationis LXXviralis, e Bibliotheca Regia petitum, non longe poſt Concilium Nicenum de-

Anglicanum,

ſcriptum, v. Verſionis Samaritanæ, ubi a textu Hebræo-Samaritano differt, translatio Latina, vi. Pentateuchus Perſicus Iacobi Tuſii, charactere Perſico ſcriptus, cum interpretatione Latina, vii. Paraphraſis Chaldaica Ionathanis in Legem, cum verſione Latina, iix. Targum Ieroſolymitanum cum verſione Latina, ix. Pſalmi, Canticum, & Novum Teſtamentum Æthiopice, cum translatione Latina. x. Evangelia quatuor Perſico-Latina, xi. Liber Eſther canonicus cum appendice, aliiſque Apocryphis, ut Judith, Tobia, Epiſtola Jeremiæ, Baruchi altera, Hiſtoria Suſannæ, Cantici trium puerorum pars aliqua, Maccabæorum liber ii & iii, Syriace, xii. Liber Tobiæ Hebraicus, tam ſecundum editionem Pauli Fagii, quam Seb. Munſteri, cum utriusque verſione Latina. Quibus omnibus accedit Apparatus, exhibens quæ ſpectant ad *Chronologiam*, Chorographiam, deſcriptionem Templi Jeroſolymitani, cognitionem nummorum, ponderum, menſurarum, idiotiſmorum & proprietatum Scripturæ peculiarium; Prolegomena item de Linguarum natura, origine, numero, mutatione, uſu: de characteribus, eorumque inventione, uſu, diverſitate in linguis præcipuis: de Maſora, Kri & Ktib: deque variis Scripturæ translationibus & editionibus. Adjiciuntur item ſub operis finem variantes lectiones textus Hebraici, Chaldaici, Syriaci, Arabici, Samaritani, Æthiopici, Græci, Latini, cum diverſis doctiſſimorum virorum in illos, ipſamque etiam translationem Perſicam, obſervationibus, animadverſionibus, collationibus; ſed & expoſitio Hebræorum, Chaldæorum, Græcorum & Latinorum nominum Virorum, Mulie-

lierum, Populorum, Idolorum, Urbium, Fluviorum, Montium, ceterorumque locorum. Denique & hoc ad operis Anglicani inprimis facit commendationem; quod Chaldaicam exhibet paraphrasin editionis Basileensis, ab infinitis, quibus ceteri scatebant codices, punctationis erroribus liberatam, & analogiam Danielis ac Esdræ immensis Buxtorfii laboribus restitutam; quodque versiones etiam alias ex melioribus dedit exemplaribus & mss. quam unde suas expresserunt Parisienses. Ut proinde non præter rem scribat Hottingerus, Bibliothecæ Theologicæ libro I, cap. II: *Ego certe, ut editioni Parisiensi laudem suam publice asserui,* (puta Analect. Historico-Theol. diss. II) *ita Waltonianam multis semper nominibus, si usum spectes, non chartam, rem ipsam, non characteres, pretulerim. Hæc enim una Bibliotheca propemodum integræ vicem subire potest.*

IIX. Invenit nihilominus in hoc etiam illustri adeo opere notissimus ille Criticus Simonius quæ virgula notaret censoria. Nempe Disquis. Critic. cap. XXVII, *Laude digni sunt,* ait, *Angli, qui paratiora, & ad usus quoslibet accommodatiora,* quam Parisienses, *Polyglotta ediderint; laude adhuc digniores, si nationum Orientalium versiones, inprimis Arabicas, quæ in eorum Bibliothecis delitescunt, meliorisque sunt notæ quam quæ in Parisiensibus sunt editæ, publici juris fecissent. Longe siquidem satius fuisset, exemplaria Pentateuchi Arabici cum obelis, asteriscis, aliisque Origenianis notationibus, quæ servantur in Bibliotheca Oxoniensi, evulgare, quam interpolatam illam R. Saadiæ paraphrasim, qualis jam in Polyglottis Parisiensibus exstabat, iterum recudere. Quodque* *Simonii in Biblia Anglic. animadversio.*

vide-

videtur mirabilius, constat, errores innumeros, quibus abundat Parisiensis editio, maxime in versionibus Syriacis & Arabicis, necnon in Latinis illarum interpretationibus, adhuc in Anglica eosdem conspici; neque etiam castigatos fuisse in animadversionibus Criticis, quæ in ultimum tomum rejecta sunt. Alia præterea, & quidem non pauca, quæ in Anglica Bibliorum editione notari possent. quippe nihil est ex omni parte beatum. In ea autem præcipue eminet Apparatus Biblicus, qui frontem libri occupat: etsi suos quoque habet nævos. Videtur enim a diversis scriptoribus concinnatus, qui diversa de eodem argumento sentientes in contraria abeunt: indeque ortum videtur, ut Vualtonus, cujus nomine opus istud prodiit in lucem, parum consentanee interdum loquatur.

Hutteriana Biblia. IX. Præter celebriora illa, quæ hucusque recensuimus, Biblia polyglotta, opus etiam habetur Eliæ Hutteri. Id initio, anno videlicet seculi superioris XCVII, τετράγλωττον prodiit, Hebraica nempe, Græca, Latina, & Germanica linguis; postea vero idiomate auctũ est Italico, Gallico, Slavonico, Saxonico. Imo N.T. ipsius cura sub hujus seculi initium Norimbergæ excusum est Syriace, Hebraice, Græce, Latine, Germanice, Bohemice, Italice, Hispanice, Gallice, Anglice, Danice, Polonice. Extant de his Bibliis judicia eruditorum peculiari epistolarum libro comprehensa. Hottingerus, loco paulo ante citato, *Ego putem*, inquit, *rarius* illud opus *in Bibliothecis reperiri, quod nec eruditorum satis aptum esset studiis, nec plebejorum vel sumptibus vel usibus. Pulchrum erat, in publica Bibliotheca ea haberi exemplaria Bibliorum, quæ probarent, nullam esse linguam Europæam, qua Verbum Dei non legeretur. In*

tot vero versiones (novas plerasque, & quæ non eundem, quem eruditarum, quas vocant, linguarum translationes Orientalium antiqua, ad illustrationem rei Theologicæ conferunt usum, eoq; nec ab eruditis addisci facile solent,) tantos impendere sumptus, non ferebant cujuslibet res privata. Quod si vero hoc opus cum Anglicano aut Parisiensi coniungatur, insigne non modo Bibliothecæ ornamentum, sed & luculentum est documentum, turpiter eos hallucinari, & in meridie cæcutire, qui negare audent, Bibliorum in linguas vernaculas translationem toto orbe esse receptam.

x. Sed & aliæ supersunt Scripturæ editiones hoc loco nobis silentio non prætereundæ. Videlicet eodem illo anno, quo insuperstitiosas Pontificiorum traditiones pugnare, studiumque sacrarum literarum nimiopere adhuc neglectum resuscitare cœpit Lutherus, lucem viderunt Venetiis, opera Danielis Bombergi, Typographi celeberrimi, & Felicis Pratensis, Theologi, (cujus hortatu & ductu Bombergus literas Hebraicas didicit, & per typographiam mirifice propagavit) Biblia Hebræa cum Chaldæo Targum, insigniorum Rabinorum Commentariis, Tabulis sectionum Legis & Haphtararum sive lectionum Propheticarum, Articulis XIII, seu fundamentis fidei Judæorum, præceptis jubentibus & prohibentibns, libello de Accentibus R. Ben Ascher, lectionibus variantibus Ben Ascher & Ben Naphthali, notisq; Masoreticis nonnullis, in quas vehementer invehitur Elias Levita, præfatione libri III Masoreth hammasoreth, ignorantiæ & cæcitatis accusans eum qui apposuit. Post hanc primam editionem ex eadem officina alia prodiit, anno superioris se- *Biblia Bombergii.*

culi XXIIX, in qua procuranda Bombergus opera usus est R. Jacob ben Chajim, magna pecuniæ summa ad istum laborem conducti. Præmittuntur huic editioni, Præfatio jamjam memorati R. Jacob, qua de Masora, Kri & Ktib, de discrepantiis inter Talmudistas & Masoretas, de תיקון סופרים, sive Correctionibus Scribarum, deque Masoræ magnæ ordine, differitur; Indices porro capitum sive paraschioth, sectionum, ordinum partium totius Scripturæ secundum Masoretas; sed & præfatio Aben-Ezræ de ratione commentandi in Scripturam, & de quinque modis interpretandi. Eadem geminam exhibet Masoram: minorem, quæ ad latera textus singulis paginis conspicitur; & majorem, quæ partim ad finem secundum seriem Alphabeticam apponitur, cum instructione Ben Chajim, partim per singulas paginas, infra & supra textum. *Denique subjiciuntur* variantes lectiones Ben Ascher & Ben Naphtali, nec non libellus de Accentibus. Atque hoc opus maximopere extollit R. Elias, inque ejus laudem carmen encomiasticum composuit. Accesserunt deinde, annis hujus seculi XIIX & XXIII, duæ præterea aliæ editiones Venetæ: sed quæ a secunda isthac qua rem ipsam nihil differunt.

Biblia Buxtorfii Basiliensia. XI. Ceterum cum in editionibus Venetis non pauca desideraret celeberrimus ille Hebræus Johannes Buxtorfius, aliam Basiliæ, anno cIↃ IↃc XIIX, adornavit ipsemet, sistentem textum Hebraicum & Chaldaicum, cum Masora magna & parva, selectissimis item Commentariis R. Sal. Jarchi, Aben-Ezræ, Dav. Kimchi, aliorumque Hebræorum. Ubi operam dedit editor, ut textus Chaldaicus a deformitate punctationis

&

&pravitatè vocum innumerarum liberaretur, loca in Masora transposita, deficientia, pugnantia, numeris depravata, diversorum exemplarium & Concordantiarum subsidio reponerentur, restituerentur, & reconciliarentur. Ut proinde hæc editio omnibus prioribus correctior longe sit ac nobilior.

Biblia Stephani, alias Vatabli. XII. Extat etiam opus Biblicum Lutetiæ cura Roberti Stephani superiori seculo editum, complectens textum Hebræum, translationem Græcam ex editione Complutensi, Latinam vulgatam, versionemque Latinam Tigurinam (de qua supra cap. xv, 9. seqq.) adjectis annotationibus, quas titulus hujus operis, prout anno ɔɔ LXXXVI ex officina Santandreana in tribus voluminibus prodiit, Francisco Vatablo tribuit, Hebrææ Linguæ in Academia Parisiensi Professori Pontificio, (unde ipsa etiam hæc Biblia Vatabli vulgo dicuntur) qui tamen pro suis eas non agnovisse dicitur. Et esse has notas ipsius Stephani, quamquam ex Vatabli prælectionibus auctas, in suo Animadversionum sacrarum indice observat Arn. Bootius. Tantam vero ob editionem hanc adversọ celebratissimũ illũ Parisiensium Typographum moverunt persecutionem Sorbonistæ, ut coactus ille fuerit, quo vitæ consuleret, mutato solo Genevam se recipere. Quam in rem Thuanus Histor. lib. XXIII, ad ann. LIX, *Indigna*, scribit, *bene merito de patria civi tot editis Ebraicis, Græcis & Latinis libris, gratia repensa est a Theologorum nostrorum collegio; qui hominem reipubl. invigilantem, & quasvis æquas conditiones accipere se paratum demonstrantem, non desierunt lacessere, donec ille, vexationum injustarum pertæsus, ex necessitate consilium cepit, &, relicta*

licta patria, Genevam ad extremum se contulit. Confer, sed qui longe iniquius de hac causa judicant, Genebrardum, Chronologiæ lib. IV, & præfatione in Origenem, Bonfrerium, Præloqu. cap. XIIX, sect. II, Gretserum, tract. de novis Scripturæ translationibus cap. I, Tirinum Indice auctorum Commentario in Scripturam subjuncto. Ubi etiam, quod post discessum suum Lutetiæ in simulacro exustus sit Stephanus, narratum invenies. Qui tamen, nunquam magis se riguisse, quam ubi Parisiis ustularetur, dicere fuit solitus.

XIII. Non prætermittenda quoq; hoc loco fuit mentio Bibliorum Maximorum (ut inscribunt) *cura & labore* Johannis de la Haye, Parisiensis, *Lectoris emeriti*, Concionatoris Regii, & in Gallia Minorum Procuratoris Generalis, anno clↄ lↄc LX Lutetiæ editorum. Opus hoc ipsis XIX absolvitur *Tomis;* quibus exhibentur sequentia: I. loco textus Scripturæ continui sistitur Vulgata Latina, & quidem sola. II. Commati versionis hujus cuivis subjiciuntur translationes aliæ Latinæ variæ, non solum quæ secundum ipsos fontes adornatæ, sed & quæ ex aliis versionibus prognatæ, hoc est, traductiones Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, similesque Latine exprimunt, imo e Tractatoribus etiam (ut veteres appellant) sive Interpretibus & Commentatoribus tum Iudæis tum Christianis vetustis sunt collectæ. III. Subjungitur Concordia versionum, brevisque expositio literalis. IV. Sequuntur Annotationes in textum Biblicum Nicol. de Lyra, Joh. Gagnæi, Guil. Estii, Joh. Menochii, Jac. Tirini. V. His omnibus præmittuntur Prolegomena de Scripturæ sacræ majestate, antiquitate, auctoritate, canone,

Biblia Maxima Parisiensia.

&

& similibus, Chronicon item sacrum, tract. de Ponderibus, Mensuris, Monetis, Linguarum idiotismis.

XIV. Ceterum quid auctorem hunc moverit, ut, extantibus jam ante tot operibus Biblicis splendidissimis, ipse nihilominus de nova ista eaq; sumptuosissima editione susciperet cogitationem, non difficile est divinare. Scilicet cum tanto ubique applausu hodie excipi cerneret Biblia πλύγλωττα, veritus, ne fraudi id esset forsan Vulgatæ suæ Latinæ futurum, hancipsam, & quidem solam, (prout nempe decebat talem Reginam, quam in augustum αὐθεντίας thronum Patres evexere Tridentini) novo ornatu voluit prodire in publicum, eoq; tam magnifico, ut ceteris omnibus quotquot hucusque lucem aspexerunt editionibus palmam hoc nomine videri posset præripere. Quod quidem suum consilium tantum abest ut dissimulet editor, ut potius in præfatione ad lectorem aperte significet, summo jure opus hoc prodire sub Bibliorum Maximorum titulo, quippe quod non solum mole voluminumque numero Biblia Complutensia, Londinensia, Regia, & Parisiensia polyglotta, superet, sed materiæ etiam amplitudine. Nempe cum Codices illi memorati non nisi translationes suppeditent linguis eruditis, ut vocant, adornatas, novum hoc opus idioma præterea Illyricum, Gothicum, Italicum, Hispanicum, & aliquando etiam Gallicum, adjicere; ita ut versus unicus viginti interdum aut triginta versionibus sit fœcundus: cumque illi textus sacri nudas solummodo exhibeant traductiones, istud sensus insuper sententiæque explicationem sistere: ut proinde *omnibus suis numeris absoluta* merito dicere possis hæc Biblia. Imo quo minus *Judicium de iisdem.*

adhuc de editoris ſcopo, auctoritati Vulgatæ velificaturi, dubitares, fatetur is diſerte, quod eidem tot verſiones alias ſociaverit, etiã eo tendere, ut ex collatione lector diſceret, illam translationes ceteras omnes, cujuscunq; ſint idiomatis, intelligentia ſenſus, puritate ſermonis, veritate, ſuperare.

XV. Quamvis autem juſto hujus editionis pretio detrahere nolim, id tamen tacere non poſſum, grande παράδοξον videri, quod Biblia hæc reliquis omnibus, quæ hucusque prodiere, debeant præferri; Biblia, inquam, ne ipſum quidem textum originalem, Hebræum Veteris & Græcum Novi Inſtrumenti, ſiſtentia, illis, quæ & hunc, & præterea Græcum LXXviralem, Chaldaicum, Syriacum, Arabicum, Samaritanum, *Perſicum*, Æthiopicum, exhibent. Nam quod dicit auctor, ſuum opus non illas tantum quas Biblia polyglotta, ſed plures etiam præbere translationes, indeque palmam ipſis merito facere dubiam; palam eſt quam vana ſit jactantia. Neque enim ipſas illas memoratas verſiones in ſuo quemque idiomate inveniet lector, Biblia Maxima ſi evolvat, ſed harum ſolummodo interpretationem Latinam, quam certe nec Angli in ſuo prætermiſerunt opere; ut ne hoc quidem nomine Biblia illa Pariſina aliquid habeant peculiaris. Et ſi maxime verſiones iſtas in ſuis linguis daret auctor, præterque eas neſcio quot alias, adhuc tamen ejus editio, quippe deſtituta textu Scripturæ originali, omnibus cederet Codicibus πολυγλώττοις. Ni forte Biblia Maxima ex editoris intentione ſolis inſervire debeant Pontificiis, qui, cum Vulgatam Latinam pro authentica habeant, fontibus æquo poſſunt animo carere. Translationes vulgares & Commentaria quod in operibus πολυγλώττοις deſiderantur, ſi ipſa Bibliis Maximis facit inferiora, adjicias illis licet Biblia Hutteriana (de quibus ſupra num. IX) Bibliaque Anglorum Critica, & quid deſiderabitur amplius? Imo ſi in operis mole Tomorumque numero aliquid ſitum momenti, ſex Tomis Bibliorũ πολυγλώττων Londinenſium, præter ea quæ jam dixi, adjunge, non tantum Annotationes Lyræ, Gagnæi, Eſtii, Menochii, Tiri-

Tirini, (quibus Hayena editio superbit) sed & quidquid amplius in orbe Commentariorum extat Biblicarumque expositionum: adjice, quæ de Scripturæ sacræ sensu, majestate, antiquitate, auctoritate, canone, obscuritate & perspicuitate, deque linguarum idiotismis, origine Versionum, ponderibus, mensuris, chronologicis, similibusque, a tot viris doctis disputata & observata hucusque prodierunt, & opus habebis Biblicum, non Voluminum novendecim, sed innumerorum. Neque enim, quod ab eodem editore in certos Tomos hæc talia non sunt digesta, nec eodem tempore typisque iisdem expressa, rei ipsi derogare potest, vel impedire, quo minus pro arbitrio corpus inde Biblicum quis constituat.

XVI. Quod porro credit auctor, ex suis Bibliis lectori posse patere, Latinam vulgatam omnes versiones reliquas, in quocunque linguarum genere habeantur, intelligentia sensus, puritate sermonis, veritate, superare, auditu perquam est mirum. Etenim qui potest istius operis beneficio antiqua Latina comparari cum translationibus Orientalibus, quarum ibi ne unica quidem lectori sistitur? Nam ex interpretatione Latina versionum Orientalium, quas in Bibliis suis auctor exhibet, de puritate & perspicuitate ipsius idiomatis Orientalis, Chaldaici v. g. aut Syriaci, velle judicare, nimis certe ineptum foret & ridiculum.

XVII. Deinde, quantum auctoris jactantiæ de perspicuitate, puritate, & veritate textus Latini vulgati sit tribuendum, non modo docere possunt quæ supra cap. XII, XIII, XIV, a nobis disputata; sed & evidenter ostendit contraria ipsorummet Pontificiorum aliorum confessio, quam dedimus cap. X, 20. Et quandoquidem (id quod mirari inprimis subit) etiam ratione ipsius puritatis sermonis versionibus Latinis ceteris Vulgatam suam præferre non dubitavit editor, cujusmodi illa sit puritas, lectori ob oculos ponat specimen, quod, ex notabilioribus Vulgatæ elegantiis in modum centonis contextum, citatis in margine locis unde verba phrasesque petitæ, Hunnius noster exhibet Examin. Bellarm. lib. II, cap. XIV. *Deus intemptor est malorum; odivit enim impios, & non contitur illis;*

mi-

memoratur autem piorum. Ergo vos, o ignava ventres, Monachi, qui sub capitio estis intermsiles, & oleati, attendite. Vos apparescitis quidem deforis sancti & docti; sed ab intus estis indocti & infruniti. & nota est vestra ineruditio & malitia, quam docet vos ociositas. Scopite autem spiritum vestrum, & pœnitemini: odite malum; desinite inimicari, & cessate Evangelium oppugnare gratis, nec angarizate Lutheranos ad falsam doctrinam vestram: sed meliora horum facite quæ fecistis, ut fructum plus afferatis, & impleamini bonorum. Alias surget Deus, & sagittas suas ardentibus efficiet, & scopabit vos in scopa terens. Tunc partientur famelici milites substantiam, & insuspicabiles viri metibuntur agros vestros, &, quod reliquum est in monasterio, consummabunt. Vos autem bene plagati stabitis foras portam, quasi crapulati a vino, & aporiati, & ex tunc insubsidiati & inauxiliati pulsabitis per ter in idipsum. Non intromissi, murmurabimini, & curretis passus mille & alia duo. Sic exclusi, manicabitis in magno frigore ad Papam, & dicetis illi: Sanctissime Pater, viri abominati & incredibiles emigraverunt nos ex monasteriis nostris. Tunc Papa dicet: Dilecti filii, vos o creaturæ meæ, qui in præsentiarum nausragavistis, estote patientes, neque zelate ipsos. Qui enim me confusus fuerit, & ego confundar illum, & iterum nocebo illum. Sed satis nunc, pro instituti ratione, de his quoq; Bibliis.

FINIS.

ADDENDA

Pag. 3. lin. 4. post, *quæst.* IV, adde: C. Frassenius, Sorbonista, Disquis. Bibl. lib. II, cap. I, 3. pag. 28. lin. 8. adde: Plura eam in rem qui desiderat, Thomæ Bangii Cœlum Orientis legat pag. 150. seqq. ubi fuse de hoc argumento agitur. pag 41. lin. 15. post, *cap.* XVI, adde: C. Frassenii Disquis. Bibl. lib. II, cap. V, 2. pag. 43. lin. 8. adde: C Frassenium Disquis. Bibl lib. II. cap. V, 3. seqq. pag. 88. lin. 3. a fin. adde: Imo habet vetustissima[illegible] translatio Gothica. Vide infra cap. XXIX, 5 pag. 135. lin. 9 post, *ju[illegible]gas*, adde: quæ ex Cano, Valentiano, Suaresio, observat C. Frassenius, Doctor Sorbonicus, Disquis. Bibl. lib. II, cap. VI, §. 17; item.